The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IOS. UBACH S.J.

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

VOLUMEN I

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

CODICI IURIS CANONICI
ET DECRETIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE
NECNON IURIBUS CIVILIBUS GALLIAE, HISPANIAE
LUSITANIAE ET IN PLERISQUE NATIONIBUS
AMERICAE LATINAE VIGENTIBUS
ACCOMMODATUM

AUCTORE
IOSEPHO UBACH S.J.

WITHDRAWN

VOLUMEN I

CONTINENS THEOLOGIAM MORALEM GENERALEM
ET EX SPECIALI TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI
DE COMMUNIORIBUS PRAECEPTIS ECCLESIAE
ET DE OBLIGATIONIBUS STATUS CLERICALIS
ET RELIGIOSI

240
U12c
v.1



FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXVI
HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Imprimi potest

Bonis Auris, 8 Septembris 1924.

RAIMUNDUS LLOBEROLA S. J.
PRAEP. PROV. ARG.-CHIL.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 3 Februarii 1926.

DR. SESTER
VIC. GEN.

Omnia iura reservantur

TRIDENTI — ARTI GRAFICHE TRIDENTUM

16661

PRAEFATIO

Hoc Compendium, quod olim exaraveram amicis obsecutus, qui me saepe rogaverant, ut typis committerem adnotationes quasdam ad privatum usum redactas, iam in officina cudendum parabatur vertente anno 1914. Sed, exorto bello operariisque ad arma vocatis, primo labor ad incertam diem differri, dein, immani flagello crudelius saeviente in dies, omnis spes abiici debuit, praesertim cum iam accessisset rumor, quo coepta Summi Pontificis iussu totius canonici Iuris recognitio in finem vergere ferebatur. Prodiit tandem Codicis egregium opus, indeque factum est, ut hoc Compendium penitus immutari atque, aliis rebus amotis, aliis alio ordine digestis, quamplurimis etiam superadditis, totum de novo condi et perpoliri necesse fuisset. Res sane ardua, quam, multis hoc tempore gravibusque distentus curis, nonnisi magnis superatis difficultatibus, Dei tamen benignissimo favore, perfeci tandem atque absolvi.

Omittendas censui definitiones quasdam rerum ex se vel aliunde iam notarum, itemque nonnullas quaestiones dogmaticas, cuiusmodi de humanis actibus in genere, vel canonicas, quae ex aliis disciplinis sufficienter hauriri solent. Ceterum, nihil praetermisi, quod in brevi Theologiae Moralis Compendio apponi posse et perutile fore iudicarem ad commune animarum ministerium.

Materiam de Iustitia, in septimo Decalogi praecepto, satis de se implexam tractavi, simplicitatis gratia, prout de Iure tantum naturali. Nam, etsi commentaria fuse addidi ex novem Iuribus Civilibus, nationum scilicet Argentinae, Brasiliae, Chilensis, Columbiae, Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, Mexici, Uruguay, ne tamen prae rerum congerie materies evaderet impeditior et difficultates aliae aliis cumularentur, ea ad calcem pagellarum amandavi, ubi poterit quisque quae ad suam nationem pertineant, commode et absque claritatis detrimento depromere.

Faxit Deus, ut sacerdotum utilitati per eosque animarum profectui divinaeque gloriae promovendae hoc qualecumque opus bene vertat.

Bonis Auris, die 8 septembris anno 1924.

AUCTOR

SIGLORUM NONNULLORUM DECLARATIO

a.	=	articulus (Codicis Civilis).
A. A. S.	=	Ephemeris Romana officialis « Acta Apostolicae Sedis ».
A. S. S.	=	Ephemeris Romana « Acta Sanctae Sedis », ab anno 1865 ad 1908.
Ball. P.	=	Antonii Ballerini, S. J., *Opus Theologicum morale*, quod absolvit et edidit Dominicus Palmieri, S. J.
Bus. ap. S. Alph.	=	Hermanni Busenbaum, S. J., *Medulla Theologiae Moralis*, quam S. Alphonsus in suo opere inclusit.
can.	=	canon Codicis Iuris canonici.
C. C.	=	Codex Civilis. Citantur sequentes Codices: *arg.* (argentinus, Buenos Aires, 1917), *br.* (brasiliensis, Rio de Janeiro, 1918), *chil.* (chilensis, Valparaíso, 1912), *col.* (columbianus, Bogotá, 1914), *gall.* (gallicus, Paris, 1917), *hisp.* (hispanus, Madrid, 1906), *lus.* (lusitanus, Ministère de la Justice, Paris, 1896), *mex.* (mexicanus, México, 1919), *ur.* (uruquarius, Montevideo, 1907).
Comm. I. C.	=	Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos.
Conc. Pl. Am. Lat.	=	Concilium Plenarium Americae Latinae in Urbe celebratum anno 1899.
Decr. auth.	=	Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum.
Ferr.	=	Joannis B. Ferreres, S. J., *Compendium Theologiae Moralis*, 1919.
Gén. S.	=	Eduardi Génicot, S. J., *Institutiones Theologiae Moralis*, quas recognovit I. Salsmans, S. J.
Lehmk.	=	Augustini Lehmkuhl, S. I., *Theologia Moralis*, 2 voll. Citatur editio 11ª, cuius numerorum marginalium ordo valde differt ab ordine, quem exhibebant praecedentes eiusdem editiones.
Lugo	=	Cardinalis de Lugo, S. J., *Tractatus de Iustitia et Iure*, vel *de Eucharistia*, vel *de Poenitentia*, iuxta materiam subiectam.
S. Alph.	=	S. Alphonsi M. de Ligorio *Theologia Moralis*. Citatur editio 13ª (Bassanensis) anno 1832 excusa.
S. C. C. S. C. de Sacr. S. Off. S. Poenit. S. R. C.	=	Responsum vel Decretum S. Congregationis Concilii, vel S. Congr. de Sacramentis, vel S. Officii, vel S. Poenitentiariae, vel S. Rituum Congr.
Verm. Creus.	=	Arturi Vermeersch et I. Creusen, S. J., *Epitome Iuris canonici*, 1921 - 1922.

N. B. — Citationes referuntur ad materiam, de qua agitur; sic, « S. Alph. n. 490 » locum indicat tractatus S. Alphonsi de Septimo Praecepto, vel de Poenitentia, prouti de materia Iustitiae, vel Poenitentiae agatur, ubi citatio reperiatur.

INDEX SYNOPTICUS

(Citantur numeri marginales).

PRAEFATIO
SIGLORUM NONNULLORUM DECLARATIO
PRAEAMBULA

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS

TRACT. I. - DE ACTIBUS HUMANIS ET CONSCIENTIA

num.

Art. 1. *De actu voluntario* 1
Art. 2. *De actu honesto* 13
Art. 3. *De conscientia* 14
Art. 4. *De opinione probabili* 18

TRACT. II. - DE LEGIBUS

Art. 1. *Lex* 29
Promulgatio 32
Interpretatio 33
Art. 2. *Obiectum* 34
Art. 3. *Subiectum* 35
Peregrini et vagi 37
Domicilium 38
Art. 4. *Obligatio* 39
Art. 5. *Dispensatio* 47
Privilegia 53

TRACT. III. - DE PECCATIS

Art. 1. *Peccatum mortale* 55
Art. 2. *Distinctio specifica peccatorum* 58
Art. 3. *Distinctio numerica peccatorum* 60
Art. 4. *Peccata interna* 63
Art. 5. *Peccata capitalia* 68

THEOLOGIA MORALIS PRAECEPTIVA

in qua de praeceptis virtutum theologicarum, decalogi et Ecclesiae.

Tract. IV. - DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

Caput 1. - DE FIDE num.

Art. 1. *De sciendis et credendis* 71
Art. 2. *De professione fidei* 73
Art. 3. *De communicatione cum acatholicis* 75
Art. 4. *De haeresi* 77

Caput 2. - DE SPE 82

Caput 3. - DE CARITATE

Art. 1. *De praecepto caritatis* 83
Art. 2. *De ordine caritatis erga proximum* 85
Art. 3. *De dilectione inimicorum* 88
Art. 4. *De eleemosyna spirituali* 90
Art. 5. *De eleemosyna temporali* 93
Art. 6. *De scandalo* 94
Art. 7. *De cooperatione* 101
1. Cooperatio formalis 102
2. Cooperatio materialis 103
3. Applicationes de cooperatione cum acatholicis, ad venditores, famulos, caupones, locatores, typographos 105
Appendix 111
1. Libri et ephemerides 111
2. Suffragium 114
3. Luxuria 116
4. Choreae 118
5. Spectacula 119

Tract. V. - DE PRAECEPTIS DECALOGI

Caput 1. - DE I° PRAECEPTO

Art. 1. *De superstitione* 121
Art. 2. *De sacrilegio* 125
1. Sacrilegium personale 126
2. Sacrilegium locale 127
3. Sacrilegium reale 128
Art. 3. *De simonia* 129
I. *Notiones* 129
II. *Principia* 130
III. *Canones in simoniacos* 134
IV. *Restitutio ob simoniam* 135

CAPUT 2. - DE II° PRAECEPTO num.

Art. 1. *De blasphemia* 136
Art. 2. *De iuramento* 139
I. *Essentia* 139
II. *Liceitas* 141
III. *Obligatio iuramenti promissorii* 143
IV. *Adiuratio* 146
Art. 3. *De voto* 147
I. Notiones 147
II. *Essentia* 148
1. Intentio 148
2. Materia 150
III. *Obligatio* 151
IV. *Cessatio* 154
1. Irritatio 155
2. Suspensio 157
3. Dispensatio 158
4. Commutatio 160

CAPUT 3. - DE III° PRAECEPTO

Art. 1. *De auditione Missae* 161
I. *Praesentia* 161
II. *Attentio* 162
III. *Causae excusantes* 163
Art. 2. *De labore prohibito*
I. *Labores prohibiti* 164
II. *Causae excusantes* 165

CAPUT 4. - DE IV° PRAECEPTO

Art. 1. *Quoad filios* 166
Art. 2. Quoad parentes 167
1° Coniuges, 2° consanguinei, 3° magistri,
4° domini, 5° cives 168

CAPUT 5. - DE V° PRAECEPTO

Art. 1. *De suicidio* 169
Mutilatio 169
Vitae cura 171
Obligatio laborandi 173
Art. 2. *De homicidio* 174
Duellum 175
Maledictio 175

num.

Art. 3. *De occisione foetus* 176
Abortus 177
Acceleratio partus 179
Operatio caesarea 181
Art. 4. *De medici officiis* 183

CAPUT 6. - DE VI° PRAECEPTO

I. *Notiones physiologico-morales* 184
II. *Praenotanda* 187
III. *Principia* 188
1. Delectatio directe voluntaria 189
2. Delectatio indirecte voluntaria . . . 191
Art. 1. *Peccata consummata contra naturam* . . . 197
1. Pollutio 198
2. Sodomia 200
3. Bestialitas 200
Art. 2. *Peccata consummata iuxta naturam* . . . 201
1. Fornicatio 201
2. Adulterium 203
3. Incestus 204
4. Sacrilegium 205
5. Stuprum 205
6. Raptus 206
Art. 3. *Peccata non consummata* 207
1. Tactus 208
2. Oscula 208
3. Aspectus 208
4. Turpiloquia 209
Art. 4. *Quaestiones aliquot* 211

CAPUT 7. - DE VII° PRAECEPTO

Praevia quaedam 222
Obligatio legum civilium de iustitia . . . 224
Art. 1. *De subiecto dominii* 228
I. *Filiifamilias* 228
II. *Uxor* 229
III. *Clerici* 230
IV. *Auctor* 231
Art. 2. *De acquisitione dominii* 232
I. *Occupatio* 232
1. Bona nullius 232
2. Bona amissa 233
II. *Accessio* 234
III. *Praescriptio* 235

num.

Art. 3. *Laesio dominii* 240
I. *Iniuria* 240
II. *Furtum* 242
Occulta compensatio 247
Art. 4. *Restitutio* 248
Notiones praeviae 248
I. *Possessor bonae fidei* 250
II. *Possesor malae fidei* 254
III. *Possessor dubiae fidei* 258
IV. *Damnificator*: actio iniusta formaliter, stricte, realiter, efficaciter 261
V. *Cooperator* positivus (mandans, consulens, consentiens, palpo, receptans, participans) vel negativus 268
Art. 5. *De circumstantiis restitutionis* 274
1. Quantum? 274
De ordine restituentium 275
2. Cui? 276
De ordine creditorum 278
3. Quomodo? 279
4. Quando? 280
5. Causae excusantes 281
Art. 6. *De restitutione ob quasdam causas in specie* 284
1. Ob damnum in bonis animi 284
2. Ob homicidium 284
3. Ob consortium carnale: fornicationem, stuprum, adulterium 286
4. Ob defraudata servitia legalia: tributa, militiam 287
5. Ob male functum officium medici, iudicis, advocati. 288
Art. 7. *De contractibus in genere* 292
1. Divisiones contractuum 292
2. Materia contractus 293
3. Contrahens 295
4. Consensus 297
Error 298
Metus 300
5. Obligatio 302
Condicio vel iuramentum adiectum . . . 303
Art. 8. *De contractibus gratuitis* 306
I. *Promissio* 306
II. *Donatio* 307
Testamenta 310

num.

III. *Mutuum* 314
IV. *Commodatum* 319
V. *Mandatum* 320
Art. 9. *De contractibus onerosis* 321
I. *Emptio - venditio* 321
1 Natura huius contractus (de materia et consensu) 321
2. Iustum pretium 324
3. Venditiones quaedam in specie (sub hasta, cum pacto retrovenditionis, per proxenetas, monopolium, census, cambium) 326
II. *Locatio* rei vel laboris (de salario familiali et operistitio) 329
III. *Societas* 333
IV. *Contractus aleatorii*: assecuratio, sponsio, loteria, ludus, speculationes Bursae . . 334

CAPUT 8. - DE VIII° PRAECEPTO

Art. 1. *De mendacio* 339
Art. 2. *De detractione* 342
1. Unde desumenda eius gravitas 343
2. Obligationes eam consequentes 348
Art. 3. *De contumelia* 350
Art. 4. *De iudicio temerario* 351
Art. 5. *De secreto*: *a*) naturali, *b*)promisso, *c*) commisso 352
Aperitio litterarum 354

TRACT. VI. - DE COMMUNIORIBUS PRAECEPTIS ECCLESIAE

CAPUT 1. - DE FESTORUM OBSERVANTIA

I. *Dies* festi 356
II. *Locus* satisfaciendi praecepto 357
III. *Dispensatio* ab hoc praecepto 359

CAPUT 2. - DE CONFESSIONE ET COMMUNIONE

Art. 1. *De confessione* 361
Art. 2. *De communione* 362

CAPUT 3. - DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

Art. 1. *De abstinentia* 364
Causae excusantes 365

num.

Art. 2. *De ieiunio* 367
Causae excusantes 371
Art. 3. *De dispensatione* 372
Bulla Cruciatae 372

CAPUT 4. - DE SOLVENDIS DECIMIS

CAPUT 5. - DE LIBRIS PROHIBITIS

Art. 1. *De praevia librorum censura* 375
a) Libri censurae subliiciendi 375
b) Cuiusnam facultas obtinenda 379
Art. 2. *De prohibitione librorum* 381
a) De auctore prohibitionis 381
b) De vi prohibitionis 382
c) Quinam libri prohibiti 389

TRACT. VII. - DE OBLIGATIONIBUS STATUS CLERICALIS

Art. 1. *De vocatione ad statum sacerdotalem* . . . 396
Art. 2. *De privilegiis clericorum* 397
Art. 3. *De obligationibus negativis, seu prohibitio* cohabitandi cum mulieribus, quorumdam munerum et oblectamentorum saecularium, negotiandi, etc. 398
Art. 4. *De obligationibus positivis* ducendi vitam piam, gestandi habitus et tonsurae, obediendi Ordinario, studio incumbendi, servandae castitatis 406
De obligatione Officii recitandi: causae excusantes 410
Art. 5. *De officiis particularibus* 416
Beneficiarii, Episcopi, canonici, parochi . . 416

TRACT. VIII. - DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI

Art. 1. *De natura status religiosi* 421
Art. 2. *Praeliminaria* 423
Art. 3. *De vocatione religiosa* 425
Art. 4. *De postulatu et novitiatu* 426
Art. 5. *De professione religiosa* 433
Art. 6. *De obligationibus religiosorum*: servandi vota, sectandi perfectionem, ducendi sanctiorem vitam, subiiciendi se vitae communi, deferendi habitum etc. 436

num.

Art. 7. *De voto paupertatis* 439
a) Votum paupertatis simplex 439
b) Votum paupertatis sollemne 444
Actiones quaedam contra votum paupertatis vel secus 446
Art. 8. *De voto castitatis* 452
Art. 9. *De voto obedientiae* 453
Art. 10. *De clausura religiosa* 456
Art. 11. *De privilegiis religiosorum* 459

PRAEAMBULA

Theologia moralis est scientia de actibus humanis ordinandis ad salutem aeternam consequendam. Quoniam autem ad huius consecutionem non ea actionum rectitudo sufficit, quae lumine manifestatur naturali, sed plura adimplere oportet, quorum necessitas vel sola revelatione constat vel tandem in revelationis facto nititur: hinc patet, qua ratione Theologia moralis ab Ethica naturali discrepet eaque excellentior sit.

In doctrina morali tractanda hunc ordinem tenebimus:

Initio principia trademus generalia, quae fere materiae cuilibet applicantur, scilicet: de voluntario, honestate, conscientia, legibus, peccatis (*Theologia moralis generalis*).

His expletis obligationes singulas percurremus (*Theologia moralis specialis*), quarum tractationem rursus in partes duas dispertiemur.

Nam imprimis eas obligationes exponemus, quae e motivis enascuntur virtutum theologicarum et moralium, quaeque in Decalogi praeceptis continentur; dein quae Ecclesiae legibus imponuntur (*Theologia moralis praeceptiva*). Secundo autem loco obligationes, quae ad rectam sacramentorum administrationem et susceptionem referuntur (*Theologia moralis sacramentalis*).

Denique ad finem totius operis tractatum *de censuris* remandamus, Iuris Codicem secuti.

THEOLOGIA MORALIS GENERALIS

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS ET CONSCIENTIA

Art. 1. De actu voluntario.

Actus voluntarius, ut talis sit, duo requirit, nimirum, ut procedat a voluntate et ut procedat cum cognitione finis. Id quidem requiritur in omni actu voluntario, sive necessario, qualis est amor Dei in patria, sive libero; at actus voluntarius, ut sit *liber*, requirit insuper ita elici a voluntate, ut positis iisdem praerequisitis potuerit non elici. 1

Voluntarietati igitur opponitur: 1° **ignorantia;** haec enim cognitionem intellectivam tollit aut saltem minuit. Saepe recurrunt in scientia morali variae de ignorantia divisiones, quarum praecipuae sunt: ignorantia *iuris*, seu quae versatur circa exsistentiam legis, ut si quis ignoret excommunicatione plecti percussionem religiosi graviter iniuriosam; ignorantia *facti*, quae versatur circa factum particulare, ut si quis nesciat hunc, quem percutit, esse religiosum. Praeterea, ignorantia *invincibilis* ea est, quae morali diligentia vinci nequit; huiusmodi ignorantia datur, cum quis plane non cogitat de re, ad quam obligatur, vel, si de ea cogitat, saltem non novit obligationem inquirendi, vel si omne medium inquirendi adhibuit, quod pro rei gravitate adhibendum prudentia suadebat, tamen rei notitiam comperire non potuit. Haec ignorantia omnino excusat a peccato, nam ea exstante deest cognitio ideoque et voluntarietas; quare non peccant pueri, qui inhonesta agunt sine suspicione malitiae; nec est incestus reus, sed tantum adulterii coniux adhaerens mulieri, quam invincibiliter ignorat esse consobrinam suae uxoris. Ignorantia *vincibilis*, seu quae morali diligentia depelli potest, a peccato non 2

excusat, tuncque peccatum formaliter committitur, cum quis, advertens ad obligationem ignorantiam depellendi, hanc tamen depellere negligit; se enim committit inevitabili periculo peccandi; quare confessarius, qui advertit ad suam in scientia morali insufficientiam et confessiones nihilominus audire pergit, nunc peccat, sive errores deinde sequantur sive secus; hique si sequantur, etsi ex inadvertentia, voluntarii saltem dicentur in causa et confessario iure imputabuntur (cf. n. 7). Haec ignorantia dicitur «pure vel simpliciter v i n c i b i l i s», quando ad eam deponendam adhibetur aliqua diligentia, non tamen sufficiens; c r a s s a seu supina, quando diligentia adhibetur nulla aut vix ulla; a f f e c t a t a, quando quis ideo ignorantiam refugit depellere, ut liberius agere possit, v. gr. si Missam parochialem ideo adire non vult, ut ieiunia occurrentia non doceatur. — Consonat can. 2202.

3 V o l u n t a r i e t a t i opponitur: 2° **violentia** seu coactio ab extrinseco, renitente voluntate; ut si quis apprehensa manu testamentum subscribere cogatur. Violentia, si absoluta est, voluntarietatem ac proinde peccatum prorsus excludit (idem exprimit can. 2205). Si vero magis minusve repelli potest et resistentia non opponitur, cum opponi debet, magis minusve voluntaria est; non tamen necessario repelli debet, quando motivum adest proportionatum, quod a resistentia excuset (n. 8).

Controvertunt hoc loco auctores, num mulier vi oppresa clamare teneatur. Nullum dubium est, quin teneatur resistere quantum possit. At si nihilominus instant mortis minae, infamia, insuperabilis verecundia aut aliud motivum grave, tunc probabiliter potest externe se mere passive habere, dummodo tamen ex praeterita experientia, actuali statu constantiae animi etc., noscat abesse proximum consensus periculum; quoniam autem id difficulter aberit, ideo in praxi mulieri, ut clamet omnino suadendum est.

4 L i b e r t a t i opponitur quadamtenus: 1° **metus;** cum eo enim datur aliqua inclinatio voluntatis contra id, quod mandatur exsecutioni. Hic vocatur *gravis*, si cadat in virum constantem, idque evenit, cum s o l i d a ratione timetur malum g r a v e, quod f a c i l e a v e r t i n e q u i t; secus vocatur *levis*. Metus ex se levis potest ob peculiares personae circumstantias, v. gr. vividam phantasiam, sexum, aetatem etc., evadere *relative gravis*. Metus, etiam gravis, ex se cognitionem non tollit, quare ex se a peccato non excusat; peccatum tamen minuetur aut etiam aberit, prouti rationis usus magis minusve ablatus fuerit. — Cf. can. 2205.

Libertati opponitur quadamtenus: 2° **concupiscentia** 5
antecedens, seu motus appetitivus boni aut aversativus mali praeveniens consensum voluntatis, v. gr. cum affectus odii e conspectu inimici subito excitatur, aut cum visa forma eleganti desiderium exsurgit. Concupiscentia quamdiu antecedens est, peccatum non est; peccatum vero erit illam voluntarie admittere, si circa obiectum malum versetur. Actus, vi concupiscentiae antecedentis positus, voluntarius est; non enim concupiscentia tollit cognitionem motivorum allicientium ad obiectum. Attamen, si illius impetu, quod in amore vel ira aliquando accidit, agens ita abripiatur, ut in eius potestate non sit aliter agere, peccatum omne aberit. Saepe tamen peccatum fuit in causa (n. 7), quia homo satis praeviderat, quo facile ob passionis aestum abripiendus esset nec tamen eius incitamenta et fomitem removit, cum posset. Deducitur ex dictis: motus primo primos, seu qui omnem deliberationem antevertunt, a peccato immunes esse, itemque venereos motus indeliberate exsurgentes, dum voluntati displicent. — Consonat can. 2206.

Libertati magis minusve opponuntur: 3° **psychoses**[1], 6
seu morbi indolis praecipue psychicae, in quibus perturbationes praesertim mentales vel volitivae manifestantur. Huiusmodi sunt: *ideae obsidentes* (v. gr. melancholicae, vel de propria ineptitudine, vel pertinaciter impellentes ad suicidium, crudelitates, blasphemias in oratione, ad inutiles quaestiones sibi sine fine proponendas, ad quasdam actiones repetendas pleniusve perficiendas etc.), *phobiae* (seu irrationalis maximeque anxius timor, v. gr. alloquendi homines, erubescendi coram aliis, manendi in habitaculis clausis etc.) aliaeque perturbationes *psychasthenicae*, quae ancipitem saepe reddunt confessarium. Quoniam hae gradus varios induere libertatemque minuere vel fere aut omnino tollere possunt, saepe iudicium certum ferri nequit de culpabilitate actus sub earum influxu positi vel omissi[2]. — Cf. can. 2201.

---

1 Huiusmodi morbi sedem plerumque habent in centris systematis nervei, praesertim in cerebro, unde perturbationes oriuntur imaginationis, indeque impulsiones inhibitionesve magis minusve vehementes.

2 Raro tamen videtur libertas penitus in his exinaniri; quin etiam ipsae actiones, quae sub influxu fiunt suggestionis hypnoticae et somnambulismi hysterici, num omni morali libertate destituantur, non omnino liquet (Gén. S., n. 15). Ceterorum psychicorum morborum impulsus, qui aliquando vehementer dicuntur insurgere, ad furta, tactus, suicidium etc., etsi plus minusve difficiles cohiberi, non tamen videntur generatim adeo esse irresistibiles, ut hominem reatus gravis reddant incapacem; ideoque, nisi de

7 Variae voluntarii divisiones circumferuntur, quas facile ex ipsis nominibus intelliges. Omnium potissimum est **voluntarium in causa** vel indirectum, quod tunc locum habet, cum quis ponit actionem (quam vitare potest), ex qua praevidet talem effectum secuturum vel facile secuturum; v. gr. si quis ob lucrum turpes libros conscribit, quos lectoribus nocumento fore praevidet; vel si quis inebriatur, praevidens se facile in ebrietate blasphemias prolaturum; corruptio morum, blasphemiae sunt voluntaria in causa, videlicet in libri conscriptione, in ebrietate. Adverte: 1° peccatum tunc committi, cum causa ponitur cum praevisione effectus, sive iste dein sequatur sive secus; 2° maius vel minus peccatum committi, prouti fuerit gravitas effectus praevisi. Exemplum: si quis inebriatur praevidens se tres quatuorve blasphemias prolaturum, ei in actu sese inebriandi imputatur malitia trium quatuorve blasphemiarum, sive nullam deinde ebrius sive mille proferat (Cf. etiam dicta n. 2 de ign. vincib.).

8 Hic ponendum prae oculis principium in re morali maxime praecipuum et applicationibus uberrimum: *Si aliqua causa, bona aut indifferens, aeque immediate producit duos effectus, alterum bonum, alterum malum: licet hanc causam ponere, dummodo agens effectum malum non intendat, et ad procurandum effectum bonum habeat motivum proportionate grave.* Ratio est, quod ex una parte nec intentio effectus boni nec appositio causae bonae (aut indifferentis) est ex se mala; ex altera vero parte pravus effectus non intenditur, sed mere permittitur; porro ad hunc permittendum supponitur adesse motivum proportionate grave. Igitur non peccat, qui pecuniae egenus hanc petit ab iniusto usurario, si eam ab alio obtinere non valet; neque belli dux ignivoma tormenta dirigens in hostium arces, etsi ibi simul aliqui includantur innocentes; neque chirurgus artem suam exercens, non obstante praevisione pravorum motuum et secluso proximo consensus periculo. — Diximus « *si uterque effectus aeque immediate oriatur e causa* »; nam si bonus effectus non obtineretur directe e causa, sed tantum mediante malo effectu (v. gr. vitatio infamiae non obtinetur directe e sumpta potione, sed ex abortu,

---

exceptione constet, praesumatur peccatum grave non defuisse. Peritissimi psychiatrae putant illiusmodi motus, v. gr. manuum, si forte producuntur necessario, esse valde tenues et quasi inchoatos, deinde voluntarie perfici comitante illusione imaginatae cuiusdam irresistibilitatis, quae forte oriatur e secreta quadam voluntate persuadendi sibi actionem esse irresistibilem; brevi, non tam adesse impulsionem irresistibilem, quam necessariam imaginationem impulsionis irresistibilis (JANET, *Les obsessions*, t. II, p. 429, t. I, p. 92).

quem causavit potio), tunc agens iam intenderet malum medium ad finem obtinendum, quod numquam licet (cf. n. 13, § 2). — Diximus «*motivum requiri proportionate grave*»; quoniam aequitas naturalis obligat ad vitanda mala, quoties id sine damno proportionate gravi praestari potest. Arduum autem est assignare pro casibus singulis, quantum requiratur motivum ad permittendum effectum malum. In genere potest sequens tradi regula: opus est, ut habita ratione incommodi, quod tum agenti tum omnibus in communi eveniret, si obligatio esset abstinendi ab agendo ob malum effectum vitandum, huiusmodi incommodum exaequet malum effectum, qui sequetur. Exemplis res declaratur: Licet ab hoste insectante fugere per aliena sata; mors enim, quae secus eveniret, longe praeponderat damno illato. Confessarius accersitus ad audiendam confessionem meretricis, unde praevidet malos motus orituros, eam adire potest; nam quamvis mulier alium facile invenire posset, gravissimum tamen esset incommodum, si confessarii omnes ob vitandos malos motus confessionem recusare deberent. Non peccat sacerdos porrigens communionem peccatori occulto publice petenti; quia etsi infamia peccatoris, quae secus eveniret, non exaequet sacrilegium, cui sacerdos cooperatur, id tamen longe superatur ex eo, quod homines a suscipiendis sacramentis averterentur, si in huiusmodi casibus eucharistiam denegari viderent. Denique adverte eo minus grave motivum ad ponendam causam sufficere, quo remotius haec connectitur cum malo effectu (sic minus motivum sufficit ad parandum atramentum, quod impressioni pravorum librorum inserviet, quam ad impressionem dirigendam); quo minor est effectus malus (sic minus motivum sufficit ad permittendum furtum, quam ad permittendum sacrilegium); quo probabilius est malum effectum, me non agente, etiam secuturum (sic minus motivum sufficit ad locandam domum usurario, si hic aliam aeque invenire possit, quam si nullam aliam inveniret). Cf. n. 103.

Evenire potest, ut causa *leviter* tantum seu parum influat 9
in effectum malum; tunc obligatio causam auferendi nonnisi levis est, etiamsi illa sit in se venialiter mala; peccatum enim voluntarium in causa aestimatur iuxta influxum causae. Excipe, si agatur de damno proximi; id enim caritas vitare iubet iuxta regulas n. 86 exponendas.

Hucusque egimus de causa, quae *per se* seu *natura sua* influit in effectum. At nonnumquam solum *per accidens*, seu nonnisi variis adiunctis concurrentibus, influit; tunc non datur obligatio auferendi causam, nisi sciatur adesse talia adiuncta,

e quibus effectus sequetur. Sic licitum est in schola Chimiae modum exponere preparandae dynamitae, nullatenus vero liceret id hominem facinus machinantem docere.

10 Aliquando causa, ex qua per accidens aliquis effectus sequitur, prohibetur a lege, praecise ne talis sequatur effectus. Tunc causa in aestimatione *morali* iam non per accidens, sed per se connectitur cum effectu; id est, qui tunc ponit causam, censetur in aestimatione prudentum velle effectum. Ratio est quia voluntas legislatoris non minus determinare potest connexionem causae cum effectu, quam libera intentio subditi, qui causam eo fine ponit, ut obtineat effectum; sic etiam videmus placitum hominum ita connectere hederam cum vino vendibili, ut qui hederam domui suae praefigat, censeatur nuntiare vinum vendibile (cf. etiam n. 59 in nota). Quare ex gr. etsi iniustus non sit mercator emens totum vinum regionis et postea cum lucro vendens, unde forsan alii negotiatores subibunt damnum; tamen, si lex id facere prohibeat ad vitandum damnum ceterorum, iam aget contra iustitiam et damnum reparare tenebitur.

11 Tandem declarandae sunt aliae voluntarii et causae denominationes frequenter occurrentes.

Causa *physica* ea est, quae physice in effectum influit, v. gr. qui percutit, qui ignem domui applicat, qui potum ad necem sumit. *Moralis*, quae in effectum influit moraliter, id est iussu, consilio etc. Causa *proxima* ea est, qua posita effectus necessario sequitur, vel saltem ordinarie sequi solet; secus vocatur *remota*.

Voluntarium *expressum* est, quod expresse signo aliquo declaratur. *Tacitum*, quod revera exsistit, exterius tamen expresse non manifestatur, sed eius exsistentia ex aliqua actione aut omissione cognoscitur; v. gr. subditus dicit superiori se exire deambulatum, isque, cum loqui posset, tacet; superior tunc consentire colligitur. *Praesumptum*, si ex rationibus a priori cognoscitur exstitisse, aut quod exsisteret.

12 Voluntarium (seu intentio) *actuale* illud est, quod actualiter exsistit. *Virtuale*, quod exstitit quidem, at nunc iam in se non percipitur, manifestatur tamen adhuc in effectu aliquo vi illius volitionis posito; exemplum est in sacerdote, qui distractus sacramentum conficit vi voluntatis, quam habuit, cum ad ecclesiam se contulit et sacras vestes induit. *Habituale*, quod exstitit quidem, at nunc nec in se nec in ullo effectu perseverat, non tamen est retractatum, v. gr. voluntas, qua legislator nunc vult leges antea latas adimpleri. *Interpretativum*, quo quis, attenta sua ratione agendi, censetur voliturus, si ad rem adverteret.

Art. 2. De actu honesto.

Actus honestus, ut talis sit, debet intendere aliquid honestum, secus nihil haberet, unde suam desumeret honestatem. Debet autem illud intendere quatenus honestum; quia sicut nullum obiectum potest influere in actum, si actus illud non intendit, ita obiecti honestas non potest influere in actum, si actus illam non intendat. — Quid requiratur, ut actus honestus sit meritorius, disces ex theol. dogm. 13

Quoad *actum inhonestum* haec habe:

1° Ut actus sit malus, sufficit, ut intendas aliquid malum, quin sit necesse, ut illud intendas quatenus malum; nam eo ipso iam agis contra legem prohibentem poni talem actum.

2° Actus, quo quis eligit malum medium, est malus, quicumque sit finis, v. gr. furari ad subveniendum pauperibus; ratio, quia eo ipso actus iam intendit aliquid malum (cf. etiam ep. ad Rom. III, 8).

3° Actus, quo non intenditur ulla honestas, hoc ipso probabilius iam est inhonestus; quare probabilius[1] non dantur actus deliberati indifferentes. Profecto homo, cum deliberate agit, agit propter aliquem finem, ideoque intendit bonum vel honestum vel delectabile (in bono utili nequit sistere, quoniam utile dicit ordinem ad aliud); si intendat honestatem, habes actum honestum; si solam delectationem, inhonestum, ut colligitur ex prop. 8 et 9 damn. ab Innoc. XI. Nec dicas ita imponi obligationem intolerabilem; nam imprimis agitur de actibus humanis, id est positis libere, non de permultis, qui indeliberate fiunt, v. gr. fricare barbam; praeterea non est necesse in honestatem reflectere, sed sufficit eam directe advertere; immo obligationi satisfit intendendo honestatem implicite, quod iam fit, quando actiones speculative indifferentes moderate exercentur; nam moderatio ipsa indicat, quod aliqua honestas (v. gr. sublevamen corporis ad exercendas functiones necessarium) iuxta dictamen rationis intenditur; quare non est locus anxietatibus.

4° Nulla est obligatio referendi singulas actiones ad Deum ut finem supernaturalem, sed sufficit illa relatio ad finem honestum, de qua nuper diximus. Nam textus Apostoli ad Cor. 1, X, 31, quem aliqui in contrarium adduxerunt, praeceptum continet mere negativum, (ut ex contextu et praesertim ex v. 32 apparet), scilicet nihil faciendum est contra gloriam Dei; vel si quis positive illum intelligere velit, sensus erit:

---

1 Cum S. Thom. l. 2, q. 18, a. 9 et Suarez.

procurate in omnibus gloriam Dei (de consilio), et ita cavebitis dare aliis scandalum in comestione idolothytorum aut alia quavis re (de obligatione).

5° Actus in se honestus non amittit honestatem, quamvis eum comitetur alius actus leviter inhonestus; v. gr. si, dum quis praedicat ob bonum finem aut assistit Missae intendens cultum Dei, irrepat aliqua vanitas aut voluntaria distractio; etenim hi sunt actus ab alio actu (v. gr. praedicationis) distincti, qui hunc in sua honestate relinquunt. Aliud dicendum, si actus dirigatur ad finem unicum leviter inhonestum, v. gr. praedicare aut orare, unice ut videaris ab hominibus.

Art. 3. De conscientia.

14 **Conscientia** est ratio practica discernens de moralitate actionis. *Certa* est ea, qua nullus habetur prudens timor errandi. Haec sequenda est, quotiescumque aliquid praecipit aut prohibet, sive id recte dictet sive per errorem. Nam Deus non vertit nobis peccato aut laudi, si agimus id quod obiective est malum aut bonum, sed si id, quod agimus, malum aut bonum esse credimus. Inde est, quod nullatenus peccet, qui Missam omittit die, quem festum esse invincibiliter ignorat; e contra reus est adulterii, qui solutus peccat cum soluta, quam putat coniugatam. Fieri potest, ut conscientia certa habeatur ex errore nunc invincibili, qui olim vincibilis fuerat, v. gr. in confessario, qui cum culpabiliter studium neglexerit, praecipit nunc erronee restitutionem, quam sine ulla dubitatione censet esse faciendam; peccatum quidem hic et nunc non committit, ast peccatum adfuit in causa: scilicet tunc peccatum commisit, quando studium neglexit cum praevisione erroris facile futuri. Quamobrem quoad conscientiam invincibiliter vel vincibiliter erroneam omnino tenenda sunt, quae superius n. 2 de ignorantia diximus.

15 Conscientia *dubia* ea est, qua assensus neutri parti praestatur ob formidinem erroris. Quid veniat nomine dubii *iuris* vel *facti*, disces ex dictis n. 2. Dubium *negativum* commodius sumitur in re morali pro suspensione intellectus rationem non habentis saltem sufficientem ad iudicium probabile; *positivum* autem pro suspensione intellectus rationem habentis sufficientem ad iudicium probabile[1]. *Speculativum*, cum dubitatur de liceitate actionis in sola sua natura consideratae, v. gr. an solvenda sit pecunia post praestitum ex contractu

---

1 Muncunill, opus lithogr.

opus turpe; *practicum* versatur circa actionem ut hic et nunc ponendam, attentis proinde circumstantiis etiam naturae actionis extrinsecis (v. gr. diversis opinionibus auctorum), v. gr. an hic et nunc, omnibus consideratis, tenear solvere pretium Marthae, quae iam praestitit opus turpe, de quo conveneramus.

Ultimum conscientiae dictamen in ordine ad agendum 16
debet esse moraliter certum, nemini enim licet se exponere inevitabili periculo peccandi; aliunde patet ex ep. ad Rom. XIV, 23, ubi fides accipitur pro conscientia certa, uti requirit manifeste contextus et auctorum interpretatio. Dixi requiri dictamen ultimum *moraliter* certum, id est excludens prudentem formidinem errandi; ideoque nihili faciendae sunt rationes futiles aut timores, qui nullo apparent nixi solido fundamento. Dum autem prudens habetur formido errandi, veritas inquirenda est; quod si haec obtineri nequeat, iudicium saepe efformari poterit moraliter certum ex principiis inferius tradendis; nisi quis malit tutiorem partem amplecti, id est agere iuxta obligationem, de cuius exsistentia dubitat.

Si quis peccatum utrimque timet, sive agat sive non agat, et nec inquisitio fieri nec dubium deponi potest, tunc id eligere debet, quod ipsi minus malum apparet; quod si utrumque apparet aeque malum, seligat quodcumque nec peccabit, quoniam nemo necessitatur ad peccandum.

Solet quaeri, an graviter peccet qui novit quidem se male agere, at de gravitate aut levitate peccati non cogitat. Certe, ut reatus gravis contrahatur, cognitio saltem confusa de gravitate requiritur; quapropter peccare nequit graviter is, qui gravitatem actionis nullatenus apprehendit. Ast in praxi praesumitur quisque sufficienter ad gravitatem advertisse, si constat actionem, quam ponit et malam esse novit, esse obiective gravem, praesertim si agitur de homine parum timorato.

Manifestum est, quanta mala, cum animae tum corpori 17
scrupuli afferant, si habituales fiant (scrupulosus dicitur, qui saepe formidat de peccato ob rationes leves et futiles). Eorum cura omnino intendi debet, at sine agitatione capitis, exspuitionibus. Origo saepe melancholia est, imbecillitas capitis, phychosis (n. 6), ingenii perspicacia in homine timido, pertinacia iudicii, aut permissio divina ob bonos fines.

Regulae *pro scrupuloso*: 1ª (et praecipua) Confessarium seligat prudentem eiusque iudicio omnimoda oboedientia acquiescat, quin ad alios consulendos recurrat. 2ª Ad peccandum graviter necessarium ei est, ut illico, sine disquisitione, possit dicere illud certo esse peccatum grave. 3ª Audacter procedat contra scrupulos et quamvis timorem non possit statim deponere, pergat nihilominus, quin de effor-

manda conscientia deliberet; nec ideo putet se peccare aut peccasse contra conscientiam; nam iudicium certum, quod habitualiter habet, nempe sibi licere agere non obstante dubio, per subsequentem anxietatem obscuratur quidem, sed revera non tollitur. 4ª Agat iuxta ea, quae alios timoratos non scrupulosos agere videt. 5ª Si scrupulos patitur circa confessiones, sciat se nihil confiteri teneri, nisi id, in quo se clare et certo noverit graviter peccasse.

Regulae *pro confessario*: 1ª Scrupulosum de regulis supra adductis edoceat; caute tamen de obligatione agendi contra scrupulos (quae tamen non urget graviter in singulis actibus), ne illum magis turbet. 2ª Mitem se praebeat, sed ne patientes aures scrupulis sine fine proponendis offerat; interrogationibus respondeat clare et sine haesitatione, nulla tamen addita ratione, ne novis dubiis ansam det. 3ª Ei, qui materiam praeteritarum confessionum numquam exhaurit, si generalem confessionem iam alias explevit, aut per aliquot notabile tempus diligenter confessus est, vel pluries repetit res anteactas, imponat ne verbum de peccatis praeteritis amplius faciat, nisi de peccato certo gravi et numquam accusato (exigere tamen iuramentum de hac certitudine maioribus saepe scrupulis et perplexitatibus locum daret) [1]. 4ª Sunt qui in aliqua tantum materia scrupulosi sunt, v. gr. in recitando Breviario, in aliis laxi; hi in illa solum materia ut scrupulosi tractandi sunt [2].

Art. 4. De opinione probabili.

18 **Opinio probabilis** ea opinio [3] est, quae nititur motivo tum in se tum relative gravi. Porro grave dicitur motivum, quod virum prudentem ad assensum movere potest, secus vocatur

---

1 « Immo aliquando potest quis taliter scrupulis angi, quod, licet ei videatur certo aliqua non dixisse, adhuc ad ea confitenda non teneatur »; ita plures, quos citat S. Alph. l. 1 n. 16 et *Hom. apost.* tr. 16 n. 39, quibus addi possent Lacroix l. 1 n. 534, Tambur. l. 1 c. 3 § VIII n. 8, itemque de *Method. confess.* l. 2 c. 10 § 1 n. 22. Ratio est, ait Wigandt apud S. Alph. l. c., quia tam grave damnum et periculum perpetuo haerendi in tanta anxietate excusant ab integritate confessionis. Scrupuloso igitur, qui semper ait se certum esse de gravi non confesso et sic praeteritas confessiones diu et iugiter revolvit cum anxietate vere intolerabili, declaret tandem confessarius posse tuto etiam illa certo non confessa oblivioni tradere ob impossibilitatem moralem ex suo statu ortam; si enim illa certitudo fundata erat, ille serius, recuperata tranquillitate, nullo negotio obligationi satisfaciet, si peccati adhuc recordatur.

2 Cf. S. Alph. l. 1 n. 11 seqq., Prax. Conf. n. 95 seqq.

3 Opinio est status mentis aliquid ita esse aut non esse existimantis, non tamen sine formidine de opposito. Distinguitur a

leve. Relative autem manebit grave, si eius pondus non elidatur certitudine partis oppositae; nam si motivum moraliter certum appareret in contrarium, iam illud suam vim amitteret; nemo enim prudens assensum praestat alicui motivo, simul atque eius falsitas iam aliunde constitit, v. gr. ex recenti decisione Ecclesiae. Dicunt adversarii eiusmodi elisionem haberi, quoties pro parte opposita motiva adsunt graviora; ast omnino gratis et immerito, si motiva ex diversis fontibus sumantur. Nam, cur ratio gravis, quam hucusque solverat nemo, iam censeri debeat soluta, aut eius falsitas indirecte probata, ex eo solum, quod pro parte opposita reperta est ratio magis ad assensum movens? Ergo suam vim retinet. Adde quod nemo, ex quo aliquam sententiam defendit ut probabiliorem, posset, ne speculative quidem, dicere contrariam adhuc probabilem.

Probabilitas dicitur *intrinseca*, cum nititur motivis ex ipsa re in se considerata depromptis; *extrinseca*, cum auctoritate nititur virorum doctorum. Haec illam supponit, eo quod vir doctus et prudens nihil temere docere praesumatur. Mediocris peritia sufficit ad ferendum iudicium de probabilitate extrinseca alicuius sententiae; de intrinseca vero nonnisi peritissimi iudicare possunt. Porro extrinsece probabilis haberi potest opinio, quam aliquis auctor omni maior exceptione, v. gr. S. Thomas, aut quinque sexve auctores graves, praesertim classici, tuentur. Sed hoc intellige de re, in qua plures auctores graves contradicant; secus enim, quando alii non magnae notae contradicunt, aut si de illa re nemo alius tractavit, nihil prohibet quominus minor doctorum numerus sufficiat, ut me ad assensum moveat, sicuti qui minus peritus est, saepe ducitur sententia alicuius peritioris iudicium ferre valentis.

Certum est ad licite operandum sufficere sententiam probabilissimam (cf. prop. 3 damn. ab Alex. VIII), sicut non sufficere motivum leve contra legem (cf. prop. 3 damn. ab Innoc. XI). Num sufficiat vera et solida probabilitas favens libertati, etsi pro lege stet maior probabilitas, nunc videndum [1].

---

dubio; nam qui dubitat, nihil existimat, sive quia rationes probabiles pro neutra parte habet (dubium negativum), sive quia, etsi rationes probabiles habeat, neutri parti adhaeret iudiciumque suspendit (dubium positivum).

1 Systemata, quae ut liceat deserere sententiam legi faventem, requirunt, ut sententia opposita, libertati favens, sit certa, probabilissima, probabilior, saltem aeque probabilis, solide probabilis, tenuiter probabilis, vocantur respective tutiorismus rigidus, tutiorismus mitigatus, probabiliorismus, aequiprobabilismus, probabilismus, laxismus. Tutiorismus rigidus et laxismus ab Ecclesia damnati sunt. Tutiorismo rigido aequiparari potest alter mitigatus, quoniam opinio probabilissima practice a moraliter certa non

19 **Thesis.** *Si de solo licito aut illicito agitur, licitum est sequi opinionem vere et solide probabilem faventem libertati, etiamsi pro lege, de cuius exsistentia dubitatur, stet opinio probabilior.*

Diximus «*si de solo licito vel illicito agitur*». Nam si probabilitas versatur circa *valorem* actus in ordine ad assequendum finem, qui absolute obtinendus sit, patet non posse eligi medium probabile neglecto tutiore; probabilitas enim nullam efficaciam seu valorem medio tribuit ad securam assecutionem finis; idque evenit quoties quaestio est de necessariis necessitate medii, de constitutivis essentialibus sacramentorum, de cavendo damno proximi etc. E contra, si probabilitas directe respicit non *valorem* actus, sed *liceitatem*, haec in praxi acquiritur ex probabilitate, ut statim probabitur. Neque illa limitatio est quaedam theseos exceptio; nam si finis absolute obtinendus sit, exsistentia legis praecipientis eius obtentionem per tutiorem viam, neglectis mediis dubie efficacibus, non est dubia sed certa, ideoque versamur extra quaestionem. Quapropter si recte consideras, nullam dices probabilismi exceptionem dari. Quod quidem adeo est verum, ut si in aliquo casu speciali[1] sit probabile posse adhiberi medium minus tutum non obstante ipsius valore dubio, iam probabilismo locus sit, siquidem lex ultimo praecipiens medium tutius evaserat dubia.

Supponitur factam esse pro rei gravitate inquisitionem veritatis, et nihilominus hanc non potuisse detegi. Profecto, cum exsurgit dubium de lege, inquisitio instituenda est (nisi quis malit tutiorem partem amplecti); qui enim leges observare tenetur, eo ipso tenetur eas cognoscere atque investigare.

Theseos doctrinam tenent Theologiae lumina: Suarez (*De Relig.* tr. 3 d. 12 s. 6, *De Poen.* d. 22 s. 9 n. 6), Lugo (*De Euch.* d. 15 n. 45, *De Poen.* d. 16 n. 58), Vasquez (in l. 2 d. 62 c. 4, n. 14) aliique quamplurimi ex omni schola; adeo ut eam dicat Mastrius scotista (ap. Muncunill, op. lithogr.) «communissimam et receptissimam»; Lacroix S. J. (l. 1 n. 269), «communi Doctorum consensu» probatam, Struggl Ord. Serv. B. M. V. (ap. Muncunill, ibid.) «communissimam recentiorum», dixeritque Esparza (Curs. Theol. t. 1 l. 3 q. 23 a. 6) usque ad suum tempus «consensum adeo esse unanimem, ut vix sit ullus, qui aperte renitatur», quin etiam Terillus cen-

---

distinguitur. Praterea a probabilismo aequiprobabilismus non adeo differt, saltem practice. Quare inter probabilistas fere et probabilioristas quaestio tota versatur.

[1] Casum huiusmodi habes v. gr. apud Lugo *De Poenit.* d. 7 n. 272 seqq. Cf. etiam eundem Lugo in *Resp. mor.* l. 1, d. 33, n. 4.

tum et quinquaginta probabilistas (iuxta ASTRAIN, *Hist. de la C. de J.*, t. 6 p. 142), ducentos (iuxta LACROIX l. c., n. 269), etsi forte non omnino accurate, recensuerit. Nostris temporibus Card. Gennari (ap. FERR. n. 136) hoc morale systema vocat « communissimum », meritoque ait Ferr. (n. 122) « vix ullam esse scholam, sive in Europa sive in utraque America, in qua non habeatur ut textus auctor probabilista ».

Veritatem probabilismi ostendemus duabus probationibus directis, dein duabus indirectis.

Prob. 1°. Certum est hominem possidere suam libertatem **20** ante quamcumque legem sive naturalem sive positivam, siquidem lex supponit hominis libertatem et propter eam fertur, non autem e contrario. Atqui in dubio melior est conditio possidentis (n. 25). Ergo contra libertatem nequit lex, de cuius exsistentia dubitatur, praevalere. Atqui de exsistentia legis dubitatur, quamdiu contra eam datur solida probabilitas; nam haec iuxta notiones traditas consistit in motivo gravi inducente ad opinandum legem non exsistere, et huiusmodi motivi gravitas manet non obstante contrario motivo probabiliore. Ergo quamdiu probabile est legem non exsistere, praevalet libertas; ideoque nulla adest obligatio legis adimplendae, etiamsi pro ea stet motivum probabilius.

Prob. 2°. « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti » (S. Thom. de Verit. q. 13, a. 3); vinculum enim, quo lex applicatur voluntati ad eam ligandam, nequit esse aliud nisi legis cognitio. Atqui quamdiu contra legem datur solida probabilitas, non habetur scientia legis, siquidem de ea dubitatur. Ergo quamdiu contra legem datur solida probabilitas, libertas non ligatur. Subsistit autem solida probabilitas contra legem, etsi pro ea stet ratio probabilior, ut diximus. — Adverte, quod sub voce s c i e n t i a e venit notitia c e r t a , non mere p r o b a b i l i s , secus inaniter philosophi omnes distinxissent inter scientiam et opinionem; praeterea qui de lege notitiam habet solum probabilem, atque adeo de lege non est certus, non potest dici illam s c i r e seu n o s s e , sed potius illam ignorare (S. ALPH., *Mor. syst.* n. 77).

NB. — 1° Semper loquimur de dubitatione p r u d e n t i , **21** seu nixa solida probabilitate; imprudens enim esset, qui nixus ratione l e v i (hanc saepe vocant tenuem probabilitatem) vellet legem in dubium vocare, atque adeo eam negligere.

2° Probationes 1ª et 2ª suam vim retinent, ut consideranti patebit, *a*) sive agatur de lege naturali, sive de lege positiva divina aut humana; *b*) sive agatur de statu d u b i i (sc. mere

negativi), sive de statu opinionis (sc. probabilitatis contra legem); *c*) sive quaeratur an lex lata sit (sc. an exsistat lex), sive an talis sit sensus eius (sc. an exsistat lex praecipiens hoc aut illud, seu an exsistat talis lex).

3° Si tamen constat de exsistentia legis eiusque sensu et dubium versatur circa ipsius cessationem, v. gr. an ab ea excuser vel an iam posuerim actum ab ea praeceptum, tunc distinguendum est; pro statu opinionis (sc. si habes solidam probabilitatem quod lex cessaverit), probationes allatae adhuc suam vim habent, ut dicetur in n. 26; non autem pro statu dubii, quia tunc lex possidet et pergit retinere ius suum, siquidem nulla ratio solida affertur in contrarium.

4° Si pro exsistentia legis habetur quaedam maior probabilitas et nulla opponitur solida ratio in contrarium, generatim libertas ligatur obligatione; nam cum homo in rebus moralibus plerumque non valeat plenam certitudinem obtinere, maior illa probabilitas aequivalet, in casu, morali certitudini late sumptae [1].

5° Supradicta sic brevi complectimur: Si agitur de *adstruenda* seu de imponenda quasi de novo aliqua obligatione, ea non teneris, donec de eadem habeas certitudinem moralem saltem latam. Si agitur de obligatione, quae certo scitur fuisse *imposita*, ea ligaris, donec opineris cum solida probabilitate quod iam cessaverit.

22 *Prob. 3°*. Lex dubia non obligat. Atqui lex obligans ad sequendas opiniones probabiliores in favorem legis est saltem dubia. Ergo huiusmodi lex non obligat, ideoque licet, posthabitis opinionibus probabilioribus, sequi opiniones saltem probabiles. Prob. mai. auctoritate S. Alphonsi ponentis hanc maiorem tamquam thesim, quam defendit. l. 1 tr. 1 in Mor. syst.; doctrinam vero S. Alphonsi tuto sequi licet, ut declaravit S. Poenit. 5 iul. 1831. Prob. min., quia saltem dubia debet esse ea obligatio seu lex, quam doctores pene innumeri per plura saecula negarunt [2].

Prob. 4°. Licitum est in praxi sequi opinionem probabiliorem libertati faventem, uti concedunt adversarii. Atqui probabilismus certo est probabilior probabiliorismo, cum pro se habeat et auctorum numerum longe maiorem et fundamenta intrinseca solidiora. Ergo licitum est sequi in praxi probabilismum.

---

1 Cf. Suarez, *De Poen.* d. 22 s. 9 n. 5.

2 Muncunill, opus lithogr.

Obiectiones. Praeter quasdam auctoritates tum ex Scriptura tum aliunde depromptas, quae profecto ad rem nihil faciunt et quibus hic respondere non vacat, contra probabilismum obiicere solent adversarii: 23

1° Minor probabilitas eliditur ab opposita maiore. Resp.: Neg., si utriusque probabilitatis motiva ex diversis fontibus desumantur, ut iam diximus supra in n. 18.

Inst.: Saltem opinio desinit esse probabilis, quando opposita est *notabiliter* et *certo* probabilior. Resp. Generatim, quando excessus probabilitatis unius opinionis supra alteram agnoscitur ut *notabilis* atque ut *certo* notabilis (fatentibus proinde fere omnibus), ideo est, quia eius vis tanta est, ut probabilissima seu moraliter certa dici debeat. Fatendum ergo est *practice* non subsistere generatim probabilitatem contra motivum notabiliter et evidenter probabilius. Ast id ex meritis evenit opinionis absolute in se consideratae, quae moraliter in se certa est, ideoque versamur extra quaestionem; non vero ex comparatione cum altera, seu ex eo precise, quod excessum notabilem probabilitatis habeat[1].

2° Qui agit iuxta probabilem contra legem, exponit se periculo transgrediendi legem. — Resp. 1° Ergo nec licebit agere iuxta probabiliorem contra legem. 2° Falsum est hominem teneri vitare omnia pericula transgrediendi legem mere materialiter, secus ne opinionem quidem probabilissimam contra legem sequi liceret, id quod damnatum est ab Alex. VIII in prop. 3ª. — 3° Distinguo: exponit se periculo transgrediendi legem, de cuius exsistentia dubitatur, quae tamen, in casu, vim suam nequit retinere in actu secundo (prout probavimus in thesi), conc.; transgrediendi legem Dei consequentem, seu legem, qua Deus consequenter ad nostrum dubium inextricabile velit adhuc legem illam observari, neg.; huiusmodi enim Dei voluntas non datur, ut probavimus in thesi.

3° Nemo eligit remedium minus tutum. — Resp. Idem dico contra probabilioristas. Praeterea difficultas non est ad rem, nam lex procurandae sanitatis per tutiora media non est dubia sed certa.

---

1 Atque ita intelligendus Suarez, *De Leg.* l. 8, c. 3, n. 19, qui aliunde tam aperte probabilismum docuit in locis supra cit. Nempe ubi dicit « maior probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis certus sit », intellige, non quia excessus necessario elidat minorem probabilitatem, sed quia signum est moralis certitudinis in opinione in se considerata.

Cf. Lacroix, l. 1, n. 261; Ferr., n. 128; Gén. S., n. 73.

4° Probabilismus non est doctrina certa: ergo nequit ex eo efformari dictamen ultimum practicum certum. — Resp. Utrum verum sit antecedens, videat quilibet perpendens duas priores probationes; profecto earum praemissas, maxime prob. 1ae, moraliter certas censemus. Praeterea dictamen ultimum practicum certum efformari potest saltem reflectendo supra utrumque systema probabilismi et probabiliorismi, prouti expositum est in prob. 3a et 4a.

Inst. Probabiliorismus est probabilis: ergo probabilismus non est doctrina certa. — Resp. Ad mai. dist.: est probabilis intrinsece, neg., mere extrinsece, conc. Nam etsi auctoritas praeclarorum virorum, qui probabiliorismum defenderunt, diffidentiam quamdam nobis ingerat, ne forte evidentia veritatis probabilismi tanta non sit, quantam esse credimus; tamen quoniam eius demonstratio nobis cum aliis auctoritate praestantissimis viris, et numero longissime pluribus, certo concludens et obiectiones contrariorum certo solutae apparent, illiusmodi diffidentiam reputamus levem, quae proinde moralem certitudinem a nobis non tollit. — Praterea si cui probabilismus non esset speculative certus, adhuc dictamen certum efformare prosset practice ex prob. 3a et 4a.

24 Ad conscientiam in dubiis ultimo efformandam inservient praeterea regulae sequentes:

1° *Lex dubia non obligat.* Huius principii sensus et veritas colligitur ex supradictis.

2° *In dubio standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* Quia praesumptio solet parere certitudinem moralem saltem latam. Porro praesumptio solet erui ex ordinarie contingentibus. Quare si dubites, num hoc mane tempore solito horas recitaveris, has repetere non teneris; nam cum soleas quotidie horas statuto tempore recitare, inde praesumptio exsurgit de peracta recitatione. Pariter vir timoratus, qui solet tentationibus resistere, praesumitur non consensisse, siquando de praestito consensu dubitet.

3° *In dubio standum est pro valore actus*, id est actus praesumitur validus, quando positum fuisse constat, et tantum dubitatur de aliqua circumstantia aut condicione aut de modo debito; ratio est, quia actus poni solent validi. Hinc non teneris iterum confiteri, si deinde incipias dubitare, an cum sufficiente dolore confessus fueris.

4° *In dubio standum est pro minimo.* Quia lex non censetur obligare ultra id quod clare exprimat; ultra id enim est lex dubia.

5° *In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda.* Odiosa autem intelliguntur non solum ea quae continent poenam, sed etiam quae laedunt ius tertii aut derogant bono communi. Odiosae igitur sunt multae dispensationes.

6° *Factum non praesumitur, sed probari debet.* Intelligitur de dubio circa factum principale; nam circa circumstantias, dictum est in 3°.

7° *In dubio pars tutior est sequenda.* Intellige dubium ultimo-practicum aut dubium speculativum de mera licitudine non agens.

Quaeres 1°: Quid sentiendum de principio: *In dubio melior est condicio possidentis?* — Resp. 1°: Hoc principium valet *in materia iustitiae*, tum pro foro externo, ut eruitur ex Iure Can. sive veteri (reg. 65 in 6°) sive recenti (can. 1694-1698) et ex CC. civilibus; tum etiam pro foro interno, quia regulae pro foro externo possunt interno foro applicari (nisi constet praesumptionem, in qua nituntur, in aliquo casu particulari esse falsam), ut constat ex communi sensu moralistarum. Et haec quidem omnia valent etiam pro casu dubii non stricti, id est etiam pro casu, quo contra possessorem adsunt rationes graviores quam pro eo; immo etiamsi adsint aliquanto graviores, non tamen ad certitudinem saltem moralem latam pertingentes. Ita enim fert praxis tribunalium. Nec deest ratio; nam possessio (supponitur coniuncta cum bona fide) non est mera et materialis detentio rei, sed ipsa fundat verum ius; definitur enim a iuristis « ius insistendi in re etc. »[1]. Ergo possessor hoc ipso ius certum habet, a quo deturbandus non est, donec rationes convincentes in contrarium afferantur[2]. Ita etiam sentiunt theologi[3]. — Resp. 2°: Valet etiam *in materia distincta a iustitia* (seu in quasi-possessione), etiam in foro interno et etiam in dubio non stricto (atque ita hoc principium applicuimus in n. 20 Prob. 1). Et sane currit eadem ratio ac pro iustitia; homo enim habet *ius* utendi sua libertate in qualibet materia, a quo spoliandus non est, donec rationes convincentes afferantur in contrarium[4]. 25

---

1 WERNZ, *Ius Decr.*, t. 5, l. 1, p. 3, s. 3, n. 489.

2 Nec sufficerent rationes *probabiles* tantum, ut habes ex S. ALPH., l. 1, n. 36.

3 Cf. LACROIX, l. 3, p. 2, n. 563, TAMBURINI, l. 1, c. 3. § VII, BALL. P., t. 2, n. 130, obi. 3ª et n. 151-159; LEHMK. I., n. 197 et 966.

4 Cf. SUAREZ, *De Voto*, l. 4, c. 5, n. 7 et FERR. I., n. 143.

26 *Quaeres* 2°: Teneris adhuc obligatione, quando cum solida probabilitate iudicas te illi iam satisfecisse? — Resp.: Duplici modo evenire potest, ut ita iudices. Primo *probabilitate iuris;* scilicet quia posuisti actum, qui iuxta sententiam probabilem sufficit ad adimpletionem, v. gr. accusasti in confessione solum species et numerum peccatorum, non autem circumstantias aggravantes. Principia probabilismi applicantur hic directe, non enim constat de lege aliter obligante. — Altero modo *probabilitate facti;* iudicas scilicet, probabiliter te iam posuisse actum praeceptum, v. gr. accusasse peccatum vel adimplevisse votum. Respondeo te, etiam in hoc casu, ad nihil teneri. Nam si vere probabile est legi satisfactum fuisse, iam quaelibet exactio in futurum habet contra se illam probabilitatem ideoque evadit dubia; ergo nequit praevalere contra libertatem; haec enim, utpote antecedens omnem legem, est in possessione contra quamlibet obligationem, de qua non satis constet[1]. — Opponunt adversarii: Constat de lege, ergo haec est in possessione, donec certo adimpleta sit. Resp. 1°: Dist. antec; constat latam fuisse legem, conc.; constat de lege hic et nunc adhuc obligante, neg. — 2° Legem possidere, nihil amplius significare potest nisi me adhuc ligari legis vinculo[2]. Ex quo ergo incepit esse dubium, num legis vinculo adhuc tenear, incepit quoque esse dubia possessio legis, ideoque iam praevalet libertas, cuius possessio hanc legem antecedebat. — 3° Saltem fateri debent omnes, quod exstante doctorum controversia obligatio satisfaciendi legi, cui iam probabiliter satisfactum fuit, est dubia; ergo omnes, quotquot probabilistae sunt, fateri debent non dari, saltem practice, obligationem.

Haec tamen dicuntur pro statu *opinionis*. Nam pro statu dubii circa factum, quando scilicet constat de lege et *negative* dubitatur, an positus fuerit actus ab ea praeceptus, tunc certe lex possidet; ipsa enim retinet ius suum, donec probabiliter censeri possit exstinctum (cf. n. 21 3°).

27 *Quaeres* 3°: Quomodo obligatur confessarius uti opinionibus probabilibus in directione poenitentium?[3] — Resp.: Imprimis iuvat semper benigniora amplecti; excipe, si inde periculum exsurgat peccati formalis, ut in re venerea etc.; n u m q u a m tamen imponenda est ulla o b l i g a t i o s t r i c -

---

1 Suarez, *De Poen.*, d. 22, s. 9; Lugo, *De Poen.*, d. 16, s. 2, et moderni permulti. Plures tamen exceptionem statuunt pro solutione debitorum ex iustitia; sed de hac re vid. n. 283.

2 Ball. P., tr. 2, n. 154.

3 De hac quaestione optime Lugo, *De Poen.*, d. 22. n. 41 seqq. et in *Resp. mor.*, l. 1, dub. 26.

ta, nisi de ea moraliter certo constet. Deinde non potest confessarius impedire, quominus poenitens sequatur sententiam, quae a Doctoribus haberi soleat ut probabilis, etiamsi haec illi non probetur; immo omnino perperam aget, si poenitenti obligationem imponat, quando is revera ob aliquam sententiam solide probabilem ab obligatione eximitur; confessarius enim, excepta iniunctione poenitentiae, non est obligationum adstructor, sed tantum exsistentium declarator.

Attamen si poenitens obstinate sequi velit, cum proprio aut alterius damno, sententiam, quam bona fide credit probabilem, et confessarius certo videt probabilitate destitutam, potest quidem absolvi, non est enim cur dicatur indispositus; sed potest etiam inabsolutus dimitti; nam non videtur eiusmodi fuisse quasi-contractus cum poenitente, ut confessarius teneatur eum absolvere, etiam ubi hic in certo errore obstinate persistere contenderit.

Quaeres 4°: An licet uti sententiis probabilibus oppositis? 28
— Resp.: Nihil obstat quominus modo hanc modo illam sequaris, nisi id facias in actu moraliter eodem contra ius tertii, aut cum infractione certa alicuius legis. Ex. gr.: non potes hereditatem adire ex testamento informi, eo quod tale testamentum probabiliter sit validum, et simul non solvere legata in eodem testamento contenta, nixus probabilitate contraria; nam hereditatem cum legatis retinens agis certo contra ius tertii, id est vel legatarii vel heredis ab intestato.

TRACTATUS II.

DE LEGIBUS

Art. 1. Lex.

Lex stricte sumpta seu quatenus a simplici praecepto **29**
aliave agendi norma distinguitur, definiri solet cum S. Thoma: «Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata».

Differt ergo lex a *praecepto*. Hoc enim personae privatae imponitur, illa communitati (non quidem his, qui nunc communitatem efformant, sed communitati qua tali); hoc privatum bonum intendere potest, illa necessario commune; hoc personale est, seu personas, quibus datum est, ubicumque obligat, illa est territorialis (can. 8), seu finibus circumscripta regionis sub iurisdictione legislatoris; hoc exspirat cum morte praecipientis aut cum eius remotione ab officio, illa nisi ad praefinitum tempus lata fuerit, mortuo legislatore perdurat[1].

Leges ferre possunt in Ecclesia: *a*) Romanus Pontifex **30**
pro tota Ecclesia; *b*) Concilium generale item pro tota Ecclesia, dummodo Rom. Pontifex per se vel per suos legatos eius decreta confirmet; *c*) Episcopi pro sua dioecesi (can. 335, 362, sed non Patriarchae aut Archiepiscopi pro dioecesibus suffraganeorum). Debent tamen potestatem suam exercere ad nor-

1 In quibusdam Ordinibus religiosis statutum fuerat, ut praecepta resoluto praecipientis iure non cessarent; quo in casu iam non persona, sed Ordo ipse censetur imponere praeceptum. Attamen ex dispositione novi iuris (can. 24), cui illa statuta derogare nequeunt (can. 489), praecepta, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint, cessant resoluto iure praecipientis.

mam sacrorum canonum (can. 335) ideoque non possunt vetare quod in iure communi expresse permissum est, aut permittere quod in eo expresse est vetitum; *d*) Concilia provincialia pro suis provinciis; *e*) Concilia plurium simul provinciarum seu Plenaria pro suo universo territorio, dummodo eorum decreta a S. Congr. Concilii recognita fuerint (can. 291).

31 *Ius commune Ecclesiae hodie vigens* continetur in Codice Iuris Canonici, qui per Const. « Providentissima » a Benedicto PP. XV promulgatus vim habere incepit die Pentecostes, seu 19 maii, anni 1918; non tamen Ecclesiam Orientalem obligat, nisi res natura sua eam quoque afficiat (can. 1).

Per hunc abrogantur *a*) praecedentes leges quaelibet praescriptis Codicis oppositae, sive universales sive particulares; *b*) poenae omnes hucusque in vigore, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales vel temporales, medicinales vel vindicativae, latae vel ferendae sententiae; *c*) quaelibet disciplinares leges hucusque vigentes et nec explicite nec implicite in Codice contentae[1]; *d*) consuetudines contrariae antea exsistentes, nisi centenariae sint vel immemorabiles et iudicio Ordinarii prudenter submoveri non possint neque in Codice expresse reprobentur[2].

Non tamen abrogantur: *a*) leges, quae in liturgicis libris reperiuntur; *b*) Concordata cum variis Nationibus; *c*) iura aliis quaesita itemque privilegia atque indulta personis sive physicis sive moralibus[3] concessa et hucusque non revocata; *d*) praescriptiones natura sua temporariae ac transitoriae[4].

Ad Codicis canones authentice interpretandos Commissio Pontificia permanens a Bened. XV creata est Motu proprio « Cum iuris », d. 15 sept. 1917.

Auctoritas Pontificia in plerisque negotiis exercetur per Congregationes, Tribunalia, Officia, quae Romanam Curiam constituunt et nomine Sedis Apostolicae vel S. Sedis in Codice veniunt (can. 7). Ea autem, iuxta can. 243, reguntur normis tum generalibus tum particularibus Constitutioni « Sapienti

---

1 Non tamen abrogatae sunt leges disciplinares ante Codicem latae eidemque non oppositae, quae, ad particulares circumstantias temporis ac loci relationem habentes, natura sua temporariae sunt et transitoriae, prouti circa leges de emittendo iuramento antimodernistico et de religosis servitio militari adscriptis declaravit S. Off. 22 mart. 1918 et S. C. de Relig. 15 iul. 1919.

2 Constant haec omnia ex can. 5 et 6.

3 Personae morales, publica auctoritate constitutae, sunt ecclesiae, Seminaria, beneficia, Ordines et communitates religiosae etc. (can. 99).

4 Ita constat ex can. 2, 3, 4, 6 et ex Decr. S. Off. 22 mart. 1918.

consilio » a die 3 nov. 1908 vigenti adnexis, et canonibus 244 - 264 [1].

Lex promulgari debet et quidem publice, non enim obli- 32
garet eius notitia tantum privata. Statim autem ac promulgata est, obligare incipit, nisi aliud legislator statuerit.

« Leges ab Apostolica Sede [2] latae promulgantur per edi-

---

1 Congregationes et Tribunalia, quae frequentius in re morali audiunt, sunt:

a) *Congregatio S. Officii*, ad quam res pertinent dogmaticae, iudicia de haeresi aut haereseos suspicione, facultas circa privilegium Paulinum, impedimenta disparitatis cultuum et mixtae religionis, materia de prohibitione librorum et quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus celebrantibus respiciunt.

b) *Congregatio Consistorialis*, quae parat agenda in Consistoriis, promovendos proponit ad episcopatum, vigilat supra obligationes Episcoporum, relationes cognoscit de statu dioecesium.

c) *Congregatio de disciplina Sacramentorum*, cui universa de istis legislatio incumbit, salvis iis, quae aliis Congregationibus reservata sunt.

d) *Congregatio Concilii*, cui universa disciplina commissa est cleri saecularis populique christiani, ea proinde quae parochos, canonicos, pias sodalitates (etiamsi a religiosis dependentes), pia legata, Missarum stipes, beneficia aut bona ecclesiastica, taxas Curiarum, Conciliorum celebrationes spectant. — Huic S. Congregationi peculiare Officium a Pio XI *Motu proprio* 29 iun. 1923 institutum est, cuius sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere (A. A. S. a. 1923, p. 327).

e) *Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita*, quae res sibi vindicat respicientes regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum utriusque sexus, eique reservatur concessio dispensationum a iure communi pro iisdem.

f) *Congregatio de Propaganda Fide*, cuius iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi status missionis perseverat.

g) *Congregatio Sacrorum Rituum*, cuius ius est videre et statuere omnia ad sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae pertinentia, omniaque agere, quae ad canonizationem Sanctorum vel sacras reliquias referuntur.

h) *Sacra Poenitentiaria*, quae iurisdictionem habet in ea, quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt, ideoque pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, sanationes, dirimit quaestiones conscientiae, iudicat de usu et concessionibus indulgentiarum.

« Controversiam, si qua exoriatur de competentia inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanae Curiae, dirimit coetus S. R. E. Cardinalium, quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit » (can. 245). Ita iam quaedam dubia dirempta sunt 7 dec. 1922 (A. A. S. anno 1923, pag. 39).

2 Haec regula perpetuo tenenda est ad recte intelligendos canones novi iuris: « Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi rei et natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet » (can. 7).

tionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus, et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die, qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta » (can. 9) [1].

« Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur » (can. 335); solent autem promulgari per editionem in aliqua ephemeride dioecesana officiali.

33 *Interpretatio legis* facienda est iuxta mentem legislatoris, quae imprimis ex propria verborum significatione colligenda est, considerato textu et contextu. Quod si dubium adhuc manet, ad locos iuris parallelos, si qui sint, recurritur, ad legis finem et rei circumstantias, ad consuetudinem quoque,

---

1 Leges civiles in *Arg.*: « ... Si no designan tiempo, la ley publicada en la Capital de la República o en la Capital de la Provincia es obligatoria desde el día siguiente de su publicación; en los departamentos de campaña, ocho días después de publicadas en la ciudad Capital del Estado o Capital de la Provincia » (C. C. a. 2). — In *Bras.* lex vigere incipit in Districtu Foederali tribus diebus postquam officialiter edita fuit, quindecim in Statu Rio de Janeiro, triginta in Statibus maritimis et Minas Geraes, centum in ceteris et in circumscriptionibus nondum in Statum constitutis, quatuor denique mensibus in exteris nationibus (a. 2). — In *Chil.* promulgatio fit in ephem. officiali (a. 6), et « En el departamento en que se promulgue la ley... se mirará como obligatoria después de seis días contados desde la fecha de la promulgación; y en cualquier otro departamento, después de estos seis días y uno más por cada veinte kilómetros de distancia entre las cabeceras de ambos departamentos » (C. C. a. 7). — In *Col.* obligatio incipit duobus mensibus, postquam lex edita est in ephemeride officiali (C. C. a. 52 legis 4ae anni 1913). — In *Gall.* lex viget Parisiis die sequenti, postquam edita est in ephem. officiali, in reliquis circumscriptionibus die sequenti postquam ephem. officialis ad urbem principem pervenit (decr. 5 nov. 1870). — In *Hisp.* leges promulgantur in ephem. officiali « La Gaceta »; praeceptivae obligare incipiunt post dies viginti a promulgatione (C. C. a. 1), permissivae statim post promulgationem (cf. Ferreres in ephem. « Razón y Fe », sept. 1917, pag. 97). — In *Lus.* promulgatio fit in ephem. officiali « Diario do Governo », et lex vim habere incipit post tres dies Ulyssipone, alibi post dies quindecim. — In *Mex.* lex viget ab ipso promulgationis die in loco, ubi promulgatur; alibi totidem dies exspectandi sunt, quoties 20 kilometris locus distet a loco promulgationis (a. 2 - 4). — In *Ur.* leges promulgantur in forma Gubernio benevisa, censenturque cognitae transactis decem diebus ab earum in Capitali urbe promulgatione (a. 1).

quae est optima legum interpres[1]. Liquet praesertim eam interpretationem reiiciendam esse, ex qua sequeretur aliquid iniquum vel absurdum. Lex intelligitur extendi ad correlativa[2]; plerumque enim, ni ita esset, legislator imprudentiae argueretur; item ad connexa, seu quorum unum continetur in altero; v. gr. qui cum illegitimo dispensare potest ad suscipiendum presbyteratum, idem potest cum eodem pro diaconatu aut alio inferiore ordine[3].

---

1 Ita etiam, fere ad verbum, can. 18 et 29. Optimas interpretationis regulas reperies quoque in C. C. *arg.* a. 16, *mex.* a. 20, 21, sed praesertim in *chil.* a. 19 - 24, *col.* a. 25 - 32, *ur.* a. 12 - 20.

2 Excipe tamen leges ecclesiasticas poenales, nam can. 2219 vetat « poenam de persona ad personam vel de casu ad casum producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior », nisi plures ad delictum perpetrandum concurrerint conspiratione, mandato, consilio, cooperatione necessaria (can. 2231, 2209).

3 Praeterea tamquam regulas ad canones novi iuris interpretandos, sequentia statuit can. 6: « Canones, qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi. Canones, qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi. In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ».

Et can. 20: « Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum ».

Et can. 19: « Leges, quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi ».

De interpretatione authentica (hanc exercet Commissio Pontificia specialis) eiusque vi, cf. can. 17. — Magni momenti est ad interpretandos in praxi applicandosque plurimos canones, declaratio *de temporis supputatione*, contenta in lib. 1 tit. III, nimirum: « Salvis legibus liturgicis, tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad normam canonum qui sequuntur » (can. 31).

« § 1. Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus. — § 2. In iure nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario » (can. 32).

« § 1. In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium. — § 2. Quod attinet ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum iuris civilis in territorio vigentis » (can. 33).

« § 1. Si mensis et annus designentur proprio nomine vel

In dubio iuris, id est in dubio (inextricabili) de *sensu* legis, lex non urget (can. 15; cf. etiam n. 21 NB. 2 *c*).

Art. 2. Obiectum.

34 **Obiectum** legis est id omne et solum, quod ad bonum commune conferre potest. — Quare legis *obiectum sunt* etiam actus, in quibus pars externa unum morale efficit cum interna (v. gr. ut iuramentum sine fictione proferatur), aut etiam actus externi occulti, etsi per accidens puniri nequeant. — At legis civilis *obiectum non sunt* actus mere interni, cum ad illius finem, bonum commune externum, non conducant. Num hi ab Ecclesia praecipi possint directe, controvertitur; certe possunt praecipi indirecte, v. gr. actus fidei per definitionem dogmaticam, internae aspirationes ad Deum tamquam condiciones lucrandarum indulgentiarum etc.; certe quoque iniungi possunt a confessario, quoniam id sui muneris indoles poscit.

Actus heroici, quoniam ordinarias hominum vires excedere censentur, sub legem humanam generatim non cadunt; quandoque tamen eos honum commune necessario exigit, cui tunc bonum privatum cedere debet, v. gr. defensio patriae in bello. Sub legem divinam certe cadunt, v. gr. mortis perpessio ob fidem non negandam; vires enim Deus, qui id praecipit, largitur.

---

aequivalenter, ex. gr., *mense februario, anno proxime futuro*, sumantur prout sunt in calendario. — § 2. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr. *suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses* etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365. — § 3. Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur: 1° Menses et anni sumantur prout sunt in calendario; 2° Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr., *duo vacationum menses a die 15 augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri; 3° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr., *decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decennium ad appellandum* etc., primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri; 4° Quod si mensis die eiusdem numeri careat, ex. gr., *unus mensis a die 30 ianuarii*, tunc pro diverso casu tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis; 5° Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr., *triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam* etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eumdem diem poni potest ». (can. 34).

Art. 3. Subiectum.

Subiectum *legis naturalis* est omnis homo, etiam amens 35
vel infans, haec enim lex fundatur in ipsa hominis natura. Non licet ergo quemquam, etiam amentem aut infantem, ad intrinsece mala provocare.

Legis humanae subiectum sunt omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes. Excluduntur igitur infantes et amentes, quibus pauca sunt lucida intervalla; non enim sunt habitualiter a lege dirigibiles, ideoque licet v. gr. iis carnes porrigere die prohibito.

Lege ecclesiastica igitur non tenentur infideles, utpote 36
qui Ecclesiae subditi non sunt, nec baptizati, qui sufficienti rationis usu non gaudent (can. 12). Ex speciali statuto Iuris legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui septimum aetatis annum nondum expleverunt[1], licet rationis usum assecuti, nisi aliud lex expresse caveat (can. 12); nec statutis Iuris Canonici tenentur Orientales[2], nisi in iis, quae ex ipsa rei natura eos quoque afficiunt.

Ecclesiae quidem subiacent baptizati haeretici et schismatici. Sentiunt aliqui Ecclesiam eas leges, quae spiritualem profectum directe intendunt, v. gr. circa abstinentiam vel auditionem Missae, in eos nolle urgere[3]; potius tamen dixeris eos leges transgrediendo excusari ob bonam fidem[4].

Peregrini dicuntur ii, qui versantur extra domicilium 37
aut quasi-domicilium, quod adhuc retinent (can. 91). *Vagi* ii, qui nullibi domicilium habent vel quasi-domicilium (can. 91).

Patet *peregrinos* non teneri legibus particularibus sui *territorii*, *in quo non versantur*[5] (can. 14, § 1, 1°), sed nec eius privilegiis territorialibus posse frui. Quare hispanus Galliam lustrans non obligatur audire Missam die 25 iulii, quae

---

1 Ii vocantur infantes, hoc enim nomine intelliguntur in Iure Canonico impuberes ante plenum septennium, dicunturque etiam pueri vel parvuli (can. 88, 3°).

2 Quis ad quem ritum pertineat, decernitur can. 98. Generatim ad illum ritum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit, integrumque est mulieri ad ritum viri transire et matrimonio soluto proprium ritum resumere. — Qui ad preces parentum, contra can. 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertinent ad ritum, in quo baptizari debuissent, ut declaravit Comm. I. C. 16 oct. 1919 ad 11.

3 Gén. *S.* n. 111.

4 Wernz, *Ius Decr.*, t. 1, n. 103, nota 80.

5 Est iuris principium: lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet (can. 8).

est lex particularis Hispaniae; sed chilensis in Argentina tenetur eam audire in festo Epiphaniae, nam haec lex est universalis, etsi in Rep. Chil. ob privilegium particulare non vigeat. — Peregrini probabilius non tenentur legibus particularibus *territorii, in quo versantur;* nam ibi subditi non sunt[1], (can. 14, § 1, 2°); at fruuntur privilegiis territorialibus illius regionis. Quare gallus, peregrinus in Hisp., non tenetur ad Missam die 25 iulii, cum haec sit lex particularis Hispaniae, nec argentinensis in Rep. Chil. die 6 ian., cum ibi obligatio ob privilegium non exstet. — Uno verbo, peregrini solis tenentur legibus universalibus vigentibus in loco, ubi versantur (can. 14, § 1, 3°).

Vagi frui quidem possunt privilegiis territorialibus loci, in quo versantur, sed quoad leges ecclesiasticas non eximuntur ab eius legibus particularibus[2] (can. 14, § 2).

38 «§ 1. *Domicilium*[3] acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi - paroecia[4], aut saltem in dioecesi[5], vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio *vel* coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, *vel* sit protracta ad decennium completum. — § 2. *Quasi - domicilium* acquiritur commoratione uti supra, quae *vel* coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem

---

1 Modo vitetur scandalum; attamen bonum commune exigit, ut contractuum sollemnitates ineant iuxta leges ibi vigentes, atque ut eorum delicta ibi puniri possint.

2 Quae supra diximus, iam quoad leges ecclesiasticas controversiae nulli subiacent, quoniam in Iure Canonico expresse statuuntur.

Praeter *peregrinos* et *vagos* nominantur etiam in Iure Canonico *incolae* et *advenae*, de quibus tamen nunc, quoad legum obligationem in genere, nihil speciale dicendum venit.

Persona dicitur *incola* in loco ubi domicilium, *advena* in loco ubi quasi - domicilium habet (can. 91).

3 Domicilium vel quasi - domicilium, de quo nunc dicemus, est ecclesiasticum. Quomodo vero acquiratur vel amittatur iure civili, vide C. C. *arg.* a. 89-102, *br.* a. 31-34, *chil.* a. 59 seqq., *col.* a. 76-89, *gall.* a. 102-109, *hisp.* a. 40, *lus.* a 42-54, *mex.* a. 27-37, *ur.* a. 24-36.

4 *Paroeciae* sunt partes dioeceseos, cum peculiari ecclesia et populo determinato, quibus peculiaris rector tamquam proprius pastor praeficitur pro animarum cura. Partes vicariatus apostolici ac praefecturae apostolicae, si peculiaris rector eisdem fuerit assignatus, appellantur *quasi - paroeciae* (can. 216). Circa naturam quasi - paroeciarum vel missionum dioecesium olim iurisdictioni S. C. de Prop. Fide subiectarum, cf., sis, declarationem S. C. Consist. 1 aug. 1919.

5 Potest enim quis (v. gr. proxeneta) intra fines dioeceseos longo tempore manere, vagans per paroecias; is iuxta can. 92, 1° vagus non est.

anni [1] partem, si nihil inde avocet, *vel* sit reapse protracta ad maiorem anni partem [2]. — § 3. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale;* in dioecesi, vicariatu, praefectura, non autem in paroecia vel quasi-paroecia, *dioecesanum* » (can. 92) [3].

« § 1. Uxor a viro legitime non separata necessario retinet domicilium viri sui; amens domicilium curatoris; minor [4] domicilium illius cuius potestati subiicitur. — § 2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata [5], legitime autem separata etiam domicilium » (can. 93) [6].

---

1 Etsi nomine « anni » intelligitur ex can. 32 « spatium 365 dierum, nisi annus dicatur sumendus prout est in calendario », tamen in praesenti can. 92 « maior anni pars » intelligenda est, ait BLAT, *Comment. text.* II n. 12, ultra sex menses, quia canon « ex hac parte cum veteri iure congruit » (can. 6, 3°).

2 Igitur domicilium aut quasi-domicilium acquirit in carcere, qui in illum in perpetuum aut ad maiorem anni partem detruditur; quasi-domicilium in domo heri puella se ei famulam addicens; in convictorio puer vel puella, quae ibi ad maiorem anni partem vel amplius a parentibus vel tutore collocatur. At quasi-domicilium non acquirit in villa, qui ad eam se confert animo intra breve tempus redeundi et deinde ibi diu ob successiva negotia detinetur, non tamen per maiorem anni partem.

3 Nonnulla igitur immutatio facta est novo iure in notione domicilii et quasi-domicilii; nam, iuxta ius, quod viguit usque ad diem 19 maii 1918, neutrum habebatur nisi cum facto commorationis coniungeretur etiam intentio manendi perpetuo vel ad maiorem anni partem. Quae quidem adverti adhuc debent ad diiudicandum de valore matrimoniorum ante illum diem contractorum. Cf. etiam dicenda in tract. de Matrim.

4 Minor quoad leges canonicas est persona, quae vicesimum aetatis annum nondum explevit (can. 88).

5 Uxor igitur legitime non separata potest quidem acquirere quasi-domicilium, non autem domicilium; propterea de uxore a viro malitiose deserta respondit Comm. I. C. 14 iul. 1922 ad 1, eam non posse obtinere proprium ac distinctum domicilium, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam, aut ad tempus indefinitum.

6 Domicilium vel quasi-domicilium, de quo in can. 92, et quasi-domicilium, de quo in altera parte can. 93, dicitur *voluntarium;* domicilium vero, de quo in priore parte eiusdem can. 93, *legale* seu necessarium. Potest igitur quis domicilium simul et quasi-domicilium habere; v. gr. minorennis, quae ad aliam urbem aufugit, ut ibi concubinarie degat, domicilium retinet parentum et quasi-domicilium acquirit in domo amasii; item alumni convictores, de quibus nuper dictum fuit. Immo potest quis plura simul habere domicilia, v. gr. si domicilium simul legale habeat cum voluntario. Quasi-domicilium legale seu necessarium silentio praeterit Codex, satis hoc modo innuens in iure novo non admitti; putat, tamen Verm. Creus n. 167 istud admittendum esse pro uxore minorenni vel amente, cum, quasi-domicilio proprio deficiente, istud tantum habeat et non domicilium vir vel persona, cui illi subsunt.

«§ 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum et Ordinarium sortitur. — § 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci, in quo vagus actu commoratur. — § 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci, in quo actu commorantur» (can. 94).

«*Domicilium et quasi-domicilium amittitur* discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93»[1] (can. 95), id est, salvis praescriptis de domicilio legali.

Art. 4. Obligatio.

39 **Obligatio** legis adimpletur, si ponatur opus praescriptum, nec requiritur intentio adimplendi legem, nam haec intentio non paecipitur. Ex. gr. satisfacit praecepto qui audit Missam, etsi ignoret esse diem festum, immo etsi id sciens statuat illam audire ex mera devotione, aliam postea auditurus.

Qui in lege adimplenda peccat, satisfacit nihilominus legi, dummodo peccatum sit operi praecepto extrinsecum. Satisfacit igitur praecepto audiendi Sacri, qui dum id audit, pravis inhaeret cogitationibus; at non satisfaceret praecepto communionis paschalis, qui communicaret sacrilege.

40 *Praecepta varia* adimpleri possunt unico actu, si respiciunt eamdem materiam et ob idem motivum. Igitur unico Sacro satisfacis die Nativitatis incidente in Dominicam, at non unico satisfaceres et praecepto Ecclesiae et poenitentiae sacramentali; attamen confessarius iniungens auditionem Sacri per mensem praesumitur nolle obligare ad duo die festo.

Praecepta diversa possunt etiam adimpleri simul diversis actibus, si isti sint sociabiles, v. gr. recitare Horas aut poenitentiam inter audiendum Sacrum; non tamen praesumitur mens confessarii plures Missas iniungentis, ut istae possint audiri simul.

41 Causas **eximentes** seu eas, quibus homo subtrahitur a dominio legis, licet apponere, etiamsi apponantur unice ad obligationem evadendam; v. gr. die ieiunii licet sese recipere in locum, ubi illud non viget. Ratio, quia lex non te obligat, ut maneas subditus.

Causae **impedientes** eae sunt, quae homini sub lege manenti eius observantiam physice vel moraliter impossibilem

---

[1] Eodem modo amittebatur ante novum ius.

reddunt. Has causas apponere *proxime* (i. e. lege iamiam urgente) non licet sine causa proportionate gravi; nam lex obligat ad ponenda media ordinaria, ut servari possit[1]; v. gr. non liceret sine sufficienti causa arripere sabbato hora 11ª noctis iter toto mane festi duraturum, aut die ieiunii assumere laborem cum ieiunio incompossibilem. At *remote* licet eas apponere, etiam sine causa; non enim censetur legislator adeo libertatem velle coarctare; v. gr. licet, etiam ex mera recreatione, diuturnam navigationem suscipere, etsi praevideatur impossibilitas audiendi Sacri; immo nec desunt qui id ahuc licitum putant, etsi fiat unice ad evadendam obligationem. — Eo autem citius incipit obligatio non apponendi impedimentum, quo gravior est lex et quo rarius eius obligatio incidit; propterea leges, quae saepe recurrunt, ut abstinentia, assistentia Missae etc. non prohibent apponi impedimentum, nisi cum iam fere instant.

Lex obligat sub gravi, si materia gravis est (materia levis **42**
est incapax praecepti gravis), nisi legislator expresse declaret se obligationem imponere dumtaxat levem. Sed adverte materiam gravem iam haberi ex eo solum, quod multum conducat ad finem magni momenti, quem lex intendit, v. gr.: sumptio minimi cibi ante communionem. — Etiam in lege leviter obligante transgressio erit gravis, si contemnatur ipsa auctoritas legislatoris, secus autem si eius persona, quae v. gr. minus solers iudicetur.

Lex positiva, praesertim humana, generatim non urget **43**
cum gravi incommodo legi extrinseco; lex enim debet esse hominum imbecillitati accommodata; ad excusandum autem incommodum maius minusve requiritur pro legis natura et circumstantiis; sic, leges positivae divinae gravius urgent quam humanae. Diximus « lex affirmativa humana »; nam naturalis aut divina negativa, qua vetantur intrinsece mala, numquam obligare desinunt. Diximus « generatim »; nam si legis laesio in malum commune aut contemptum religionis cederet, nullum incommodum excusat, v. gr. a defensione urbis contra hostes aut a non parendo praecipienti esum carnis in odium fidei sub comminatione mortis. Diximus « cum gravi incommodo legi extrinseco »; difficultas enim legi intrinseca non tollit obligationem v. gr. confessionis integrae; haec enim difficultas, utpote legis adimpletioni intrinseca, ipsa cadit sub praecepto.

---

1 Legislator praecipiens finem praecipit implicite media ordinaria, v. gr. arripere rhedam publicam urbanam, si opus est, ut ad templum te conferas die festo, vel expensas consuetas subire, ut cibos licitos emas die abstinentiae.

44 *Lex irritans* ea est, quae invalidum reddit actum, qui seclusa lege validus esset de iure naturali; quod si illum indirecte tantum reddat invalidum, eo quod personam faciat incapacem seu inhabilem ad ponendum actum, dicitur lex inhabilitans. Iex irritans ordinarie imponitur ob motivum boni communis, et tunc effectum suum obtinet non obstante legis ignorantia [1]; et saepe quidem actus iam ab initio fit nullus, ut matrimonium initum cum impedimento dirimente, aliquando tamen nonnisi post sententiam iudicis. At si lex imponatur in poenam, irritatio locum non habet cum legis ignorantia, haec enim a culpa atque ideo a poena excusat [2].

45 *Lex pure poenalis* non obligat praecise ad actum, sed disiunctive vel ad actum vel ad acceptandam poenam; huiusmodi lex frequenter in iure civili reperitur, admodum raro in iure ecclesiastico.

Sententia iudicis, si fundatur in praesumptione periculi generalis, obligat, etiamsi nulla commissa fuerit culpa theologica, puta si poena mulctaris ob damna ab equo illata sine tua culpa. Verum non obligat, si falso fundatur in praesumptione facti, puta si damna ab equo non fuerunt illata; quod si tunc ratione vitandi scandali tenearis ad solvendum, poteris postea te compensare.

46 *Cessat lex*:

1° abrogatione, ut patet; ad quod sufficit novam legem ferri, quae praecedenti sit contraria, vel novam, quae totam de integro ordinet legis prioris materiam [3]; legislator enim cum leges condit, censetur leges generales antea latas non ignorare. Censetur vero ignorare particularia; ideoque lex generalis non derogat statutis particularibus aut privilegiis, nisi revocatio fiat expresse per additam convenientem

---

1 Diserte statuit can. 15: « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ». Et can. 11: « Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur ». Et can. 16 statuit tamquam principium: « Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur ».

2 Ignorantia vel error circa legem aut poenam generatim non praesumitur (can. 16).

3 Consonat can. 22.

clausulam [1]. Quaenam novus Iuris Canonici Codex abrogaverit vel secus, diximus in n. 31.

2° Consuetudine contraria debitis vestita condicionibus, quas inter praecipue recensetur, ut sit rationabilis seu communi bono non praeiudicans, atque ut a legislatore per consensum saltem iuridicum seu modo generali expressum in iure fuerit approbata [2]; quare confundenda non est consuetudo iuris seu vim habens legalem cum consuetudine facti seu mere materiali [3].

3° Cessante legis fine totali pro communitate, nam tunc lex evadit in se inutilis. At pro aliquo particulari cessat quidem lex, si eius finis cessat contrarie, id est, quando grave obstat incommodum (de quo supra n. 43), secus vero si finis cessat tantum negative, id est, si pro illo particulari lex finem non obtineat; bonum enim commune postulat, ut eiusmodi exemptiones, quae multis hallucinationibus ansam darent atque ideo efficaciam legis enervarent, non admittantur; quare si Episcopus tulerit legem, qua sacerdotes iubeantur exercitia peragere in monasterio ad vitandas distractiones, non licet manere domi, etsi quis sciat se ibi multo facilius eas vitare [4].

---

1 Novus Codex expresse abrogat in can. 6, 1° praecedentes leges particulares contrarias, privilegia vero, ex can. 4, nisi in ipsius Codicis canonibus expresse revocentur, integra servat. Monet praeterea in can. 22, 60, 71, ne leges derogare censeantur locorum specialium et personarum singularium statutis nisi ea expresse voluerint revocata, nec privilegia aut rescripta, nisi itidem id dicant, aut nisi legem tulerit Superior eius, qui privilegium aut rescriptum concessit; addit tamen can. 71, per legem generalem revocatum iri privilegia in Codice contenta, quod mirum non est; cum enim clausa sint, ut aiunt, in corpore Iuris, rationem habent legis.

2 Ex statutis novi Iuris canonici, can. 27, 28, nulla in posterum consuetudo sive contra, sive praeter legem legalem vim acquiret, nisi fuerit rationabilis (rationabilis non est, quae in Iure expresse reprobatur, can. 27) et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; imo contra legem, quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis. Nulla tamen futura lex generalis, nisi de iisdem mentionem fecerit, censebitur revocare consuetudines centenarias aut immemorabiles aut consuetudines particulares legitime iam inductas (can. 30).

Iura Civilia consuetudini legibus contrariae vim vel non tribuunt, quoniam de ea silent (C. C. *gall.*), vel expresse denegant (C. C. *arg.* a. 17, *br.* a. 4, *chil.* a. 2, *col.* a. 8, *hisp.* a. 5, *lus.* a. 9, *mex.* a. 8, *ur.* a. 9).

3 Wernz, *Ius Decr.*, t. 1, n. 187 seqq.; Ferr., « Inst. can. », t. 1, n. 169 seqq.

4 « Leges latae ad praecavendum periculum generale urgent, etiamsi in casu particulari periculum non adsit » (can. 21).

Art. 5. Dispensatio.

47 **Dispensatio** est «legis in casu speciali relaxatio» (can. 80)[1]. Data ab ipso legislatore in lege propria aut praedecessorum suorum semper valida est; si tamen detur sine causa, est illicita (generatim solum leviter). At in lege Superioris inferior, sine iusta et rationabili causa (habita ratione gravitatis legis, a qua dispensatur, can. 84, §1), nec licite nec valide dispensare potest peccatque graviter, si materia, a qua dispensat, est gravis; abutitur enim accepta potestate. Hinc peccat quoque qui sine causa dispensationem petit; inducit enim ad peccandum. Attamen in dubio de sufficientia causae dispensatio licite petitur, cum iudicium de sufficientia causae ad Superiorem spectet, potestque in huiusmodi casu licite et valide concedi; nam secus res mille scrupulis pateret[2]. Quodsi probabile iudicetur dispensationem non esse necessariam, haec non requiritur, iuxta dicta de probabilismo.

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio, eo modo quo mox de privilegiis et rescriptis dicemus, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa (can. 85).

48 Quando lex vetat ne aliquid fiat sine voluntate Superioris, tunc non datur dispensatio, sed *licentia*, quae proinde legi consentanea potius quam contraria est, ideoque ad eam concedendam non eaedem requiruntur condiciones, quae ad dispensandum. Praeterea cum illa actio non prohibeatur absolute, sed tantum ne fiat absque Superioris voluntate, et haec in quibusdam casibus censeatur adesse, ideo est locus licentiae praesumptae.

E contra, quando lex actionem absolute vetat, eam malam facit, ideoque opus est eius malitiam positive auferri, ut actio evadat licita, ac proinde dispensationi praesumptae non datur locus.

Aliud est dispensatio, aliud declaratio exemptionis; haec enim non fit vi ullius specialis potestatis.

49 Qui potestatem dispensandi habent ordinariam[3] (id est vi officii Superioris erga subditos), possunt eam alteri delegare (can. 197, §1 et can. 199, § 1); possunt quoque secum cum causa dispensare (can. 201, § 3). Delegatus nequit alium subdelegare, nisi specialem ad id acceperit facultatem, quae tamen intelligitur dari quando aliquis delegatur ad universitatem

---

1 De dispensationibus agit Codex Iuris can. 80-86.

2 Haec habentur etiam expresse in can. 84.

3 Principia generalia de potestate ordinaria et delegata tradit Codex Iuris can. 196-210.

negotiorum (id est ad totum officium ordinarium alterius supplendum, ut accidit v. gr. vacante paroecia in vicario oeconomo, vel in delegato ad omnes certi generis causas v. gr. matrimoniales); is poterit ad singulos casus subdelegare (can. 199, § 3 et 4).

Invalida est dispensatio: *a*) si datur ab inferiore sine causa, ut modo dictum; *b*) Si errores irrepserint in petenda gratia, ita ut nulla vera et sufficiens causa motiva subsistat. Sed error in causa impulsiva non invalidat; quare valet dispensatio concessa improbo, quem Superior probum existimavit; *c*) Si causa motiva fuit falsa tempore concessionis, etsi vera fuerit tempore petitionis[1]. 50

Cessat dispensatio, quando cessant omnes causae motivae, nisi Superior gratiam concesserit absolute; subsistit vero, si adhuc causae ex parte remaneant (can. 86). Quocirca cessat dispensatio a ieiunio concessa ob infirmitatem, si iam plene convalueris, non tamen si infirmitas ex parte remanet. Cessat quoque dispensatio per renuntiationem a Superiore acceptatam aut per revocationem[2]. 51

De potestate dispensandi. « A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii[3] infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet » (can. 81). — « Episcopi aliique locorum 52

---

1 Haec expressa quoque habes in can. 41 et 42, § 2.

2 Manifestum est inhabilitatem, obligationem voti, semel dispensatione data, non posse reviviscere, nisi v. gr. novum votum eliciatur.

3 « § 1. In iure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis. — § 2. Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis » (can. 198). — Citantur hic religiosorum « Superiores maiores », quorum nomine veniunt in Codice Iuris « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes » (can. 488, 8°).

Ordinarii[1] dispensare valent in legibus dioecesanis, et in legibus Concilii provincialis ac plenarii ad normam can. 291, § 2[2], non vero in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, nisi ad normam can. 81 »[3] (can. 82). — « Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit » (can. 83).

In materiis particularibus, v. gr. in votis, observantia festorum, impedimentis matrimonialibus etc., quinam dispensare possint, suis in locis dicetur.

53 *Privilegia*[4] sunt gratiae contra vel prater legem, quae de se perpetuitatem habere censentur; *rescripta* vero sunt responsa a S. Sede in scriptis data, quae generaliter gratiam concedunt ad alicuius instantiam. Utraque in dubio latae interpretationis sunt, nisi tertio praeiudicent aut legi datae in commodum privatorum[5].

Privilegium dicitur personale, si personae directe conceditur ratione ipsius; reale, si rei, nempe loco, dignitati, officio etc. — Contra ius, si legi derogat; secus, praeter ius, v. gr. facultas absolvendi; illud strictae interpretationis est, istud latae. — Mere gratiosum, si ex mera gratia seu non ob merita concessum; secus remuneratorium, atque huiusmodi censentur plura privilegia Regularium Ordinibus concessa, et tunc latae subsunt interpretationi. — Favorabile, quod merum favorem continet; odiosum, quod tertio praeiudicat. — Directe concessum, si in concessione ad privilegia aliorum non respicitur; indirecte, quando privilegium alicui concessum ad alium vel alios extenditur, et tunc dicitur ad hos communicari. Communicatio autem fieri dicitur aeque principaliter, quando independenter fit a priore concessione, ideoque si primum privilegium augeatur, minuatur, cesset, alterum nihilominus non mutatur; accessorie, si dependenter a priore, et tunc huius vicissitudines sequitur.

---

1 Quinam veniant nomine « Ordinarii locorum », cf. in nota praecedenti.

2 Id est nonnisi in casibus particularibus et iusta de causa, (can. 291, § 2).

3 Id est, nisi difficilis sit recursus, periculum in mora et dispensatio a S. Sede concedi soleat.

4 De privilegiis agit Codex Iuris can. 63-79, de rescriptis can. 36-62.

5 Vel nisi rescriptum impetratum fuerit ad beneficii ecclesiastici assecutionem (can. 50).

Axioma est « neminem teneri uti privilegio » [1]. Hoc tamen, quando agitur de observantia alicuius praecepti, intelligendum est de privilegiis, quae permittunt satisfacere per aliud opus aut alio modo ac praecipiebatur; ita v. gr. non teneris uti privilegio recitandi pridie matutinum, etsi scias te cras fore impeditum; sic enim vi privilegii exsurgeret obligatio, quae non erat in pracepto. Non autem intelligitur de privilegiis, quae mere auferunt impedimentum ad adimplendum illud idem, quod erat in praecepto; ita v. gr. habens privilegium ut absolvi possit a reservatis, non potest in necessitate confitendi reservatum tacere; nec tunc exsurgit obligatio ex privilegio, sed ex ipso praecepto [2]. Multi tamen censent habentem privilegium audiendi Missam tempore interdicti ad illam die festo non teneri [3].

---

1 « Nemo cogitur uti privilegio in sui favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio » (can. 69), scilicet obligatio utendi, v. gr.: si caritas obliget uti facultate accepta audiendi confessiones. Non igitur hoc canone excluditur opinio, de qua mox, circa tempus interdicti.

2 Suarez, *De Euch.*, d. 88, s. 6, n. 5, *De Leg.*, l. 8, c. 23, n. 8; Lugo, *De Euch.*, d. 22, s. 1, n. 16; *Diana*, p. 9, tr. 1, r. 19.

3 Lugo, loc. cit. n. 12 et 17.

TRACTATUS III.

DE PECCATIS

Peccatum definiri solet: libera transgressio legis Dei. 54
Mortale vel grave dicitur, si ob eam transgressionem amicitia Dei simulque gratia sanctificans et ius ad aeternam beatitudinem amittitur; si vero haec substantialiter intacta servantur, dicitur veniale vel leve.

Art. 1. Peccatum mortale.

Peccatum mortale non committitur, nisi adsit: 1° ma- 55
teria gravis; 2° advertentia plena ad malitiam gravem; 3° consensus plenus. Ubi adverte:

Quoad 1um. Sunt peccata, quae dicuntur mortalia ex toto genere suo, quia attenta eorum natura nulla potest dari quantitas materiae sub ipsorum genere, quae, quamtumcumque parva sit, non sufficiat ex se ad peccatum grave; exemplo sit blasphemia vel infidelitas.

Quoad 2um. Sufficit gravem inhonestatem actus apprehendisse directe, quin opus sit conceptibus reflexis; nec requiritur advertentia diuturna, sed sufficit ut plene quis adverterit tempore quantumcumque brevi. Imo ad contrahendam malitiam circumstantiarum peccati satis est illam nosse habitualiter; nonne enim irrideretur sacerdos, qui cum luxuriae peccatum admiserit, se a sacrilegio immunem crederet eo quod de suo statu non cogitaverit?

Si advertentia non est plena, peccatum evadit tantum veniale, ut in semidormiente aut distractionibus turbato.

56 Quoad 3um. In dubio de consensu praestito signa quaedam assignantur ad iudicandum consensum non adfuisse saltem plenum, qualia sunt: si homo tentationibus resistere solet, si clarius advertens territus fuerit tentationemque statim repulerit etc.; immo si habitualiter paratus sit potius mori quam Deum graviter offendere, omnino est moraliter certum non peccasse graviter; impossibile est enim quod talis homo, si perfecte consensisset, dubitaret. E contra si laxae conscientiae est, gravis stat contra eum praesumptio.

57 *Se exponere periculo* non proximo labendi in mortale, peccatum grave non est, etsi fiat sine causa.

Qui deliberat de consensu dando rei graviter illicitae, eo ipso peccat graviter, quoniam voluntas se ostendit paratam ad graviter peccandum. Si tamen deliberatio non fuit plena, sed quidam tantum torpor in resistendo, veniale tantum erit; in dubio iudicandum erit iuxta habitualem hominis dispositionem, ut supra.

Plura alia, de quibus hic agi solet, ut de peccato in causa, de peccato per se mortali, quod ex conscientia erronea fit veniale aut e contra, dedimus in tract. de act. hum. et consc.

Art. 2. Distinctio specifica peccatorum.

58 **Distinctio specifica** peccatorum desumitur ex his fontibus:

1° *Si laeduntur virtutes diversae vel officia eiusdem virtutis moraliter diversa.* Nam quoniam virtus quaelibet suam specialem honestatem habet, ideo eius laesio specialem malitiam induit; idem dic de officiis moraliter diversis eiusdem virtutis; quaelibet enim suam specialem honestatem exhibent.

Exemplo sit religiosus peccans cum consanguinea coniugata; is enim violat castitatem, iustitiam (id est iura mariti), caritatem (ob scandalum directum, quo complex pertrahitur ad peccatum), pietatem (seu reverentiam debitam consanguineis), insuper duplex officium moraliter diversum virtutis religionis, quatenus haec et ad non violandum corpus Deo sacratum (sacrilegium personale) et ad explenda Deo promissa obligat. Quare unico actu plures contineri possunt malitiae specie diversae. Pariter homicidium, detractio, furtum specifice diversa sunt; nam etsi uni virtuti iustitiae opponantur, eius tamen diversa officia laedunt, quae respiciunt bona vitae, famae aut fortunae. Furta vero, sive auferatur equus sive pecunia, in specie malitiae non differunt.

2° *Si laeduntur praecepta moraliter diversa, id est, respi-* 59
cientia diversam materiam vel imposita ob diversum motivum (scilicet imposita ob motivum diversae virtutis vel ob officia diversa eiusdem virtutis; tunc enim, quoniam lex praecipiens aliquid ob motivum alicuius virtutis reddit illud materiam huius virtutis[1], laeduntur diversae virtutes, ideoque peccata evadunt diversae speciei iuxta regulam superius traditam; quare facile ambae regulae in idem recidunt).

Itaque specie differunt violatio ieiunii vel abstinentiae, est enim diversa materia; pariter triplex specie diversum peccatum patrabit, qui omittat auditionem Missae, ad quam tenebatur ex praecepto, ex poenitentia et ex voto; obligatio enim oriebatur ex diversis motivis. At unicam malitiam contrahit omittens recitationem impositam Officii tum ob sacerdotium tum ob beneficium; haec enim praecepta nec diversas virtutes nec diversa officia eiusdem virtutis respiciunt; similiter unicam malitiam contrahit omittens Missam die Nativitatis Domini incidente in Dominicam.

Art. 3. Distinctio numerica peccatorum.

Distinctio numerica peccatorum desumitur: 60

1° *Ex pluralitate obiectorum totalium.* Obiectum autem totale dicitur, quod ab aliis omnino distinguitur et in se completur, quin sit pars alterius.

Igitur tres fornicationes tria numero distincta peccata sunt, ut patet; unaquaeque enim suum totale obiectum respicit. E contra si quis fornicationem intendens alloquitur turpiter mulierem, tangit, osculatur, cum ea tandem fornicatur, unicum peccatum facit, siquidem omnes illi actus ad fornicandum ordinabantur; idem cense de eo, qui inimico necem moliens quaerit arma, insidias parat, illum percutit tandemque interficit; idem de eo, qui 10 aureos furari intendens eos pluribus vicibus, ne detegatur, surripit; unde in confessione sufficiet dicere: « semel fornicatus sum », aut « occidi », aut « surripui summam gravem ». At duplex patrasset peccatum, si primum

---

1 Principium istud a Theologis, uno alterove dempto, communiter recipitur. Et merito; nam ob quam aliam causam censeri solet iniustum pretium alias iustum, quod exigitur ultra taxam legis? vel cur est sacrilegium accedere ad Eucharistiam non ieiunum, quod tamen in infirmo non est sacrilegium? vel cur datur vera simonia iuris tantum positivi? (cf. n. 10). Videsis Suarez, *De Virt. Relig.*, tr. 3, l. 4, c. 7, *De Leg.*, l. 3, c. 12, n. 20; Lacroix, l. 3, p. 1, n. 57; S. Alph., l. 3, n. 455 sub finem; Ball. P., tr. 9, c. 2, n. 27.

turpes tactus tantum intendisset, dein libidine abreptus fornicatus fuisset; prior enim actus turpes tactus respexisset ut obiectum totale.

Quaeres, quid accusare debeat in confessione is, qui fornicationem intendens mulierem turpiter tangit, dein ab intenta copula prohibetur, puta ob adventum alicuius repentinum? Resp. Nequit propositum tantum accusare actionis frustratae, sic enim intelligeretur peccatum fuisse mere internum, aut saltem nihil in se malum fuisse externe commissum, abfuisse scandalum etc.; patefaciat ergo actionem in se malam reapse positam et propositum pravum, sic: turpiter mulierem tetigi intendens copulam, quam tamen non consummavi[1].

61 Difficultas praecipue est quoad actum, sive internum sive externum, habentem *plura obiecta totalia eiusdem speciei*, ut cum quis unico actu plures homines odit, aut de pluribus aut coram pluribus detrahit, aut plures feminas desiderat (pravum autem desiderium non exsequitur; secus enim ex fornicationibus peccata multiplicarentur, ut nuper dictum fuit). Tunc in hoc unico actu vel negandum est contineri plures malitias eiusdem speciei[2], vel dicendum est pluralitatem mere numericam malitiarum ipsius non necessario esse ex praecepto declarandam[3], ideoque probabiliter unicum tantum peccatum habetur in ordine ad confessionem; quare sufficiet aperire speciem peccati, simul tamen innuendo pluralitatem obiecti, v. gr. « semel desideravi fornicari cum pluribus », ne videlicet confessarius intelligat desiderium fornicandi cum una et sic intelligat non peccatum, quod commissum est, sed aliud, quod commissum non est. Attamen sufficit dicere « detraxi graviter vel leviter »; nam etsi nihil addatur, non intelligitur detractio praecise facta de uno aut coram uno. — Diximus « actum habentem plura obiecta totalia eiusdem speciei »: si enim obiecta quaedam reperiantur specie diversa, v. gr. si unico actu occidis duos homines, quorum unus sacerdos, tunc evidens est malitias exsurgere specie diversas, ideoque distincte manifestandas.

62 2° *Ex pluralitate actuum moraliter interruptorum.* Nam in hoc casu, quoniam actus non uniuntur, singuli suum obiectum totale continent, ideoque quot actus tot sunt peccata. Porro actus interrumpuntur:

---

1 Gén. S., n. 167.

2 Suarez, *De Poen.*, d. 22, s. 5, n. 37.

3 Lugo, *De Poen.*, d. 16, n. 134.

a) **Voluntarie,** v. gr. si quis retractet voluntatem male agendi et postea eamdem resumat. Voluntatem autem retractare potest vel expresse, v. gr. actu poenitentiae, vel exercite, v. gr. si postquam inimicum percussit, abeat et deinde eodem iterum occurrente iterum percutiat.

b) **Involuntarie,** quoties inter actus mora intercedit sufficiens. Quaenam autem mora sufficiat, ut actus non censeatur moraliter continuari cum sequenti, perdifficile est assignatu.

Si *de actibus mere internis agitur* (morosa delectatione, desiderio inefficaci, gaudio), vix alia aptior regula assignari potest quam haec: toties interrumpitur actus, quoties moraliter censeri potest eius obiectum desiisse esse praesens in mente. Quare non interrumpitur prava cogitatio, etsi superveniat aliqua naturalis distractio, aut pauca verba cum alio misceas; censetur enim moraliter perseverare idem congressus cum obiecto; interrumpitur autem, si ita mentem ad alia applices, ut videaris dedisse obiecto licentiam abeundi.

Si *de proposito aliquid exterius exsequendi* agitur (id est desiderio efficaci), similis regula statuenda est; tunc scilicet iteratur peccatum, quando mala voluntas resumitur post tempus ita sufficiens, ut censeatur propositum iam cessasse. Porro hoc tempus mensurandum est iuxta rei naturam et subiecti circumstantias; sic facile post horam censetur abiisse propositum legendi pravum librum, sed non censetur cessare per interpositionem somni nocturni propositum occidendi inimicum; immo potest hoc propositum adeo intensum esse, ut duret per mensem aut annum, saltem si iam exsecutioni mandari coepit, v. gr. adeundo regionem, ubi inimicus versatur, eumque ad necem quaerendo; item unicum peccatum facit, qui per plures annos perstat in voluntate non restituendi, etsi forsan propositum de non restituendo saepe repetat.

Si *de actibus externis* agitur, iam diximus hos constituere tot peccata quot dantur actus, dummodo eorum singuli suum obiectum totale habeant. Nota tamen, quod etiam in hoc casu actus coalescunt in unum peccatum, si ex eodem passionis impetu procedunt, v. gr. si quis ex eodem passionis aestu pluries se vel alium turpiter tangit, inimico pluria letalia vulnera infligit, in proximum plures maledictiones evomit; qua etiam ex causa copula et gaudium de ea, quod statim subsequitur, unicum peccatum efformant[1]. Ne tamen id extendas ad actus, qui habent terminum in se completum, v. gr. si quis ter eadem nocte habeat copulam, eo quod accu-

---

1 Lugo, *De Poen.*, d. 16, n. 155.

buerit intendens pluries copulari, vel si quis die Nativitatis D.ni accedat ad altare cum animo ter celebrandi in mortali idque exsequatur; tunc certe peccata multiplicantur, etsi ex eodem fonte promanent.

Art. 4. Peccata interna.

63 **Peccata interna** ad triplicem classem pro praesenti tractatione reduci solent.

1° *Delectatio morosa* est delectatio in cogitando obiecto pravo, quod mente apprehenditur ut praesens. Huiusmodi delectatio involuntarie orta nondum peccatum est, ut patet, peccatum vero erit vel non erit, si voluntarie admittatur seu detur consensus in eam [1], iuxta sequentes distinctiones:

a) Si est *delectatio de cogitatione* obiecti, etsi pravi, vocari potest delectatio sciendi, quae tamen facile hominem ad delectationem et consensum trahit, de quo mox in ultimo loco. Unde ob hoc periculum sic distingue: nullum peccatum est, si fit ex rationabili causa, ut si de venereis cogites ad docendum vel monendum (secluso proximo periculo); si ex curiositate, veniale est ex se; huiusmodi tamen cogitationes, praesertim de re venerea, advertenter fovere ex mera curiositate, illud periculum tantopere augere solet, ut mortale saepe evadat; requiritur tamen advertentia ad hoc periculum.

64 *b*) si est *delectatio de obiecto* pravo cogitato, distinguere opertet, utrum delectatio rationalis sit an sensitiva.

α Delectatio *rationalis* dicitur ea, quae residet in sola voluntate, consistitque in coniunctione voluntatis cum obiecto per eius acceptationem, aliis verbis, consistit in approbatione obiecti mali. Haec approbatio, si obiectum est graviter malum, graviter mala est, ut patet.

β Delectatio *sensitiva dicitur*, quae exsurgit in facultatibus sensitivis. Consensus in hanc delectationem peccatum est, si haec delectatio facultatis sensitivae est prohibita. Porro graviter prohibita est (saltem pro solutis [2]) delectatio quaevis facultatis generativae. Consentire ergo in hanc delectationem exsurgentem ex obiecto venereo cogitato, seu aliis verbis, admittere delectationem facultatis generativae ex cogitatione venerea, grave peccatum est (saltem pro solutis) [3].

---

1 Consensus in delectationem vocatur etiam complacentia.

2 Ut praescindamus a coniugatis, quibus an et quatenus prohibeatur delectatio potentiae generativae, dicetur suo loco.

3 Peccatum etiam est sine sufficienti motivo ponere cogitationem, unde illa exsurget, ut dicetur ubi de 6° praecepto et patet ex dictis nuper in *a*).

16661

Quaeri potest, num haec complacentia cogitationis turpis induat speciales malitias obiecti cogitati. Ordinarie huiusmodi simplices cogitationes de re venerea non videntur specie differre, quia sive hoc sive illud obiectum cogitetur, ordinarie nihil aliud intenditur nisi delectatio, quae oritur ex consequente motu seminis. Obiectum igitur, in quod consensus fertur, ordinare est idem, nempe delectatio carnalis, ac proinde copula magis minusve confuse apprehensa. Quod igitur obiectum cogitatum sit hoc aut illud, de materiali se habet, siquidem cogitatio de eo mere assumitur ut instrumentum ad turpem delectationem ciendam, ac proinde voluntas in illud ordinarie fertur sub eadem ratione apprehensum. Diximus « simplices cogitationes »; nam si cogitatio ita fovetur, ut affectus feratur in opus ipsum, quasi quis optaret posse illud exsequi, tunc potius agitur de desiderio inefficaci, de quo mox.

65 2° *Desiderium*, sive *efficax* sit, seu propositum patrandi quid malum (etsi dein forsan non patretur), sive *inefficax*, seu propositum rei malae condicionatum (v. gr. « hac femina potirer, si possem », « vellem posse occidere regem » etc.), induit malitias circumstantiarum obiecti, siquidem in illud fertur prout est a parte rei.

Desideria inefficacia licita sunt, si condicio malitiam obiecti tollat, v. gr. «si religiosus non essem, largirer eleemosynas », « ederem carnes, si non essent prohibitae ». Verumtamen adverte: 1° quaedam huiusmodi desideria vix a peccato gravi immunia sunt, v. gr. « Martha uxore uterer, si non essem sacerdos »; adest enim maximum periculum, ne affectus actualis habeatur in copulam. 2° Sunt obiecta a quibus, utpote intrinsece malis, malitia auferri nequit. Quare peccatum est dicere « fornicarer, si liceret »; nam et optatur ut id non sit prohibitum, hoc autem optare peccatum est, et forsan adest quoque actualis complacentia in fornicatione; peccatum vero non esset, si per illa verba significaretur tantum subiecti fragilitas.

66 3° *Gaudium*, seu complacentia de re mala a se vel alio patrata (huc reducitur iactantia de peccato commisso, dolor de malo non patrato etc.), induit malitias circumstantiarum obiecti, quandoquidem illud amplectitur prout a parte rei exsistit.

Non est peccatum gaudere de effectu bono, qui ex aliqua mala actione vel omissione manavit, dummodo nec gaudium transeat in ipsam rem malam nec laedatur caritas. Licet ergo gaudere quod, occiso aliquo hoste Ecclesiae, huius vexationes minuantur, non autem gaudere de ipsa occisione,

EX LIBRIS PROVINCIAE

nec licet gaudere de morte patris, quae hereditatem procuravit. Gaudere autem de pollutione naturali damnari nequit, dummodo gaudium non sit ob voluptatem illi coniunctam, sed ob bonum effectum, v. gr. mitigationem concupiscentiae.

Viduum gaudere gaudio rationali de copula praeterita, aut sponsum de futura, id est eam copulam approbare aut acceptare, nihil continet inhonesti. Mortale vero esset ex hac cogitatione captare delectationem carnalem, haec enim capi nequit extra coniugium. Et quoniam facillime fit transitus ad hanc cogitationem practicam, ideo etiam vidui et sponsi ab huiusmodi cogitandis prorsus deterrendi sunt.

67 *NB.* — Si poenitens se accusat de turpibus cogitationibus, interrogetur num aliquid turpe in iis desideraverit. Si affirmat, addatur: nonne de altero sexu? de coniugata an de soluta? quoties? nonne etiam aliqua actio indecens? Si actiones adsint, accuratius videnda species et numerus et, si desideria aut actiones circa eamdem personam, videndum an adsit occasio proxima. Tandem: nonne de rebus turpibus saepe cogitasti, nihil tamen in iis desiderando? quoties scienter immoratus es in huiusmodi cogitationibus? — Si ab initio negentur desideria, sufficiet haec ultima interrogatio, et subiungere num quid aliud in hac materia conscientiam gravet.

Nec circa numerum peccatorum cogitationis sit valde sollicitus confessarius; nisi enim numerus sit parvus, scopum vix assequetur in homine, qui crebro talibus internis peccatis, quoties lubet, indulget; quare nisi obtineri possit, quoties plus minusve in die aut hebdomada cogitationibus indulserit et quanto tempore in hac consuetudine perseveraverit, praesumatur res e norma vitae ductae, quae e reliqua confessione dignoscitur.

Certe haec interrogandi methodus in rigore est incompleta. Sed si cuius alius circumstantiae malitiam se contraxisse agnoscit poenitens, ipse dicat; confessarius enim nec potest nec debet omnia possibilia rimari. Quin etiam nonnullae interrogationes haud raro coram rudibus, quibus confessio ex repetitis interrogationibus fit odiosa, et generatim pueris erunt omittendae. Cf. dicenda in tract. de Sacram. Poenit.

Art. 5. Peccata capitalia.

68 **Peccata capitalia** non ideo capitalia dicuntur, quia ex se mortalia sint, frequenter enim venialia tantum evadunt, sed quia fons sunt atque origo plurimorum actuum, aliunde suam malitiam mortalem iam habentium, qui propter illa

fiunt tamquam propter finem, v. gr. omittere Missam praeceptam ob pigritiam; unde vitia rectius illa appellaveris quam peccata. Peccata ex vitiis capitalibus promanantia, quoniam suam malitiam mortalem aliunde soleant trahere, in suis respective locis tractata reperientur.

Ebrietas perfecta peccatum grave est (1 Cor. VI, 10; ad Gal. V, 21). Huius autem signa sunt: postea non meminisse dictorum aut actorum in ebrietate, non dignoscere bonum a malo, plane insolita agere, v. gr. si blasphemet aut domum turbet qui alias est modestus et benignus. — Quod autem quis nequeat recta incedere, aut quod ei obiecta duplicia appareant, aut omnes domus in gyrum agi videantur, ebrietatem non prodit perfectam; porro imperfecta veniale non excedit, nisi alia circumstantia accedat, v. gr. in sacerdote scandalum. — Imo bibere usque ad hilaritatem, ut pellatur melancholia, culpari nequit. **69**

Intrinseca huius peccati malitia in eo est, quod homo sibi adimat ad aliquod tempus sine iusta causa potestatem utendi ratione. At cum proportionata causa non est cur illicita dicatur ebrietas, v. gr. sumptio chloroformii pro subeunda operatione chirurgica. Omnino tamen illicitum est inebriare moribundum [1], ut sine dolore decedat, cum usus rationis tunc vel maxime necessarius sit ad merendum coram Deo vel ad poenitentiam agendam.

Graviter peccat, qui alii iam ebrietati proximo plus potus adhuc porrigit. Ex gravi causa licet inducere alium in ebrietatem, quam ipse non praevidit; quod si ebrietas ei formale peccatum futura sit, licebit adhuc ex gravi causa occasionem apponere; inducere autem ad bibendum non licebit, nisi ad eum avertendum a maiore peccato (v. gr. homicidio), ad quod determinatus sit. **70**

Graviter peccat, qui se exponit periculo ebrietatis perfectae. Tunc, quaecumque mala im ebrietate committat et saltem in confuso praeviderit (eo quod v. gr. sciat se ebrium consuevisse blasphemare), iure illi ceu voluntaria in causa imputabuntur. Excipe verba contumeliosa in homines, haec enim ab ebrio prolata offensiva non censentur; quod tamen de blasphemiis verbisque obscoenis pari modo intelligendum non est, siquidem vel honor Dei vel vitatio scandali exigit, ut propter haec vitetur ebrietas.

---

1 Cf. Lehmk. I., n. 893.

THEOLOGIA MORALIS PRAECEPTIVA

IN QUA DE PRAECEPTIS VIRTUTUM THEOLOGICARUM,
DECALOGI ET ECCLESIAE.

TRACTATUS IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

Caput 1. DE FIDE

Fides est virtus supernaturalis, qua ea, quae a Deo revelata sunt, vera esse credimus propter auctoritatem ipsius Dei revelantis. Haec fides dicitur divina per oppositionem ad humanam, qua aliquid credimus propter auctoritatem hominis loquentis. **71**

Obiectum *materiale* fidei divinae, seu id quod creditur, sunt res a Deo revelatae [1].

Obiectum *formale*, seu motivum propter quod aliquid fide divina creditur, est auctoritas summa, quam Deus habet in loquendo, proinde eius infinita sapientia et veracitas, quatenus ipsius locutionem informantes. Ad id autem *praerequiritur* certitudo revelationis factae. Attamen motiva, quibus revelationis factum certo novimus, *praevia* sunt actui fidei, quin huius motivum formale, ne partialiter quidem, constituant [2]. In ipso tamen actu fidei rursus revelationis factum apprehenditur et firmiore assensu creditur, ut Theologi exponunt; ipsa enim revelatio revelata est, quoniam qui loquitur non solum rem manifestat, sed exercite etiam se loqui manifestat.

---

1 Si tamen agatur de fide divina *catholica*, quae omnibus ad salutem est necessaria, eius obiectum non respicit revelationes privatas, sed veritates, quas Ecclesia ut revelatas omnibus credendas aliquo modo proponit, cuiusmodi sunt eae omnes, quae in sacris libris continentur.

2 Sicut qui legit v. gr. « Coniurationem Catilinae », iam facta lecta credit propter auctoritatem Sallustii, non propter motiva, quibus praevie rescivit illa scripta fuisse a Sallustio, v. gr. quia editor id apposuit in titulo libri.

Fidei actus liber est proindeque meritorius, non quatenus ab intellectu elicitus, sed quatenus a voluntate libere imperatus; poterat enim homo aut assensum suspendere, aut veritati propter naturalem fortasse evidentiam, aut ei non super omnia firmissime, assentiri.

Art. 1. De sciendis et credendis.

Necessitate medii credendum est explicite Deum exsistere et bonorum remuneratorem malorumque vindicem esse (Hebr. XI, 6; prop. 22 damn. ab Inn. XI), ita ut qui rationis compos id, etiamsi inculpabiliter, ignoret, salutis aeternae adipiscendae ex praesenti Dei ordinatione capax non sit; debet igitur is primum instrui, ut valide absolvi possit. Pari necessitate medii volunt plurimi requisitam esse fidem explicitam de Christo Redemptore et consequenter de SS. Trinitatis mysterio; quapropter, quantum fieri possit, omnino curandum est, ut nemo baptizetur, absolvatur, moriatur, quin haec etiam sciat credatque, ne eius aeterna salus aut validitas sacramenti veniat in discrimen. Profecto non requiritur, ut rudis haec tam sublimia mysteria accurate et perfecte percipiat, sed sufficit, ut sensu eorum intellecto ea propter auctoritatem Dei revelantis credat.

72 **Necessitate praecepti** sub gravi tenetur quisque scire, saltem quoad substantiam, et credere Symbolum Apostolorum, Decalogum, Sacramenta et Orationem Dominicam, ita saltem, ut interrogatus de veritatibus contentis in Symbolo, in Decalogo, et de Sacramentis Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae (quoad caetera sacramenta suo tempore), sciat quoad substantiam respondere, sciatque insuper et credat Deum exorandum esse cum fiducia, ut nobis necessaria tum animae tum corporis largiatur. Sed his obligationibus christianus haud facile satisfaciet, nisi illa ordine solido addiscat et memoriter retineat; quare ut memoriae mandentur, omnino inculcandum est, obligatio tamen gravis non est. Tenetur quoque christianus notitiam habere obligationum communium, quae in Ecclesiae praeceptis continentur.

NB. — Si poenitens necessaria ignorat, doceatur necessaria necessitate medii (quod facili negotio faciet ipse confessarius), de reliquis exigatur saltem promissio, quod necessariae instructioni incumbet. — Generatim litterati, bene educati, frequenter confitentes de hac re interrogandi non sunt; iure enim praesumuntur sufficienter instructi; interrogandi vero, qui probabiliter creduntur in hac re deficere.

Art. 2. De professione fidei.

Interius fides profitenda est, quatenus ipsa virtus fidei per se obligat, ut interdum in vita homo actus eiusdem eliciat (cf. prop. 17 damn. ab Innoc. XI; prop. 1 damn. ab Alex. VII). Num obligatio haec urgeat aliquoties in anno, non constat. Ceterum abunde illi satisfit a fidelibus per actus implicitos, quales passim facit qui Missam audit, adorat crucifixum, sacramenta recipit etc.; quapropter de obligatione adeo indeterminata quoad tempus et facili adimpletu poenitentes interrogari non solent. Virtus fidei obligat etiam ad actum eliciendum, quando fide catholica sufficienter proposita eius credibilitas apparet infidelibus, haereticis et pueris baptizatis usum rationis iam adipiscentibus; praeterea quando quis in haeresim aut dubitationem voluntariam incidit, quando tentatio contra fidem aliter vinci nequit (saepe haec tentatio distractione potius abigenda est) et iuxta multos in articulo mortis. **73**

Exterius fides profitenda est, quatenus numquam licet veram fidem negare aut falsam profiteri (Matth. X, 33), sive id fiat explicite verbis, nutibus signisve; sive implicite seu silentio, quando silentium in communi aestimatione aequivalet negationi aut saltem erubescentiae fidei[1], ut si taceam, quando quis pro me dicat me non esse catholicum, vel quando de fide interroger a potestate publica (prop. 18 damn. ab Inn. XI), vel si quis nullum christianae vitae actum exterius praebeat; et generatim professio fidei sub gravi facienda est, quandocumque necessaria sit ad avertendam magnam iniuriam a divino honore, aut a causa religionis, aut ad praecavendam ruinam spiritualem proximorum, qui v. gr. aliter a fide deficerent vel non converterentur, aut si id Dei honor magnopere promovendus exigat[2]. — Extra hos casus et ex gravi causa **74**

---

1 Ideo can. 1325, § 1: « Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur, quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi ».

2 *Professionem catholicae fidei*, iuxta formulam Codici Iuris praepositam, quinam teneantur emittere, habes in can. 1406. Inter hos recensentur « sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi », quin tamen professionem renovare teneantur, qui in alia dioecesi professionem, antequam similia munia susciperent, sese iam emisisse testentur.

Quotquot professionem emittere debent, tenentur ei subiungere, non vi Codicis, sed ex praescriptione temporaria (S. Off. 22 mart. 1918), iuramentum anti-modernisticum, iniunctum a Pio X Motu proprio « Sacrorum Antistitum », 1 sept. 1910.

licet dissimulare fidem, v. gr. si iter faciens per loca haereticorum carnibus vescaris die prohibito, aut lectionem Breviarii omittas, ne agnitus ab iisdem graves subeas vexationes; aliter dicendum, si cibos vetitos edere urgearis in odium fidei. — Adverte non esse negationem fidei, si negas te esse sacerdotem aut religiosum; adhuc enim non negas te esse catholicum. — Denique si quis a privato homine interrogetur de sua fide, dispiciendum erit ex adiunctis, utrum erubescentiae fidei an interrogantis contemptui dissimulatio vertatur.

Art. 3. De communicatione cum acatholicis.

75 Quamcumque cum acatholicis communicationem, in qua detrimentum obveniat religioni aut periculum incurratur naufragandi in fide aut scandalum creetur proximo, patet iure naturae prohiberi. His vero seclusis illicita non erit communicatio in *rebus mere civilibus*, v. gr. haereticum invisere, negotiationem cum eodem instituere etc. At pro communicatione in *rebus sacris* (v. gr. haereticis suos ritus peragentibus sese adiungere et cum eis orare) aut *mixtis* (v. gr. funus comitari, quod haeretico ritu celebratur), adest positiva Ecclesiae prohibitio saepe repetita [1], quae proinde, etiam cessante iure naturae, retinet suam vim, nisi gravi opposito motivo debeat cedere (n. 43); adverte tamen communicationem in sacris saepe esse intrinsece malam, utpote quae vel explicitam vel implicitam involvat professionem falsae fidei, eamque tunc, seclusa etiam quacumque Ecclesiae lege, prohiberi. — Strictius prohibetur communicatio in sacris vel mixtis cum infidelibus. E contra facilius permittitur, ut haeretici (sed non ut tales) communicent in nostris, v. gr. ut Missam audiant.

Praecedentem doctrinam sic complectitur can. 1258: «§ 1. Haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum. — § 2. Tolerari potest praesentia passiva seu mere materialis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque solemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit».

76 Igitur:

a) Non licet interesse choreis aliisque, quae a massonibus ut talibus celebrantur. Nec licet massones ut tales in ecclesiasticis functionibus admittere [2].

---

1 Collact. Prop. Fid. nn. 1797-1855.

2 Collact. Prop. Fid. n. 1862; S. O. 5 iul. 1878.

b) Non licet unquam catholicis assistere functionibus haereticorum, si id iubeantur in odium fidei. At nonnumquam haec materialis assistentia in nonnullis regionibus praecipitur a gubernio militibus, nautis etc. non in sectae favorem, sed potius ordinis servandi causa, neque illi detrectare id possunt sine gravibus vexationibus: tunc licebit obsecundare. Idem dic de ancilla, quae dominam comitari iubeatur ad officia religiosa (modo non participet in ritu precibusque acatholicis) nec famulatum possit deserere sine gravi incommodo; si tamen frequenter adeat, non deerit perversionis periculum.

c) Invisere ex mera curiositate templa haereticorum aut infidelium per se non est illicitum, seclusa scilicet suspicione adhaesionis falsae sectae, scandalo etc.; immo nec coram SS.ma Eucharistia genuflectere in templis schismaticorum, aut coram sacris imaginibus orare, non tamen cum illis in precibus coniungi. Quod si curiosa visitatio fiat, dum acatholici suos ritus persolvunt, v. gr. dum conciones aut matrimonia celebrant, adhuc res dici potest in se indifferens, secluso videlicet scandalo, periculo in fide, prohibitione speciali etc.; in praxi tamen haec saepe obstant. Generatim auditio concionis haereticae videtur valde periculosa [1].

Quid autem si quis non adest mere curiosus spectator, sed caeremoniae assistit civilis obsequii gratia? Non potest fieri sine gravi causa; ita respondit S. Off. 13 ian. 1818 de funeribus, quae haeretico ritu habentur, quod proinde de matrimoniis, baptismis, concionibus pariter intelligi debet. Praesertim de hac assistentia videtur intelligenda responsio S. Off. 10 mai 1770: « Sanctissimus decrevit, catholicis r e g u l a r i t e r non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis, matrimoniis interesse ».

Vetantur catholicis [2], disputationes vel collationes, publicae praesertim, cum acatholicis sine venia S. Sedis, aut si casus urgeat, loci Ordinarii, eae nimirum, quae ex professo ineuntur de re dogmatica, in quibus videtur catholicus quasi nomine Ecclesiae doctrinam exponere, non vero quae quasi ex improviso fiunt, nec collationes privatae ad acatholici conversionem [3].

d) Quaedam actiones approbationem involvunt falsae sectae vel eius professionem, sive explicite sive implicite; huiusmodi sunt: panes benedictos accipere, coenae protestan-

---

1 « Sciant fideles nostri... omnino vetari concionibus, quae in (haereticorum) coetibus haberi solent, interesse ». *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 146.

2 Can. 1325; item *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 145.

3 Gén. S., n. 201; Ferr., « Inst. Can. » II, n. 296.

ticae participare, patrinum agere in baptismo haeretico ideoque hunc baptismum nomine infantis petere, agnum paschalem edere cum iudaeis. Haec, ut patet, numquam licent. Possunt tamen a ministro acatholico Sacramenta peti in extremo periculo, si vere necessaria sint et petitio ex adiunctis adhaesioni falsae sectae non possit verti.

NB. — Alia vide n. 105[1].

Art. 4. De haeresi.

77 **Haeresis** (intelligitur formalis) est error voluntarius hominis, qui post receptum baptismum nomen retinens christianum pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat, aut de ea dubitat (can. 1325, § 2), v. gr. discredit alicui veritati contentae in S. Scriptura, vel deliberate ait: Quis novit an sit altera vita? Non alia pertinacia requiritur quam ea, qua homo errorem tenet sciens contrarium ab Ecclesia teneri. — Hinc non censetur haereticus formalis, qui paratus stare iudicio Ecclesiae in errore tamen perstat cum ignorantia crassa; vel qui agit cum ignorantia affectata, dummodo ignorantiam ideo affectet, quia secus non auderet se opponere iudicio Ecclesiae. At formalis haereticus est, qui dogma fidei vel in dubium revocat; eo ipso enim censet fidem posse abire in falsum, ideoque denegat Deo summan auctoritatem in loquendo. Si vero tantum dubitaret num quidpiam sit revelatum, haereticus formalis non censeretur; peccaret tamen graviter, si factum revelationis, de quo ei satis clare constaret ex motivis credibilitatis, negare contenderet; gravem enim iniuriam inferret Deo, cum Eum, quem loquentem videt, negaret loqui.

78 Notare oportet: 1° Ecclesiam non modo quoad definienda revelata, sed etiam quoad definienda connexa cum revelatis habere infallibilitatem. Ecclesiam autem esse infallibilem in hoc postremo casu veritas certissima est et iuxta plurimos credenda de fide; cum tamen alii dubitent, num haec veritas dicenda sit « de fide », ideo non constat utrum, ubi Ecclesia aliquid suo infallibili magisterio definivit credendum propter connexionem cum veritatibus revelatis, doctrina contraria di-

---

[1] Consuli quidem plane merentur litterae S. Officii de participatione catholicorum societati cuidam « ad procurandam christianitatis unitatem », datae 16 sept. 1864 et 8 nov. 1865 et iterum evulgatae in ephem. officiali Sanctae Sedis, a. 1919, p. 309-316.

cenda sit « haeretica » an « erronea in fide »[1]. — 2° Quoties aliqua doctrina ab infallibili magisterio Ecclesiae proponitur vel damnatur, eo ipso dicenda est res vel esse revelata vel connexa cum revelatis.

Qui tenet propositionem «erroneam in fide», seu contrariam conclusioni theologicae certae (id est, quae certo concluditur ex duabus praemissis, altera certa de fide, altera naturaliter evidenti), poenas quidem haereticorum non incurrit, siquidem exterius nihil dicit contrarium fidei; at in foro conscientiae haereticus sine dubio est, non enim praesumendus est negare praemissam naturaliter evidentem, ac proinde ideo respuit conclusionem, quia respuit praemissam de fide certam, ergo interius negat fidem.

Qui tenet propositionem inferiore nota damnatam, reus est temeritatis in iudicando, periculi, quod sibi creat, errandi in fide et scandali.

Nec doctrinae per decreta Romanarum Congregationum propositae, etsi Summi Pontificis infallibili auctoritate non donetur, sed sola approbatione, assensum vel mere internum denegare licet; hic enim debetur, magis minusve firmus pro decernentis auctoritate[2], ita ut iure arguatur temeritatis, qui sine mature perpensis et evidentissimis rationibus dissentiat[3].

Liberalismus, generice sumptus, est systema proclamans 79
independentiam a regulis morum aut omnibus aut earum aliqua; quare rationalismus, anarchismus etc. species sunt liberalismi.

Hodie specialius hoc nomine venit spiritus ille independentiae, quatenus relationibus publicis inter Ecclesiam et Statum applicatur. Triplex gradus recensetur. Primus, radicalis, vult Ecclesiam subiectam Statui. Secundus, moderatior, independentiam Ecclesiae et Status. Tertius profitetur: theorice quidem Statum natura sua Ecclesiae subiici, at *practice*, ex hypothesi quod societas ad tantum progressus gradum pervenerit, convenientem esse independentiam utriusque. Porro id duplici sensu accipi potest: 1° ita, ut approbetur hypothesis in seipsa, seu bonus censeatur in seipso ille status libertatum doctrinae, preli etc., ob quem illa independentia dicitur necessaria; atque is dicitur catholicismus liberalis. 2° ita, ut ipsa hypothesis in se odio digna habeatur, iudicetur vero talis rerum status insanabilis et ad maiora vitanda mala interea retinen-

---

1 Cf. VILLADA, *Casus de liberalismo*, vol. 1, cas. 1, n. 14 cum auctoribus ibidem citatis.

2 Cf. MENDIVE, *De princip. theol.*, tr. 2, diss. 2, c. 3, a. 2, t. 3.

3 Cf. decr. S. Off. *Lamentabili*, 3 iul. 1907 prop. 8ª.

dus; atque hic opinandi modus non est liberalismus, sed forsan error circa praxim, eo quod iudicetur erronee vel actualem statum non posse auferri, vel eventura maiora mala, si auferretur. — Liberalismus damnatus est praesertim a Pio IX encycl. « Quanta cura » 8 dec. 1864 cum Syllabo, et a Leone XIII encycl. « Libertas » 20 iun. 1888.

Profiteri liberalismum est certissme peccatum, ad quamcumque liberalismi generici doctrinam pertineat. Sed quoniam non omnia liberalismi axiomata damnantur ceu fidei divinae contraria, ideo non omnia dicenda sunt haeresis. Quare ad dignoscendum peccatum contentum in professione alicuius erroris liberalis videndum, quamnam hic censuram mereatur. Hinc qui liberalismum plene amplectitur vel eius potiora principia, v. gr. plenam independentiam Ecclesiae et Status, haereticus est, contrarium enim est de fide (vid. Theol. dogm.); item qui tenet v. gr. prop. 65, 68 vel 73 Syllabi. At haereticus nondum est, qui teneat prop. 76, etsi graviter peccet ex dictis superius.

80 *Liberalismus non est* hanc vel illam gubernii formam sectari, vel suffragium universale ceu medium (sane ineptissimum) cognoscendi populorum necessitates tueri. — Nec liberalis dicendus est, qui durante gubernio liberali officia publica sibi procurat, siquidem id licitum est, dummodo nec actus exerceat liberalismi approbativos nec liberalismo aliter cooperetur quam per regulas generales cooperationis (n. 103 seqq.); quod ne faciant, valde cavere debent ii praesertim, qui officia obtinent administrativa.

Confessarius in interrogandis monendisque poenitentibus circa liberalismum agat iuxta regulas generales tradendas in tract. de Poenit. Quare si quem probabiliter credit liberalem, (v. gr. quia eum multi viri graves vel talem censent vel liberales ephemerides sine causa legere dicunt), et probabilitas aliis rationibus depelli non potest, eum interrogare debet, immo et monere iuxta regulas monitionis, praesertim si is sit, qui influxum exerceat in alios plures, v. gr. si scriptor est.

Quamvis liberalismus totis viribus detestandus sit atque exstirpandus, potest tamen quis *in eo debellando* (sicut in re quavis, circa quam zelus imprudenter exerceatur) *tamquam liberalem se gerere;* si scilicet iudicium proprium vel alicuius coryphaei sequatur potius quam ductum Episcoporum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; aut si Superiores ecclesiasticos non vereatur carpere, eo quod nimis indulgenter se vel nimis dure cum liberalibus gerant; aut si, dum obedientiam Papae praestandam conclamat, eam ipse detrectare non dubitet appelletque ad Papam bene informatum; practice enim

eam independentiam cogitandi vel agendi exercet, quam theoretice impugnat. Nempe si cuivis agere liceret iuxta suam opinionem de applicatione principiorum ad actualem rerum statum, iam subordinationis ordine sublato ipsius societatis compages intimae laxarentur, haud secus ac si milites iussa ducis, quae minus prudentia iudicarent, praetermitterent atque in sua quisque abiret. Practice igitur id melius est, quod obedientia postulat, etsi theoretice iudicetur imprudens[1].

NB. — Infidelitas peccatum est infidelis inquisitionem **81** verae fidei negligentis vel fidem sufficienter propositam respuentis. Apostata dicitur homo, qui post receptum baptismum a fide christiana totaliter recedit, v. gr. transeundo ad iudaismum vel atheismum; schismaticus, qui post receptum baptismum subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat (can. 1325, § 2).

Caput 2. DE SPE

Spes est virtus supernaturalis, qua Dei omnipotentia, **82** misericordia et fidelitate nixi, Eum tamquam beatitudinis nostrae finem atque ab Eo auxilia ad id conducentia desideramus.

Spes est necessaria ad salutem necessitate medii, et de obligatione eliciendi eius actus eadem teneto, quae de fide interne profitenda (n. 73). Ceterum obligatio satis impletur, ut de fide dictum est, per actus spei virtualis, qui passim exercentur.

Contra spem est, cupere in hac vita perpetuo vivere; sed plerumque hoc non ideo fit, quia beatitudo aeterna huius vitae bonis postponatur, sed solum magna huius vitae affectio vel timor aeternae perditionis significatur. — Mortem vero prae taedio optare, generatim non excedit veniale, nam grave non est, nisi quis expresse velit adversari dispositioni Providentiae.

Desperatio committitur diffidendo obtinere vitam aeternam aut media ad eam consequendam necessaria. Si deliberate

---

1 Quoniam de doctrinis egimus catholicae fidei oppositis, mentio praetermitti non debet doctrinarum theosophicarum, quae hodie adeo pervulgantur et de quibus hoc iudicium tulit S. Off. 16 iul. 1919: « An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica; ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere? Resp. Negative in omnibus ».

fit, parvitatem materiae non admittit. Saepe tamen non satis deliberate habetur, ut accidere solet prae impatientia aut tristitia.

Praesumptio est, si quis intendit vitam aeternam propriis viribus assequi, vel si eam a Deo modo indebito exspectat, v. gr. sine labore aut per extraordinarium auxilium. Peccare autem s i m u l s p e r a n d o obtentionem veniae, aut peccatum iterare eo quod iam cum minore difficultate accusabitur, nondum est praesumptio. Praesumptio vero est, si quis i d e o praecise peccat, q u i a Deus tam facile tria quam duo peccata ob suam misericordiam dimittit.

Caput 3. DE CARITATE

Art. 1. De praecepto caritatis.

83 Virtute supernaturali caritatis diligimus Deum propter se, seu quia ipse est summum bonum; hic amor dicitur benevolentiae; nam Deum diligere quia nobis bonum, amor est concupiscentiae pertinens ad spem.

Caritas, si *perfecta* est, hominem Deo amicum iustumque facit, etiam ante Baptismi vel Poenitentiae sacramenti susceptionem, non tamen sine sacramenti voto, ut suo loco dicetur. Eius actus christiano familiarissimus sit oportet. Ut igitur intelligatur, quonam ex motivo elici debeat, nota: Caritas perfecta 1° est amor *benevolentiae*, non concupiscentiae; nam caritas perfecta amat Deum, *quia* is est summum bonum ideoque summe amabilis seu dignus summo amore; amat igitur Deum *propter seipsum*[1], non propter bonum amantis. 2° Non est mera *benevolentia*, qua alicui, etiam nobis extraneo, bonum volumus, sed est *amor* benevolentiae, nec tamen quilibet amor, sed ille qui dicitur amor *amicitiae*[2], quo Deum non iam ut extraneum respicimus, sed ei sicut amicus amico per affectum coniungimur; Deum tamen appetendo, non *quia* uniri cum eo sit *nobis* bonum (secus amor esset concupiscentiae), sed *quia* « Deus est summum bonum ». Praesupponitur igitur cognitio, quod Deus nobis coniungi vult (secus ut extra-

---

1 Quid sit amare aliquem propter seipsum, vide, si lubet, expositum a S. Thom., 2. 2. q. 27 a. 3 in c.

2 Nam *amicitia* requirit prater *amorem benevolentiae*, quem erga alterum habeo, *redamationem* ex parte ipsius et *communicationem bonorum*. Propterea ait S. Thom. 2. 2. q. 23 a. 1 in c. quod « ad rationem amicitiae requiritur mutua amatio, quia amicus est amico amicus; talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione ».

neus respici deberet) [1], quod quidem sola revelatione novimus. 3° Denique iste amor ita debet ferri in *summum* bonum, Deum, ut homo Eum diligat *super omnia*, coniunctionemque cum Eo, utpote bono *summo*, praeferat omni bonitati finitae incomponibili cum Dei coniunctione. Amor igitur erga Deum, etiam *propter seipsum*, sed nondum ita efficax, ut coniunctionem cum summo bono paratus sit praeferre super *omnia*, quae huic coniunctioni obstare possint, non est amor caritatis *perfectae*, sed amor *initialis*, seu quidam affectus benevolentiae erga Deum ad iustificationem non sufficiens.

Ad caritatem perfectam concipiendam sufficit eius motivo niti, quin ad eius essentiam requiratur determinatus aliquis *intensionis* gradus.

Consideratio beneficiorum Dei planissima est via ad caritatem perfectam concipiendam. Recte addit Lehmk., n. 446 amorem erga Christum crucifixum facillime esse amorem caritatis.

Caritas extenditur ad proximum; cum enim in eo reluceat divina bonitas, quae illum ad sui unionem beatificam venire cupit, hinc amor proximi, etiam peccatoris, simul amor divinae bonitatis esse potest; sicut obsequia, quae tribuo cuidam (in quo forsan nihil, quod me alliciat, comperio), eo quod amatur ab amico meo, sunt simul actus amoris in amicum. Hinc caritatis obiectum sunt etiam angeli et animae in purgatorio detentae, non autem daemones aut homines damnati, utpote a beatitudine exclusi.

Necessaria est caritas necessitate medii, saltem in habitu, **84**
tali enim necessitate necessaria est gratia sanctificans, quae vel est ipse habitus caritatis, vel cum eo inseparabiliter coniungitur. De praecepto obligatorius est actus caritatis tum erga Deum (Matth. XXII, 37 et 38; prop. 5 et 6 damn. ab Inn. XI) tum erga proximum (Matth. ibid; prop. 10 et 11 damn. ab Inn. XI) : circa quod eadem dicta sunto, quae supra in simili argumento de fide et spe. Huic praecepto facile satisfit a fidelibus, erga Deum quidem, cum optant ut a nemine offendatur, ut ab omnibus ametur, cum peccata vitant quia Deo displicent; erga proximum vero quoad actum externum, cum proximi necessitatibus subveniunt iuxta regulas mox statuendas. Quare de omisso actu interno caritatis poenitentes examinandi non sunt, ut de actu fidei et spei animadvertimus.

---

1 De his Lugo, *De Poen.* d. 5, n. 25: « Quicumque actus dilectionis Dei, qui oriatur ex caritate, debet esse affectus amicitiae;... non potest tendere ad solam bonitatem intrinsecam Dei, quin simul tendat ad coniungendum amantem cum amato; quam coniunctionem eo gradu volumus, quo bonitatem illam amamus ».

Art. 2. De ordine caritatis erga proximum.

85 Ut commode statuantur regulae caritatis, quae fundamentum sunt plurium resolutionum in materia morali, distinguendus est diversus necessitatis gradus, in quo homo versari potest, sive in re spirituali sive in temporali, respectu habito et ad malum, quod ipsi imminet, et ad difficultatem eiusdem avertendi. Itaque,

Necessitas extrema dicitur, cum aliquis constitutus est in periculo mali extremi (v. gr. aeternae damnationis, mortis, amittendae valetudinis, pudicitiae, famae libertatis etc.) et suis viribus relictus periculum aut omnino evadere non potest aut tanta difficultate, ut evasio censeatur moraliter impossibilis.

Necessitati extremae aequiparatur quasi-extrema, quae tunc adest, quando malum, quod imminet, extremum malum fere attingit (v. gr. mutilatio), vel quando difficultas evadendi mali extremi fere morali impossibilitati comparatur (v. gr. periculum extremi mali iam fere instat).

Necessitas gravis dicitur cum aliquis moraliter loquendo non potest effugere magnum malum, quod tamen non pertingit ad extremum aut quasi-extremum; vel cum aliquis malum extremum aut quasi-extremum evadere non potest nisi cum magna difficultate, difficultas tamen satis distat a morali impossibilitate. Exemplum: si quis est in periculo amittendi suas opes et emendicandi, vel si quis necessaria vitae nonnisi cum magna difficultate sibi comparat.

Necessitas communis dicitur cum malum, in quo aliquis constituitur, attenta huius hominis condicione adhuc est tolerabile, vel cum difficultas, qua seipsum a magno malo eripere debeat, adhuc est tolerabilis. Exemplum: pauper qui solis eleemosynis solet vivere, vel qui partim eleemosynis partim labore se suosque solet alere; in communi necessitate spirituali versantur generatim peccatores, qui si vellent conatum adhibere, a statu peccati liberarentur.

86 His positis, en regulas caritatis:

1. **In necessitate extrema spirituali** subveniendum est proximo, etiam cum certo periculo vitae; nisi enim in hoc casu, iam numquam urgeret obligatio, qua debemus pro fratribus animas ponere (1. Ioann. III, 16). Ut tamen adsit huiusmodi obligatio, tria requirunt auctores: nempe ut (supposito quod moraliter certo constet de tali necessitate) spes salvandi

proximum sit moraliter certa, ut nemo alius credatur probabiliter opem praestiturus, atque ut non exponatur periculo salus plurium aliorum, quae a vita subvenientis pendeat. — Quod si spes salvandi proximum non est adeo certa, urget adhuc obligatio succurrendi, quamquam non cum certa iactura vitae, certe tamen cum periculo proportionato spei exitus.

2. **In necessitate extrema temporali** gravis datur obligatio subveniendi, etiam cum magno incommodo. Non tamen cum maximo; tum quia si alteruter tale damnum subiturus est, potius quisque sibi quam proximo prospicere potest, tum quia, cum ne propriam quidem vitam cum tanta difficultate servare teneamur, multo minus alienam.

3. **In necessitate gravi** gravis obligatio datur subveniendi proximo, dum id sine magno incommodo praestari potest; obligatio autem minus urget in necessitate temporali, quam in spirituali, ut melius apparebit ex dicendis de elargienda eleemosyna. Atque id est quod exprimitur illo effato: « caritas non urget cum gravi incommodo ».

Adverte: 1° in gravi necessitate spirituali tenentur succurrere proximo, etiam cum periculo vitae, ii quibus cura animarum incumbit ex officio, accedit enim caritati ratio iustitiae; 2° necessitas gravis communis (v. gr. tempore pestis) videtur aequiparanda extremae aut quasi-extremae; tunc enim vix non contingit, ut pro multis talis evadat; tunc igitur succurrendum est etiam cum periculo vitae, si alius desit opem laturus.

4. **In necessitate communi** obligatio datur succurrendi cum aliquo incommodo, id enim poscit caritas, non tamen cum magno, nec obligatio est gravis; nam proximus aut non adeo difficulter necessitatem potest evadere, aut haec illi non adeo est intolerabilis.

NB. — 1° In pari necessitate eiusdem ordinis, spiritualis **87**
vel temporalis, praevalet amor sui amori proximi. Atque hoc est fundamentum regularum supra traditarum, in quibus obligatio semper statuitur adimplenda sub minore incommodo, quam id quod subeundum est proximo.

2° Quando non omnibus, quibus deberetur, auxilium ferri potest, tunc succurrendum est prius personis nobis coniunctioribus, hoc ordine: parentibus, coniugi, filiis, fratribus, consanguineis ceteris; in ordinaria tamen necessitate coniux et filii parentibus praeponi debent. Potest iustis de causis huiusmodi ordo immutari.

Art. 3. De dilectione inimicorum.

88 Obligatio inimicos diligendi, saltem sicut ceteros eiusdem conditionis, eruitur non solum e iure naturae precipiente caritatem in proximum, verum etiam e positivo praecepto, quod saepe inculcavit Christus (Matth. V, 44; VI, 15; XVIII, 35). Quare:

1. **Debentur inimicis signa communia dilectionis,** seu ea, quae inter homines talis condicionis tribui solent; qualia v. gr. inter vicinos, inter patrem et filium, inter condiscipulos etc. His accensentur ea, quae libere assumuntur inter multitudinem aliquam, in qua inimicus reperitur; v. gr. si ad convivium consanguineos advocas, non licet praeterire inimicum; si merces venales exhibes, non licet inimicum ab emptione prohibere; si medici officio fungeris, non potes illi operam detrectare.

Denegare inimicis signa communia mortale est, siquidem grave odium prodit. Attamen quandoque, secluso odio aut scandalo, rationabiliter omittuntur ad tempus, v. gr. ad refrenandam offensoris audaciam, ad exprimendum iustum dolorem conceptum ob iniuriam etc. Quare si atrocem iniuriam coram aliis acceperis, iuste occurrentibus pluribus, inter quos inimicus, alloqueris omnes eo excepto, ne videaris atroces iniurias parvi facere; idem dic, si iniuria adhuc perseverat, v. gr. quia iniuste detinet tuam domum.

Salutatio et allocutio non est signum commune, nisi inter coniunctos et erga superiores quosdam; resalutatio et responsio signum est commune omnibus, praesertim concivibus. Sicut autem salutationis, etiam per se debitae, omissio saepe non est nisi venialis (aliquando quoque omissio allocutionis), sic e contra, eiusdem, etiam per se indebitae, omissio potest esse mortalis, v. gr. si vicinos soleas salutare et alloqui semper inimico excluso. Pariter resalutationis et responsionis denegatio generatim est mortalis, non ita tamen, ut numquam possit esse venialis, immo et irreprehensibilis, v. gr. si ad breve tempus ita agas ad expressionem iusti doloris, vel si pater id opportunum ducat ad correptionem filii. Quare nulla aptior regula tradi potest nisi haec: *Omissio alicuius signi dilectionis tunc est mortalis, quando attenta condicione personarum, consuetudine regionis, diuturnitate temporis, causa inimicitiae etc. omissio censetur manifestare odium grave.*

Hinc concludunt aliqui quod, si duae moniales per hebdomadam nolint se salutare et alloqui, non possunt statim damnari de mortali; etenim forsan non concluditur odium esse grave, puta quia ob nugas tantum rixatae fuerant, ideoque potius e naturali passione quam ex odio censentur ita agere;

vel quia rixa quidem praecessit gravis, sed putantur exspectare interim occasionem sese alloquendi, dum ira defervescit; secus praehabita gravi rixa putant ultra unam aut forsan alteram hebdomadam omnino argui de mortali.

Prorsus non licet inimicos excludere a communi oratione, v. gr. intendere ut non comprehendantur im oratione dominica.

Evitare diutius aspectum inimici, indicium odii esse potest; prudentia tamen est, si rationabiliter fiat v. gr. metu novorum iurgiorum cum homine iracundo.

2. **Non debentur inimicis signa specialia dilectionis,** etiam post reconciliationem et quamvis haec antea tribuere soleres, nisi accedat scandalum (quod facile impediri poterit), aut alia specialis ratio. Profecto specialis amicitia, sicut libere initur, ita libere dissolvi potest. Quare vinculum inter cognatos, consodales etc. exigit quidem natura sua specialem coniunctionem, quae, ut ex dictis elucet, communis et debita censenda est; at quidquid familiaritatis superadditur, ultroneum est ac proinde denegabile [1].

Orare speciatim pro inimico, perfectionis est; id pro poenitentia imponere, potest esse imprudens tentatio fragilitatis humanae.

3. **Offensa condonanda est** tum interne tum externe. 89
Interne quidem, quatenus omne odium et rancor et iniustae vindictae appetitus abiiciatur; externe autem non solum, quatenus signa dilectionis communia exhibeantur, sed etiam quatenus veniam petenti satisfactionemque danti condonatio culpae concedatur. Adverte:

Quoad 1um. Nulla datur obligatio condonandi satisfactionem pro damno et pro iniuria; offensus enim debet remittere malum indebitum proximo, seu odium, non autem bonum sibimet debitum; ideoque licet instituere actionem tum civilem pro damnis, tum criminalem pro iniuria. Sed quamvis actio criminalis urgeri possit, non quatenus mala inimico, sed ex amore iustitiae aut ne ille aliis noceat; tamen ab hac retrahendi sunt fideles; saepe enim latet odium et livor vindictae, quod facile comperiet poenitens rem considerans tamquam si non ipse offensus foret, sed tertius quidam.

Aliquando bonum commune postulat, ut satisfactio, etiam sponte oblata, non admittatur, sed potius iudicialiter expetatur, ut accidere potest in laesionae famae pastoris animarum cum damno fidelium aut religionis.

---

1 Hinc « quod aliquis (particularia signa dilectionis) inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem caritatis (S. Thom. 2. 2, q. 25, a. 9).

Non parum negotii facessunt quandoque confessariis poenitentes, qui dicunt se velle quidem ignoscere, sed non posse. Sed sicut non semper credendum illis qui dicunt se nullum fovere odium, ita nec fidelibus, qui postquam confessarius ob oculos posuit offensas ipsorum in Deum, exemplum Christi crucifigentibus dimittentis etc., adhuc dicunt sibi videri non posse odium abiicere. Saepe enim id provenit ex vivida apprehensione phantasiae, quae ad cogitationem inimici aut recordationem iniuriae subito excandescit, non autem ex vera voluntate, qua inimico optentur mala.

Quoad 2um. Offensor debet veniam petere, nisi longe superior sit vel condonatio praesumatur (cf. n. 350). — Si mutua fuit offensio, satisfactionem dare debet prior, qui gravius offendit. — Saepe satisfiet per petitionem veniae virtualem, v. gr. per dona, beneficia, obsequia, nisi forsan qualitas iniuriae aut adiuncta petitionem formalem exigant. — Cum saepe non adeo liqueat, quinam teneatur in petitione praecedere, urgeatur uterque, ut incipiat saltem salutare vel per alios reconciliationem proponere. — Non tenetur offensus statim post iniuriam externe reconciliationem admittere, id enim nimis esset violentum naturae humanae.

Cautus sit confessarius in urgenda formali petitione veniae, ne forte bonam fidem poenitentis imprudenter perturbet.

NB. — 1° Non est confundendum odium inimicitiae, quo alteri desideramus malum quatenus ipsi malum, cum odio abominationis, quod est quaedam aversio, quam erga aliquam personam experimur ob suos defectus, morum discrepantiam aut alias causas; sic post remissam offensam adhuc quemdam horrorem erga offensorem persentiscunt homines illumque fugiunt, quin tamen ulla ostendant inimicitiae signa nec malum ipsi optent. Odium abominationis, quia irrationalis plerumque, veniale est.

2° Optare proximo aliquod malum ob bonum finem licet, dummodo servetur ordo caritatis, id est dummodo bonum, quod intenditur, rationabiliter praeferendum sit bono, cuius privatio optatur. Sic licet optare mortem haeresiarchae ob bonum commune; egestatem aut morbum alicuius, ut a peccatis resipiscat; mortem filiae, eo quod ob inopiam et deformitatem vita intolerabilis ipsi filiae fiet. Nec prohibetur homo optare a Deo mortem, si vitam experiatur morte amariorem, melior enim est mors quam vita amara (Eccli. XXX, 17). Nec de mortali facile damnandae sunt mulierculae, quae sibi ob minimas molestias exoptant mortem, cum haec plerumque ex inadvertentia proferant.

Non est explicanda in confessione species mali in inimicum exoptati, utrum mors an infamia, pauperies etc.; haec enim nonnisi sub ratione generica mali solent inefficaciter desiderari. Aliud dicendum de desiderio efficaci; nam tam parum licet mortem velle inferre quam eam re ipsa inferre.

Art. 4. De eleemosyna spirituali.

1. **De correptione fraterna.** Ad hanc obligamur tum ex praecepto generali caritatis, tum ex peculiari praecepto Christi. (Matth. XVIII, 15). Obligatio est per se gravis; communiter tamen theologi agnoscuunt requiri sequentes condiciones: 1° *Ut certo constet de peccato et quidem gravi*, idque sine ulla indagatione; haec enim solius superioris est. Quare si notitia hausta sit per auditum, generatim non tenemur. 2° *Ut correptio videatur necessaria.* Quare non teneris, si probabiliter credis fratrem se emendasse aut emendaturum esse, aut si est alius, qui putatur correptionem adhibiturus. 3° *Ut probabiliter spes affulgeat emendationis.* Quare generatim non datur obligatio erga eos, quorum indolem ignoramus, aut quando dubitatur num correptio sit obfutura. 4° *Ut correptio fieri possit absque gravi incommodo corripientis.* Quare generatim ad illam non tenentur scrupulosi, quia necessaria carent discretione et praeterea nimiae anxietati subiicerentur, si se obligatos putare deberent. Superiores tamen (praelati, parochi, magistri etc.) tenentur, etiam cum gravi incommodo, deterrere subditos a mala via, monere parentes de periculis filiorum etc., quia tunc accedit ratio officii aut iustitiae; non tamen tenentur indagare multum et curiose de aliquo in particulari, nec faciles aures praebendae delatoribus. 90

Addunt auctores: 1° privati raro inter se ad correptionem tenentur, nisi sint familiariter coniuncti, quia raro adsunt omnes requisitae condiciones; rarius adhuc tenentur erga superiores. 2° Etsi adsint omnes condiciones, tamen si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem putet se non ita stricte obligatum vel minus idoneum esse ad corripiendum, omittendo videtur peccare tantum venialiter [1]. 3° Obligatio corripiendi venialia, si datur, facillime omitti potest.

Ex hucusque dictis concludi potest: «omittere correptionem fere semper veniale est... In Praelatis facile potest esse mortale» [2].

---

1 Bus. ap. S. Alph., l. 2, n. 37.

2 Sa ap. Bali. P., vol. 2, tr. 5, s. 3, c. 2, n. 155.

Speciatim quoad correptionem detrahentis (hic accedit caritas erga tertium, cui infertur damnum), ait S. Thom.: « Si ex timore vel negligentia vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat... plerumque venialiter »[1]. Etenim, ut ait Ball. P.[2], detractionem praeoccupare, cum quis non satis scit quo sermo tendat, est iniustum et scrupulis nimis obnoxium; quando vero detractio iam prodiit, damnum vix est reparabile et correptio tunc saepe aptior ad excitandam iram. Et iuxta Navarrum[3], qui audit detrahentem sine assensu et delectatione, licet non contradicat ob amicitiam vel verecundiam, non peccat mortaliter, nisi vel sit superior, cui onus corrigendi incumbat, vel praeter infamiam obveniat magnum damnum alicui, vel laesio famae sit valde maior quam sufficit ad detractionem gravem (cf. n. 347).

91 *De delatione ad superiorem.* Quamquam correptio tum ex obligatione tuendae famae, tum ex praecepto Christi prius per se facienda est privatim, dein coram testibus; tamen in communitatibus, collegiis etc., saltem quoad graviora delicta, praestat ordinarie rem deferre ad superiorem, tum quia per huius discretam correptionem melius speratur emendatio, tum quia vix alia via averti potest damnum tertii vel commune; immo in congregationibus religiosis « consuetudo denuntiandi levia delicta est quasi necessaria ad religionis statum conservandum » (Suarez), prout mox dicetur fusius.

Ex supradictis patet, quid dicendum sit de obligatione denuntiandi seductores aliorum in collegiis. Videlicet sub gravi denuntiandi sunt, etiam cum gravi incommodo, quando plurium perversio timetur; at si tantum corruptio unius vel alterius timetur, non videtur obligatio urgenda cum gravi incommodo, quod aliunde non raro adest, vel quia delator deberet proprium scelus prodere, vel quia probabile putat se venturum coram aliis in delationis suspicionem, quam maxime horret. Habeat confessarius ob oculos regulas monitionis dandas in tract. *De Poenit.*

De manifestatione delictorum apud religiosos. In religionibus ordinarie expedit magis fratrum culpas, privata correptione praetermissa, directe deferre ad superiorem. Ea enim sunt vitae communis, consuetudinis necessariae cum externis atque ipsarum religionum adiuncta, ut ordinarie semper adsit ad sic agendum aliquod ex his motivis, quae pro Soc. Iesu recenset Suarez, et debita cum proportione poterunt ceteris

---

1 S. Thom., 2, 2. q. 73, a. 4.
2 Ball. P., loc. cit., n. 171.
3 Ball. P., loc. cit., n. 171.

religionibus applicari: emendatio fratris, securitas religionis [1], occasiones agendi cum proximis, bonum religionis nomen, maior fructus ministeriorum, melior assignatio cuiusque ad munus, in quo sine detrimento possit deservire, maior indigentia directionis spiritualis propter statum probationis in Societatis scholasticis [2], ablatio occasionum in futurum [3], minor libertas admonendi fratrem, ne odium aliquod forte subeatur [4], uno verbo, profectus spiritualis privatorum aut bonum commune religionis [5]. Et quoniam ordinarie aliquod horum motivum adest, licet semper praesumere quod non deest, ideoque ordinarie licet rem superiori directe manifestare [6].

---

1 SUAREZ, *De Rel. Soc. Iesu*, l. 10, c. 9, n. 17.

2 SUAREZ, loc. cit., n. 15.

3 SUAREZ, loc. cit., l. 10, c. 10, n. 12.

4 ORLANDINI, *Comment. in Summ. Const. Soc. Iesu*, pag. 143.

5 Soc. Iesu Congr. Gen. VI decr. 33, n. 2.

6 Per id tamen non excluditur, quin in casu singulari aliter agendum sit. Nam ratio sic agendi est motivi *praesumptio*. Sed quoniam « praesumptio cedere debet veritati », ideo si quando constaret (quod raro eveniet) cessasse omnino rationem delationis immediatae et bonum maius obtinendum fore e monitione privata, haec esset facienda et delatio non liceret. (SUAREZ, op. cit., c. 9, n. 17). Nec tunc invocari posset declaratio praemissa in ingressu quarumdam religionum (v. gr. Soc. Iesu), qua candidatus renuntiat cuicumpue iuri famae, quod huic manifestationi obstare posset, et facultatem facit omnibus deferendi superiori ut patri, quaecumque in ipso notata fuerint; nam huiusmodi renuntiatio non potest comprehendere denuntiationem etiam manifeste inutilem, sed fit implicite, in quantum religioni prodesse possit, vel explicite ad maiorem spiritus profectum et emendationem (cf. Instit. Soc. Iesu, Exam., c. 4, n. 8). Quare cessante omni fine delationis, manifestatio ad superiorem non liceret (SUAREZ, op. cit., l. 10, c. 8, n. 11 ad finem, c. 9, n. 17; LUGO, *Resp. mor.*, l. 4, dub. 46, n. 3-8); et si nihilominus fieret, reparatio famae obligaret ex iustitia (hanc obligationem *ex iustitia* consequentem videntur obliti fuisse, qui asserunt delationem in casu, non obstante renuntiatione facta in ingressu, esse illicitam, hac *sola* nixi ratione: quod cessante renuntiatione iuris adhuc non cessavit lex caritatis praecipiens, ut quilibet alteri non faciat quod sibi nollet fieri. Insinuant ergo renuntiationem illiusmodi fuisse omnino absolutam, quod non putamus verum). Immo omnino etiam tenendum est, renuntiationem illiusmodi ad manifestationem notitiae haustae sub secreto consilii nec extendi, nec posse valide extendi; nam etsi possit quis renuntiare plerumque iuri proprio quoad hoc vel illud secretum particulare, aut quoad omnia huius vel illius materiae; at non posset sine laesione boni communis seu socialis necessarii, ideoque sine laesione iuris naturalis, ab omnibus tam universalis renuntiatio exigi. Ceterum bene ait SUAREZ, op. cit. l. 10, c. 9, n. 17 casum, in quo prudenter iudicari possit notitiam superioris non fore utiliorem ad emendationem fratris, securitatem religionis et alios fines honestos, qui hoc modo intendi possunt, fore in Societate rarissimum, et propterea legem

Et haec quidem teneri possunt non solum quoad delicta leviora [1], sed etiam quoad gravia superiori manifestanda ut patri; manifestare enim directe etiam gravia, valde est expediens et saepius licitum in variis religionibus, ut probat Suarez, sed potissimum in Societate Iesu [2].

Quaeres an huiusmodi delatio non solum fieri possit, sed etiam debeat? Resp. Ordinarie aliqua obligatio non deerit iure naturae, quoniam motiva, quae ordinarie diximus adesse, ad bonum fratris vel religionis reducuntur, uno verbo, ad caritatem; caritas autem non mere suadet, sed praecipit « alteri fac bonum ». Quoniam tamen id non praecipit absolute, sed iuxta mensuram boni, quod nobismetipsis vellemus fieri, ideo si agitur tantum de bono fratris, excusabit incommodum proportionatum, quod nisi agatur de notabili eius damno vitando, plerumque aderit, praesertim in levioribus. At si agitur de bono religionis (et ordinarie de eo etiam agitur, ut patet ex motivis supra expositis), maius incommodum requirendum est; tunc enim mensura obligationis caritatis non est bonum proprium sed commune, quod illo longe pluris aestimatur [3].

---

seu regulam de ipsius mentione non curasse. Idem sentit Lugo, loc. cit. aiens: « Hic casus est rarissimus et fere solum locum habere potest in peccatis valde antiquis, in quibus, ut bene ponderat Hurtado, inutile et illicitum esset nunc superiori manifestare peccata senis octogenarii, quae in adolescentia commisit, quorum apud homines memoria non est ».

1 Delicta leviora hic intelliguntur, quae communiter, quamvis ab aliquibus frequentius quam ab aliis, committi solent, vel potius quidquid parum minuit existimationem apud superiorem. Nihilominus, si de communibus defectibus sermo sit, non expedit eos passim superiori deferre, nec solum non expedit, addit Suarez, op. cit. l. 10, c. 7, n. 21, « sed nec debet permitti, quia superioribus molestissimum et fratribus odiosum possetque multum minuere caritatem et fraternam unionem »; quia ergo id fraternae caritati adversaretur, vacuum non esset ab aliquo peccato. Multo minus licet in fratris defectus inquirere et alienae conversationis curiosos esse exploratores (Orlandini, op. cit., pag. 166).

2 Cf. Suarez, op. cit., c. 9, n. 2, 5-15; Soc. Iesu Congr. Gen. VI can. 10; Lugo, *Resp. mor.*, l. 4, dub. 46, n. 3; Lehmk., n. 771; Ferr., n. 316.

3 Haec quoad obligationem ex iure naturali. Hoc autem cessante quaeri posset an delatio obligatoria sit, in Soc. Iesu, saltem ex Regula. Secluso casu gravis delicti, in quo vix non semper obligatio aderit ex iure naturali (et cf. Congr. Gen. VI can. 10), et agendo de levioribus, respondemus: Regula non obligat « explicite » ad manifestationem, non enim ait « cada uno ayudará a corregir », sed « sea contento de ayudar a corregir », id est explicite iubemur tantum « parati esse » ad manifestandum; sed quia Regula addit « mayormente cuando les sea demandado », implicite insinuat satis aliquam manifestationem esse sponte faciendam,

2. **De monitione** seu de correptione, quando proximus ex **92**
invincibili ignorantia peccat mere materialiter. Obligatio monitionis oriri potest ex scandalo, damno alicuius vitando, laesione divini honoris aut religionis, ex officio (patris, confessarii etc.). His vero seclusis nulla afferri potest ratio obligationis, etiamsi monitio facile fieri possit; nec est cur exceptio statui debeat in favorem legis naturalis, ac proinde regula accipi potest plane generalis. Ex se ergo non teneris monere frangentem ex oblivione ieiunium aut legentem inscienter librum prohibitum ipsi non nocivum.

Art. 5. De eleemosyna temporali.

Obligatio huius elargiendae oritur tum ex lege naturali **93**
caritatis, tum ex praecepto divino positivo (MATTH., XXV, 41); definiendaque erit attentis bonis, quae possidentur, et gravitate necessitatis cui succurrendum sit, ex regulis generalibus caritatis (n. 86) et intelligentia praecepti divini.

Ea bona dicuntur *necessaria vitae*, sine quibus homo se suosque alere non potest; reliqua sunt *superflua vitae*. Ea dicuntur *necessaria statui*, sine quibus homo non potest se suosque sustinere in suo statu et decenti condicione; huc pertinent « omnia quae requiruntur non solum ad filios et famulos et hospites (decenter) sustentandos, sed etiam ad honestas donationes, convivia et moderatas magnificentias exhibendas »[1]. et quae prudenter reponuntur pro casu futurae infirmitatis; ad decentiam status multi accensent quoque ea, quae reservantur ad modicum status ascensum; reliqua dicuntur *superflua statui*.

1. **In necessitate extrema** succurrendum est proximo sub gravi (nisi alii succurrere velint) etiam ex bonis aliquo modo statui necessariis[2], dando ei, etiam non petenti, saltem quantum requiritur ad illam necessitatem levandam; si autem pauper habet bona alibi aut in spe probabili, sufficit probabiliter dare ipsi cum condicione restitutionis in casu melioris fortunae. Nihilominus, non datur obligatio succurrendi per media plane extraordinaria, cum ne ad servandam quidem propriam vitam teneatur quisquam ea adhibere; nec cum incommodo vere ingenti, v. gr. decedendo a proprio statu.

---

prouti iam adverterat Congr. Gen. VI decr. 32, n. 5; sed cum haec insinuatio tam vaga sit, et Regula huius manifestationis ultroneae obligationem pressius non declaret, propterea practice praeceptum Regulae iuxta obligationem naturalem caritatis nuper explicatam aestimari poterit.

1 S. ALPH., l. 2, n. 32.

2 S. ALPH., l. 2, n. 31.

2. **In necessitate gravi** succurrendum est proximo, non tamen sub gravi, nisi quando sine magno incommodo fieri possit, ac proinde nonnisi ex bonis superfluis statui. Certe auctores mira diversitate loquuntur, sed haec regula conformis est regulis generalibus caritatis; praeterea saltem in id videntur auctores communiter convenire, graviter peccare divites, qui cum superflua habeant, f r e q u e n t e r repelliunt versantes in necessitate g r a v i; sunt tamen qui putent obligationem graviter urgere in singulis casibus particularibus.

3. **In necessitate communi** succurrendum est proximo, ut eruitur ex regulis caritatis; quapropter aliqua obligatione tenentur divites in communibus pauperum necessitatibus de superfluis statui elargiri eleemosynas, etsi non teneantur erga hunc vel illum in particulari. Num haec obligatio, praecipue attento praecepto divino, sub gravi urgeat, non constat; certe sententia negans obligationem gravem est probabilis. Immo, conveniunt omnes, etiam rigidiores, obligationem non esse erogandi omne superfluum; auctores plures[1] contenti sunt, si erogetur quinquagesima pars superfluorum.

Igitur conclusio practica sit[2]: positis dissidiis auctorum non esse negandam absolutionem diviti, qui nullam eleemosynam in communi necessitate dare velit, nisi etiam velit repellere frequenter pauperes gravi necessitate pressos.

NB. — 1° Obligationes hucusque adstructae non de pecunia solum intelligendae sunt, sed de quacumque ope, cuius indigeat proximus, v. gr. de opera medici, advocati etc. — 2° Non est obligatio indagandi necessitates pauperum, nisi grave dubium exsurgat de alicuius necessitate extrema, quale dubium nondum exsurgit, quoties aliquis dicit se ieiunum ab integro die aut similia; passim enim haec obtenduntur false. — 3° Parce et caute succurrendum laborare nolentibus, ne vagorum pigritia foveatur. — 4° Manet praeceptum eleemosynae, etsi in urbe vetita sit eleemosynae petitio; non enim desunt media succurrendi, v. gr. dando collectoribus eleemosynarum pro pauperibus vel institutionibus, quae eorum habent curam. — 5° Ii solum tenentur eleemosynas erogare, qui bonorum suorum liberam administrationem habent, vel qui eam nomine aliorum gerunt, v. gr. tutor nomine pupilli. Quid uxori liceat, dicetur in tract. de iust. n. 229. Filii generatim nonnisi in rebus valde tenuibus; nihil vero famuli, nisi aliquid tenue cum consensu domini prudenter praesumpto.

---

1 Hos vide ap. S. Alph., l. 2, n. 32.

2 Bus. ap. S. Alph., l. 2, n. 32 sub finem § « Nulli omnino »: Lehmk., n. 764.

Art. 6. De scandalo.

Scandalum est actio vel omissio praebens proximo occa- 94
sionem peccandi[1]. Quoniam autem caritas praecipit mala a proximo avertere, ideo omne scandalum ex se opponitur virtuti caritatis.

Adverte, quod vulgus solet etiam vocare scandalum rumorem ex aliqua actione ortum in populo aut horrorem de ea. Sed haec nihil pertinent ad scandalum, de quo agimus, quod semper dicit relationem ad ruinam spiritualem, sive haec consistat in peccato alicuius, sive generatim in imminutione virtutis, minore aestimatione ministrorum religionis, maiore libertate peccandi etc.

1. **Directum** dicitur scandalum, quando agens intendit 95
proximum inducere ad peccatum. Est igitur semper malum et praeter malitiam, quam ipsa agentis actio in se forsan habeat, et praeter laesionem caritatis cuivis scandalo inhaerentem continet specialem malitiam contra illam virtutem, ad cuius laesionem proximus inducitur; nam quaevis virtus me obligat non solum, ut eam non laedam, sed etiam ne procurem, ut eam alius laedat. Exemplum: alium percutere ut furetur, habet prater malitiam contra V praec. et rationem scandali specialem malitiam iniustitiae.

Dupliciter autem intendi potest peccatum proximi. Primo quidem, quatenus est praecise eius ruina spiritualis aut malum Dei, v. gr. libros pravos scribere ad pervertendos homines; et quoniam haec intentio est propria daemonis, ideo tunc scandalum dicitur diabolicum continetque specialem malitiam contra caritatem, consequenter in confessione distincte declarandam. — Altero modo, quando, ut solet fieri, agens solum intendit peccatum proximi quia sibi bonum, id est, propter utilitatem aut oblectamentum proprium; tunc scandalum dicitur directum simpliciter.

NB. — In peccato complicitatis non est necesse declarare, quisnam ad peccatum sollicitaverit, alter enim satis etiam sollicitavit per consensum; quare quod quis sollicitaverit prior, non est circumstantia specialis, sed mere aggravans.

Suadere minus malum ei, qui nulla alia ratione retrahi 96
potest a maiore malo, ad quod perpetrandum est determinatus,

---

1 Etsi scandalum proprie non adsit, nisi actio in se sit mala aut saltem speciem mali habeat, hic tamen latius sumitur nomen pro quavis actione, etiamsi nullam speciem mali habeat, si tamen ut talis a proximo aestimatur.

licet omnino[1], v. gr. volenti occidere proponere mutilationem; volenti adulterium proponere fornicationem; volenti furari a pauperibus proponere, ut potius furetur a divitibus. Et quamvis alii aliter casus distinguant et in diversa abeant, tamen haec doctrina pro omni casu sat multos habet patronos et tuta est. Ratio generalis, quia in talibus adiunctis non suades minus malum absolute, sed condicionate, faciendo hunc sensum: « Quandoquidem omnino vis malum facere, elige malum minus »; revocas igitur a maiore malo, et malum minus ex iustissima causa permittis dumtaxat, id est tantum intendis et suades diminutionem mali. Maxima tamen difficultas movetur pro casu, in quo determinato ad furandum a Petro proponas, ut furetur a Paulo, assignans determinate personam, cui furtum minori praeiudicio erit; sed adhuc in hoc casu licere suasionem defendit Vázquez cum aliis; nam ait: Paulus non potest esse invitus contra consulentem, cuius suasio formaliter tendebat in diminutionem mali, sed tantum erga furti exsecutorem.

Occasionem peccandi apponere licet ex iusta causa ad experimentum delinquentis, peccatum tamen non intendendo[2], v. gr. si herus apponat occasionem famulo de variis furtis suspecto; si custos se abscondat ad deprehendendum eum qui saepe agris damna infert (non tamen ut aliquem primo venientem possit deprehendere). Ratio, quia agens ad peccatum non inducit, sed tantum permittit ad iustam causam, iuxta princip. n. 8.

97 2. **Indirectum** scandalum dicitur, quando quis agit coram proximo aliquid, unde praevidet eum ad peccandum excitari posse, eius tamen peccatum non intendit, sed nec praecavet, v. gr. publice laborando die festo. Contineri hic laesionem caritatis patet ex ratione data de quovis scandalo generatim; et revera, si caritas iubet fratrem corripere, quando in peccatum cecidit, ut eum a peccato avertamus, pariter praecipiet ut ei, ne in peccatum incidat, praecaveamus. Hic igitur datur illa laesio caritatis, de qua supra, non tamen[3] malitia contra virtutem, cuius laesio praevidetur et non impeditur; nam etsi quaelibet virtus obligat me, ut non intendam eius laesionem, non tamen obligat me ut ipsius laesionem impediam: quare si peccata proximi impedire teneor, non ideo est, quia sunt laesiones talis virtutis seu malum virtutis, sed

---

1 Cf. S. Alph., l. 2, n. 57; Sanchez, *De Matrim.*, l. 7, d. 11, n. 14-30.

2 S. Alph., l. 2, n. 58.

3 Ut habet probabilior sententia cum Suarez, *De Carit.*, d. 10, s. 2 et Lugo, *De Poenit.*, d. 16, n. 159 seqq.).

quia sunt malum proximi; si igitur turpes sermones habentur coram aliis personis, quae inde praevidentur peccaturae, non erit necesse dicere num voto ligatae fuerint[1], num coniugatae etc. (probabiliter nec necesse erit declarare harum numerum, ut diximus n. 61).

Sed neque illa caritatis laesio aderit, si *a*) vel actio mala praevidetur ad malum non motura, v. gr. blasphemare coram monialibus aut coram mulionibus, qui semper blasphemare solent, vel *b*) si actio in se non peccaminosa ponitur ex iusta causa; in hoc enim casu desierat caritas obligare[2].

98 Quandonam autem desierit caritas obligare, seu quaenam causa iusta sit, ut actionem ex licitam possim ponere non obstante scandalo, quod creabitur proximo: diiudicandum est iuxta regulam generalem datam n. 8, quae eo benignius applicari potest, quod actio mea ad peccatum per se non conducit. Vel diiudicetur, iuxta regulas n. 86, num incommodum abstinendi ab actione sit sufficiens, ut iam non tenear ex caritate vitare detrimentum spirituale proximi; quae regulae etiam benignius applicari possunt ob rationem nuper datam.

In genere autem nulla regula aptior dari potest quam haec: *perpendatur ex una parte incommodum abstinendi ab agendo, ex altera autem conducentia actionis ad peccatum, huius gravitas et difficultas, qua proximus illud evitabit.*

Speciatim vero haec possunt statui:

99 *Si actio habeat speciem mali* (v. gr. non ieiunare ob morbum) vel aestimetur ut talis a proximo, obligatio erit edocendi proximum vel abstinendi ab agendo, quoties alterutrum fieri possit sine incommodo proportionate gravi. Quodsi proximus non obstante ratione ei data pergit scandalizari, scandalum fit pharisaicum, ideoque nulla abstinendi obligatio.

Si actio nullam habeat speciem mali, minor causa sufficiet ad agendum, (nam actio nullam habet conducentiam ad peccatum, quod proinde erit proximo magis voluntarium), magis minusve gravis pro maiore aut minore tentatione, quae creatur alteri, et pro gravitate peccati, quod timetur. Bene igitur renuo plus solvere rhedario eapropter blasphemanti; si

---

1 Aliud dicendum est si sermones misces *cum* persona voto ligata; das enim scandalum directum ad violandum votum.

2 Quare quoties auctores dicunt hanc vel illam actionem licere *secluso scandalo*, ita intelligendum est: non licere scilicet, quando non datur causa sufficiens permittendi scandalum; nam si causa sufficiens iuxta mox dicenda adest, actio illa iam est licita non obstante scandalo.

enim ad evitandas blasphemias obligatio esset plus solvendi, iam grave incommodum esset solvere omnibus, qui hoc medium arriperent exigendi iniusta.

Immo, concedunt omnes, in huiusmodi actionibus nullam in se habentibus speciem mali, quamlibet notabilem utilitatem sufficere pro motivo, si ob multitudinem petentium proximus iam voluntatem habet paratam ad peccandum et solum praestolatur rogantem[1]; v. gr. petere mutuum ab usurario, ut convivia instituas, quae tui status decentia requirit; petere sacramenta a parocho concubinario ad satisfaciendum devotioni ob aliquod festum. Sin autem id fiat sine iusta causa, probabiliter[2] peccatum scandali est solum leve[3], quia proximus non se determinat nunc ad peccandum ex mea occasione, sed iam prius ex sua mala voluntate se determinaverat; nec impedio quominus, si velit, quolibet momento malam voluntatem retractet et bene agat; cooperatio autem ad peccatum proximi, quae post huius consensum ponetur, plus quam venialiter mala dici non potest, quia illa actio solum fit peccaminosa ab eo liberrime; alii dicunt esse grave, eo quod actus externus auget adhaesionem voluntatis ad peccatum eiusque diuturnitatem, ideoque notabilis maior ruina proximo superadditur; sed si id valet, non apparet cur non exigant motivum grave ad excusandum.

Ex dictis vides leviter peccare filios, qui in suis inobedientiis praevident parentes in blasphemias iuxta inveteratam consuetudinem esse erupturos.

100 3. **Pusillorum** est scandalum, quod oritur unice aut fere unice ex ignorantia vel fragilitate proximi, ut si imaginem sororis tuae ostendas valde scrupuloso, vel si cui ex praesentia cuiusvis feminae per vias desideria excitentur.

Quoad omissionem actionis praeceptae, ex qua praevidetur scandalum, quaestio fit de muliere, quae scit se turpiter concupsci a certo viro (non ab aliquo communitatis in genere), an debeat omittere v. gr. auditionem Missae, ne se illius conspectui offerat. Dicunt alii eam teneri aliquoties ab actu praecepto abstinere, alii eam posse nihilominus praeceptum exsequi, immo ad rem praeceptam teneri; practice

---

1 Bene nota haec; nam si proximus malam voluntatem nondum concepit, gravis causa requireretur; v. gr. provocare ad iuramentum aliquem, quem peieraturum praevides; petere sacramenta ab indigno, qui ad haec administranda non se offert.

2 Lugo, Soto, Navarr., Caiet., ap. S. Alph., l. 2, n. 47.

3 Haec tamen sententia, ut eius rationes perpendenti patebit, applicari nequit rebus intrinsece malis, v. gr.: se offerre meretrici ad fores praestolanti.

quamlibet harum sententiarum sequi licet. At si quaestio est de actione non praecepta (v. gr. Missa die feriali), certe semel aut iterum ab ea abstinendum est (probabiliter non sub gravi)[1]; si tamen abstinentia diutius protrahenda est, iam nimium exsurgit incommodum ideoque licebit agere.

4. **Pharisaicum** est scandalum, quod proximus sumit mere ex sua peccandi malitia, ut odium pharisaeorum in Christum occasione dictorum eius et factorum. — Nulla actio, etsi consilii tantum, necessario omitti debet propter scandalum huius generis.

Art. 7. De cooperatione.

Cooperatio ad opus malum (de hac enim heic agimus) **101**
potest esse formalis et materialis. **Formalis** quando cooperans concurrit ad *formale* operis mali, scilicet non solum ad opus externum principalis agentis, sed etiam ad eius malam intentionem, ac proinde haec cooperatio respicit opus quatenus malum. **Materialis** quando cooperans concurrit dumtaxat ad *materiale* operis seu ad opus externum, alter vero principalis agens hac cooperatione abutitur ad peccandum. Haec cooperatio potest magis vel minus proxime aut remote influere in opus malum, prout inter unius actionem et pravam actionem alterius actiones aliae intercedant plures paucioresve. Sic aperire arcam simul cum fure est cooperatio proxima; ianuam domus illi aperire remota; vendere illi equum, quo forsan ad furandum perget, remotissima.

1. *Cooperatio formalis* **ad malum semper est illicita,** siqui- **102**
dem habet pro obiecto malum formale. Haec autem cooperatio fieri potest tripliciter:

a) **Procurando opus malum,** nempe *mandato*, *suasione*, *petitione*, et *quocumque auxilio*, quod praestatur cum intentione obtinendi effectum malum, v. gr. si scalam domui applices, *ut* fur facilius crimen patrare possit.

b) **Approbando opus malum,** nempe *laude*, *ratihabitione* etc., sive hanc approbationem actio contineat natura sua, v. gr. si nomine pravae associationis distribuas candidatis diplomata admissionis; sive ita censeatur ex circumstantiis, v. gr. domum exterius ornare in die celebrationis festi massonici.

---

1 S. Alph., l. 2, n. 53.

c) **Si actionem ponis, ex qua effectus malus tantum et per se sequitur, quin ad actionem habeas verum ius,** v. gr. si faces domui proiicias, si sclopetum in aliquem explodas. Tunc enim valet illud: « qui vult antecedens, vult consequens sufficienti cognitione propositum »; et sane, si diceres « nolui conflagrationem, sed tantum faces in hanc directionem proiicere », quando conflagrationem praevidisti, merito irridereris; ergo v o l u i s t i effectum malum. — Diximus « si sequitur effectus malus tantum »; quia si a e q u e i m m e d i a t e sequitur alter bonus, iam ex eo, quod velis antecedens, non concluditur te velle praecise consequens A, quoniam potes tantum velle consequens B et permittere A. — Diximus « si sequitur per se »; quia deficiente connexione inter causam et effectum non tenet illud effatum [1]. — Diximus « si ad actionem non habeas verum ius »; nam si ius habes, iam alius sequitur effectus, scilicet exercitium iuris, hunc autem bonum effectum potes velle et alium malum permittere. Sed debet esse v e r u m ius, id est ius ad actionem ponendam n o n o b s t a n t e praevisione effectus; nam v. gr. ad explodendum sclopetum in feram cum periculo vulnerandi hominem non sufficit ius venationis.

103 2. *Cooperatio materialis* **licita est, quando ponitur actio in se bona aut indifferens, ex qua duo aeque immediate oriuntur effectus, alter bonus, alter vero malus, dummodo cooperans effectum malum non intendat et ad procurandum effectum bonum habeat motivum sufficiens.** Est ipsissimum principium n 8, cuius rationem ibi consule. Ad sufficientiam motivi perpendenda erit, ut ibi diximus, quantitas effectus mali seu damni secuturi, influxus cooperationis magis minusve remotus, utrum me actionem denegante agens principalis necessario a malo abstineret, an alium cooperantem maiore vel minore difficultate reperiret etc.

Ibi quoque diximus requiri motivum exaequans quantitatem mali effectus [2]. Verum id proprie non valet nisi de

---

1 Si ex causa effectus sequitur solum per accidens, positio causae non est praecise volitio effectus, ideoque de se non est cooperatio formalis sed materialis. Si ergo peccatum est, ideo est, quia effectus permittitur absque motivo sufficienti, ut statim dicetur.

2 Huic principio: « requiri motivum *exaequans* effectum » non opponitur id, quod nuper diximus, nimirum pro *eodem* effectu requiri minus motivum, 1° si effectus est remotior, 2° si me non agente alius cooperaretur. Non 1.um, quia quo remotior est effectus, eo plures causae intercedunt, ideoque eo minus censetur effectus contineri in sua remota causa; effectus ergo maior, si remotior est, moraliter aestimatur in sua causa aeque ac effectus minor immediatus. Non 2.um, quia tunc censetur effectus dependere minus a mea actione, quoniam secus oriretur ab alia: iterum ergo minus censetur contineri in sua causa.

causa, ex qua effectus malus sequitur per se; heic vero effectus non sequitur nisi per accidens, seu ex libero abusu alterius, qui actionem meam assumit ad peccandum; quare ex capite causalitatis sufficiet motivum multo minus. At ex altera parte adversatur quantitas effectus mali, quae heic est maior; accedit enim ruina spiritualis proximi et offensa ab eo inferenda Deo; sed quoad hoc sufficiet applicare doctrinam supra traditam de scandalo, quae ordinarie valde mitigate applicari poterit; etenim ordinarie agens principalis iam contraxit peccatum coram Deo, cum malum patrare proposuit: non tamen adeo mitigate sicut in n. 99, quia heic aggravationi peccati vere occasionem per meam cooperationem praebeo.

Operae pretium erit magis specialiter sequentes regulas **104** e probatis auctoribus excerptas proponere:

a) Ob nullum damnum privatum licet concurrere efficaciter et proxime actioni graviter nocivae bono publico necessario vel bono religionis; bonum enim privatum his bonis cedere debet.

b) In aliis casibus, ut liceat cooperari omnino proxime, praecipue si cooperatio est necessaria aut tertio innocenti graviter damnosa, requiritur motivum omnino grave, aliquando gravissimum (scilicet tale incommodum, propter quod caritas iam non obliget vitare illud damnum proximi, cf. n. 86).

c) Si cooperatio est satis remota, et vel proximus iam sese determinavit ad peccandum, vel peccatum timetur tantum ab aliquo indeterminate, motivum sufficit mediocre, ut condicio famulatus, filiationis, incommodum ex non venditione mercium etc.; huiusmodi enim cooperatio remota et de se indifferens tali ratione satis cohonestatur. Sola ratio, quod alius cooperaretur, non sufficit.

d) Si vel actio est non proxima, sed tamen propinquior, vel proximus nondum se determinavit ad peccandum, requiritur incommodum vere notabile, plus minusve grave, ut periculum gravis iurgii, dimissio e famulatu cum periculo non inveniendi alium, detrimentum notabile in bonis fortunae etc.

3. *Applicationes.* Expedit afferre resolutiones casuum fre- **105** quentius occurrentium, quos auctores tractare solent.

a) **De cooperatione ad acatholicismum.** *a*) *Pulsare organa* cantumve dirigere in templo acatholico inseparabile est ab ipso ritu, cui inservit ornamento (nisi pulsatio organi fieret dumtaxat in honorem alicuius principis praesentis), ideoque cooperatio est formalis, proinde illicita[1].

---

1 Lehmk., I, 813.

β Aedificare templa haereticorum sine gravi causa favor sectae praestitus censetur, ideoque formalis cooperatio est in locis, ubi secta recens exoritur; facilius operarii gregarii excusabuntur. In locis vero, ubi haeresis grassatur impune, non adeo grave motivum requiritur; nondum tamen videtur sufficere pro operae directoribus huius lucri amissio, nisi gravior ratio accedat; operarii gregarii causa mediocri excusabuntur[1]. Aedificare templa idolorum vix umquam licere posse videtur.

γ) Conferre pecuniam ad templa aliave religiosa opera haereticorum, etiam ex motivo omnino gravi, raro licebit; quoniam a collatione pecuniae difficilius quam a materiali templorum aedificatione abstrahitur ratio cooperationis formalis. Facilius autem licebit cum gravi causa contribuere pecunia institutis haereticorum, quorum finis principalis non est religiosus, v. gr. scholis, nosocomiis etc., etsi haec secundum sectam haereticam praevideantur dirigenda; id, inquam, cum gravi causa, et dummodo publice non aestimetur ceu favor sectae praestitus, licebit in iis regionibus, ubi haereses grassantur impune; in aliis vero, ubi sectae vili habentur, difficillime excusatur a cooperatione formali.

106 *b*) **Conficere aut vendere** *α*) *res, quae nulli usui nisi pravo inservire possunt*, numquam licet, v. gr. imagines prorsus obscaenas, quae ne studio quidem scientifico destinari possunt, libros omnino obscaenos, instrumenta ad copulam onanisticam etc.

β) *Si vero res de se quidem non ordinantur ad malum usum, at natura sua ad hunc inclinant*, tunc quaestio pendet a maiore vel minore connexione, quam habent cum malo usu, et a fine emptoris. Nam conficere aut vendere idola mere ad ornandos hortos domosve patet licere; quando vero postulantur ad superstitionem, vix unquam licere posse videtur. Attamen ex gravissima causa necessitatis quasi-extremae non est, cur dicatur non licere conficere emblemata et ornamenta massonum: quippe quae, etsi haud facile queant ad alios usus ordinari, tamen nullam in se impietatem exprimunt. Vestes mulierum limites honestatis excedentes sponte conficere et venales exponere prorsus non licet; licet tamen ex causa mediocri aut, pro gradu inhonestatis vestium, gravi, eas postulantibus conficere. — *Res, quae magnum periculum abusus natura sua praebent*, v. gr. venena, non licet vendere, nisi moraliter constet de bono fine emptoris; attamen potest quae-

[1] Lehmk., ibid.

dam res (ut contingit in quibusdam venenis tam saepe ad bonos usus adhiberi, ut non sit opus sciscitari finem emptoris.

γ) *Si res quidem indifferentes sunt, sed iis multi abutuntur*, ut aleae, gladii, ornamenta mulierum, carnes die abstinentiae etc. (supponimus non constare de pravo fine emptoris), licite venduntur ex causa mediocri, v. gr. ne res invenditae retineantur; quoniam cooperatio est valde remota et, si ab uno negaretur, ab alio tamen facile praestaretur. Praeterea saepe sunt res, quae opus est ut venales prostent, quia habent etiam plures usus licitos.

δ) *Si res quidem indifferentes sunt, sed emptor eas poscit* **107**
declarans suam pravam intentionem, tunc non sufficit iactura huius lucri, sed accedere oportet causam proportionate gravem, v. gr. aversio plurium emptorum (tunc protestetur venditor se rem ad illum usum non vendere, sed id conscientiae emptoris relinquere); eoque gravior, quo graviores circumstantiae accedant, v. gr. damnum tertii; unde ait Gén. S.[1]: « Vix unquam a gravi peccato excusabitur, qui pharmacum vendit, quod satis manifeste petitur ad abortum procurandum ». Lehmk.[2] sentit non licere, nisi ex causa gravis omnino penuriae, depingere imaginem personae turpiter amatae, si artifici constet de turpi amore.

ε) *Si res quidem indifferentes sunt neque intentio malí usus ab emptore exprimitur, etiamsi a venditore cognoscatur*, v. gr. vendere agnum Iudaeo, sufficit causa mediocris, quoniam cooperatio est valde remota et, si ab uno negaretur, ab alio facile praestaretur. Vendere tamen res aliis, qui eas adulteratas aliis iterum venditurí sunt, non licet nisi ex aliqua causa gravi, siquidem cooperationi accedit ratio caritatis erga damnificandos; immo si agitur de adulterationibus nocivis, vix unquam licere putat Lehmk.[3], utpote contrariis bono publico. Attamen quando mercator non cessaturus est ab adulteratione, quia statim mercem invenient ab alio venditore, tunc valde mitius loquendum. Hinc est, quod sint Doctores[4], qui excusent vendentes vinum aut lac iis, qui haec aqua mixta revendituri sunt, si difficulter aliis vendere cogerentur.

---

1 Gén. S., n. 238, 3°.
2 Lehmk., I, n. 827.
3 Lehmk., ibid.
4 Quos vide ap. Ball. P., n. 270.

108 *c*) **Quoad famulos** aliosve, qui versantur in statu subiectionis erga eum, cui cooperantur:

a) *Ea, quae remotam tantum* cooperationem important, praestare possunt ob solam rationem famulatus (proinde non dicimus licere cuivis praestare), ut equum sternere domino ad peccandum exituro, aperire ostium meretrici, eidem lectum sternere, vinum apponere domino se inebriaturo, ei carnes ministrare die abstinentiae etc. Si tamen dominus id postulet exprimendo malum finem, famulus modeste dicat se ad servitia quidem paratum, non tamen ad cooperandum malae actioni; qua praemissa protestatione, si dominus instat, servitia praestare licebit.

β) *Ea, quae propinquius* ad peccatum concurrunt, aliam causam praeter famulatum requirunt, magis minusve gravem, iuxta gradum connexionis cum peccato, huius peccati gravitatem, damnorum tertio sonti vel innocenti inferendorum quantitatem, gradum spei quod, me cooperationem denegante, peccatum non sequeretur etc.; causa igitur non ex unica regula, sed prudentum iudicio his perpensis definienda est.

Exempla: comitari dominum ad domum concubinae aut eo curru vehere non licet ob solum famulatum, sed insuper notabilis damni ratio requiritur; haec autem practice semper adest in publicis aurigis, qui cum in loco publico omnibus indiscriminatim prostent, servitium denegare nequeunt sine gravissimo incommodo. Comitari herum, quando secus certo abstineret a peccato, v. gr. quia sine me solus per loca deserta noctu non transiret; aut invigilare, dum ipse versatur cum amasia, ad monendum si quis superveniat, incommodum exigit valde magnum. Munuscula vel litteras amatorias, quae turpem amorem auctura praevidentur, licet famulo ex causa sat gravi deferre ad amasiam; si vero litterae invitationem ad peccandum continent, auctores propendunt ad iudicandum, quod tunc famulus i n v i t a t ad peccatum, ideoque esse intrinsece malum; addunt tamen, quod famulo vix constabit, etsi vehementer suspicetur, quid reapse contineant litterae. Licet quoque famulo ad vitandum notabile damnum (v. gr. ne e domo expellatur et alium herum facile non inveniat) dicere amasiae, ut apud herum conveniat tali hora, etsi famulo mala heri intentio nota sit; at numquam liceret directe invitationem peccati exprimere. — Haec multo severius essent sumenda, si ageretur de s t u p r a n d a virgine.

109 *d*) **Quoad caupones.** Excitare ad largiorem potum eos, qui laute poti iamiam inebriandi praevidentur, certe non licet, est enim scandalum directum. Ast apponere vel porrigere cooperatio est materialis, quamvis non adeo remota; ab ea

excusat metus cuiuscumque gravis damni, puta, si alias (caupones) laederentur notabiliter ex diminutione emptorum [1], vel metus gravis rixae aut blasphemiae. — Possunt carnes diebus vetitis praebere omnibus eas petentibus, causae enim plures esse possunt eas licite petendi, et odiosum est inquirere, idque non fieret sine gravi periculo plures a se avertendi. Immo si plures eas petituros praevident, possunt carnibus mensam parare, dummodo accumbentibus optio detur abstinentiam servandi, v. gr.: si cibi quoque esuriales in mensa prostent. — Carnes vero dare postulanti in contemptum religionis nullatenus licet. — Nisi ex notabili necessitate non potest mos geri postulanti locum ad peccandum: immo si casus concedendi accideret, opus est se ita gerere, ut nulla approbatio, potius displicentia ostendatur. — Quid de fovendis choreis et apponendis pravis ephemeridibus, dicetur mox in Appendice.

e) **Quoad locatores.** Venditioni assimilatur locatio, ideo- **110**
que plura inferri poterunt ex dictis supra in *b*). — Praecipue quaeritur, an liceat locare domum meretricibus, ubi a legibus ad vitanda maiora mala tolerantur [2]; non licet, si vel domus eiusve situs favorabilis ansam pluribus peccatis praebebit, aut si vicinis honestis nocumentum creatur, aut si haud facile alibi locationem invenient; his seclusis cooperatio est remotior, proinde licebit locationem dare; evenire tamen potest, ut locator catholicus tamquam meretricii fautor sit auditurus, ideoque haec ratio esse potest, cur tunc pro illicito haberi debeat. — « Eadem applicentur, ubi agitur de domo locanda cauponi praebenti choreas parum honestas aut similia. Gravior sane causa requiritur, ut eam liceat locare viro vel coetui, qui bono communi plurimum nocet, puta socialistis; vix unquam id licebit, quando contracto denegato huiusmodi nebulones alias aedes congruas reperire nequeant » (Gén. S.) [3].

f) **Quoad typographos.** De eorum cooperatione ad pravos libros aut ephemerides dicetur mox in Appendice.

NB. — Alii casus de cooperatione frequenter occurrunt, v. gr. in sponsis alterius oscula admittentibus, in uxore maritum admittente, quem praevidet abusurum matrimonio etc. Sed haec commodius alibi tractabuntur.

---

1 S. Alph., l. 2, n. 69 et plures alii.

2 An oporteat tolerari a Gubernio meretrices, et an, dato quod tolerentur, oporteat eas inspectioni medicali subiicere, duplex quaestio est apud multos controversa. Cf. Vermeersch, *De Cast.*, ed. 1919, n. 212 seqq.; Dr. Blanc y Benet, *La sífilis*, passim; Dr. Féré, *L' inst. sex.*, pag. 323 seqq.; *Encicl. universal* Espasa v. Prostitución, pag. 1111, col. 1ª et pag. 1116; *Encycl. Britannica* v. Prostitution, pag. 463.

3 Gén. S., n. 238.

APPENDIX

111 Hic quaestiones quasdam complectemur ad materiam de scandalo simul et cooperatione pertinentes, quamquam earum nonnullae materiam quoque aliam, v. gr. de VI praecepto, attingunt.

1. *Libri et ephemerides* pravae ipso iure naturae vetari possunt (quatenus autem vetentur iure ecclesiastico dicemus in n. 374 seqq.), scilicet:

a) **Ob scandalum,** eo quod alii moveantur eadem emere et legere cum magno animi periculo. Patet maius scandalum dari ab ecclesiastico, quam a saeculari; maius, si assidue quam si raro legantur.

b) **Ob periculum perversionis,** quod quidem proximum remotumve sit, pendet tum a *legentis* instructione in rebus fidei, propensione ad venerea etc., tum a *lectionis* indole, utrum dogmata obiter tantum an data opera vel captiosis argumentationibus impetat, num turpia scientifice an turpiter tractet, tum a *frequentia* lectionis.

c) **Ob cooperationem,** quae quidem diversimode exerceri potest. Speciatim:

112 *Editor*, quoniam opus nomine auctoris edi et evulgari curat, illud approbare censetur, ideoque eius cooperatio est formalis. *Impressor* cooperatur saltem omnino proxime.

Operarii alii cooperantur proxime, scilicet qui typos ordinant, atramento intingunt, prelum versant etc.; alii remote, qui papyrum praeparant, impressa corrigunt etc. Ad casus igitur solvendos applicentur regulae generales n. 104. At hodie commodius distingues non inter singulos libros, qui conficiuntur, sed potius inter officinas, in quibus opera collocatur. Si in his igitur nihil fere nisi prorsus malum cuditur, cooperatores proximi sub gravi tenentur eas quamprimum deserere, etiam cum salarii imminutione, interea tamen dum aliam non reperiunt ad se suosque alendos, remanere possunt; idem facere debent cooperatores remoti, non tamen cum notabili suo detrimento. Alias vero officinas, ubi vel ephemerides non omnino pravae vel bona simul malaque opera eduntur, ne cooperatores quidem proximi deserere tenentur cum notabili incommodo, saltem si alii typographi non deerunt operam praestituri.

Articulos, etiam indifferentes, scribere in ephemeridibus pravis per se non licet; in casu tamen particulari pensanda hinc aestimatio, quae ephemeridi conciliatur, illinc causa

cooperandi. Et cum ephemerides illae damnum sensim sine sensu animabus inferant vere magnum, ideo causa saepe requiritur vere magna. Facilius autem ea aestimatio accrescit ex labore constanti (v. gr. singulis hebdomadis mittendo notitias e natione extera); quare facilius quam pro collaboratione constanti admitti potest ratio excusans pro una alterave vice, v. gr. ad famam vindicandam, ad suam in arte peritiam ostendendam, praesertim si elucubrationes concedantur quoque ephemeridibus catholicis; facile tamen datur scandalum, si nempe id pro ephemeridis approbatione accipiatur.

Nuntia de rebus vendendis etc. ephemeridem incredibili efficacia sustinent. Sed cum ordinarie haec efficacia oriatur levis e singulis, ideo plerumque ad inserendum nuntium non requiritur gravis causa. Immo aliquando ex quadam rationabili causa excusaberis, saltem si idem bonis quoque ephemeridibus nuntiandum committas. Severius loquendum, ubi catholici foedus inierint de hoc validissimo subsidio pravis ephemeridibus subtrahendo.

Subscriptionem dare pravis ephemeridibus cooperatio est **113**
sat propinqua et efficax, quoniam in numero subscriptorum fere nititur editio. Cum tamen id non adeo pendeat a singulis, ideo generatim (nisi agatur de viro, qui posset suo exemplo plures subscriptores ephemeridi subtrahere, aut nisi ex multorum inito pacto sit spes diminuendi ephemeridis influxum) excusat iusta causa. Unum alterumve numerum emere licet ex quavis rationabili causa, v. gr. ad tollendum fastidium, sed caveatur scandalum. Emere frequenter cooperationi remotae assimilatur (in his enim emptoribus non adeo nititur editio), a qua excusabit causa mediocriter gravis, v. gr. si notitias negotiis sat utiles speres, quas aliunde non haurires, vel si nulla nisi liberalis ephemeris obtineri possit et valde molestum esset ab omni ephemeride abstinere. Quod si ob iustam causam quotidie cogaris emere, iam ad tantum incommodum non videris teneri, ut vites paulo maiorem efficaciam ex subscriptione oriundam. — Haec diximus attenta solum cooperatione (quae eo maiorem causam exiget, quo peior est ephemeris); at insuper attende ad scandalum et ad ius ecclesiasticum.

Qui eas ephemerides licite emit, caveat, ne eas domi ita relinquat, ut a filiis, famulis etc. legi possint.

Vendere pravas ephemerides par est cooperationi proximae. Quare si eae sunt valde pravae, omnino quaerenda est alia vivendi ratio quamprimum; interea tamen, donec inveniatur, pergere licet ad se suosque alendos. Eadem severitate utendum, etsi ephemerides non adeo sint pravae, si venditio exercetur modo stabili.

Clientibus proponere in officina, caupona etc. ephemerides pravas, si hae prorsus impiae et immorales sint, tam grave scandalum est, ut non excusetur, etsi multi clientes propterea officinam deserturi sint; nam ad ponendam occasionem tanti damni multorum ratione opus esset urgentissima, quae raro eveniet. At si non adeo pravae sint, sed bona malis aliquando admisceant, ex rationabili causa licebit apponere, nisi ius positivum obstet; malum valde minuitur, si aliae simul bonae apponuntur.

114 2. *Suffragium* ad eligendos deputatos aliasve personas publicas *ex obligatione ferri debet;* omnes enim tenentur bonum commune promovere, malum commune avertere (praescindimus a casu, quo id involveret approbationem gubernii illegitimi etc.). — Haec obligatio *a*) oritur communiter ex sola iustitia legali, quoniam hoc ius non exercetur per modum officii, sed facultatis. *b*) Dimetienda est ex influxu, quem quis per suffragium exercere valet in societatis bonum et quantum intersit hocce bonum. Quare obligatio levis esse solet pro ordinariis electoribus, gravis vero, si quando ex meo suffragio pendeat cum spe fundata exitus electionis, qui societatis valde intersit; idem dic quoad alios ad suffragium inducendos, si quis consilio vel auctoritate praevalet.

Datur obligatio eligendi dignos, ac proinde inquirendi de dotibus et intentionibus candidati; vulgares electores, cum id per se ipsos facere nequeant, sequantur ductum parochi aut alterius viri prudentis.

115 *Eligere indignum, quando ceteri concurrunt indigniores*, licet[1]. Profecto tria in huiusmodi electione reprehendi possent: *a*) cooperatio ad mala, quae candidatus post promotionem societati inferet; *b*) cooperatio ad eius promotionem, quae de se iam est quoddam periculum, quod societati creatur, ideoque quoddam malum societati illatum; *c*) quod suffragatio censetur de se approbatio candidati seu eius idignitatis. Iam vero *a*) prior cooperatio est materialis, siquidem illa mala non p e r s e ex electione, sed p e r a c c i d e n s ex libera promoti voluntate oriuntur, ad cooperandum autem materialiter causa datur sufficiens; *b*) altera cooperatio, sive materialis dicatur sive formalis, saltem non est f o r m a l i s ad m a l u m; nam ex una parte suffragatio nullius ius violat, quoniam ius, quod habet societas, ne illi creetur tale periculum, cessat quando secus ipsa aliud maius deberet incurrere; et ex altera parte f o r m a l i t a s cooperationis non tendit nisi ad d e m i n u -

[1] Ut constat praesertim ex epistola Pii X data ad catholicos Hispaniae 20 febr. 1905.

tionem periculi; *c*) etsi suffragatio communiter aestimetur approbatio pravi programmatis candidati, ideoque (quamdiu sic aestimari debeat) intrinsece mala; tamen in casu satis haec aestimatio ex adiunctis evanescit; nemo enim prudens censebit suffragium ferri ideo praecise, quia candidati programma placeat, quando adiuncta satis ostendunt aliud gravissimum motivum adesse, quod ad suffragandum impellat.

Eligere indignum, sive alii concurrant digni sive secus, communiter involvit cooperationem formalem ad indignitatem candidati, ideoque dici debet intrinsece malum. Attamen potest mihi vel alii impendere ex abstentione malum, cuius quantitas et certitudo censeatur proportionari malo societatis magis minusve dubio, influxui mei suffragii in electionem etc.; stante hac proportionata causa, ex una parte cessat ius, quod habet societas, ut a suffragando indigno abstineam, ex altera autem suffragatio non fit ex approbatione indignitatis, sed ex voluntate vitandi malum (quod si alii censeant suffragantem approbare candidatum, manifestetur coactio), ideoque videtur tunc licere.

3. *Luxuria* dicitur in genere non solum excessus in re **116**
venerea, sed etiam in vestitu, epulis etc. Quaestio hic fieri solet praesertim de ornatu mulierum aliisque ad scandalum pertinentibus.

Quaenam ornatus superfluitas censenda sit peccaminosa (praescindendo a prava intentione mulieris), fere unice pendet a consuetudine, qua fit ut res minus ad concupiscentiam moveant. Hinc est, quod Doctores ne denudationem quidem uberum, quae nimia non sit, de mortali semper damnent; nimiam autem Caietanus non censet, saltem ad mortalem, si monstrantur media ubera[1]. Hinc patet, quam difficulter de mortali damnari possit excessus in vestium arrogantia, ornatu crinium etc., eo vel magis, quod naturalis pulchritudo multo magis nata sit concupiscentiam excitare quam huiusmodi ornatus.

Si mulier scit se a certo quodam viro turpiter concupisci **117**
et potest scandalum ab eo avertere abstinendo una alterave vice a re non praecepta, v. gr. a deambulatione, a transitu per hanc viam, a fenestra etc., tenetur id facere (probabiliter

---

1 1. Intellige, nempe ubi mos vigeret. At ubi non vigeret, facile peccarent mortaliter feminae, quae morem denudandi media ubera introducerent. S. Alph., l. 2, n. 54, 9°. Hic mos, etiam ubi vigeat, enixe a concionatoribus et confessariis, quantum fieri possit, coercendus est atque exstirpandus; S. Alph., l. 2. n. 55.

non sub gravi[1]; at mortaliter peccaret, si ex vanitate ultro se aspectui talis viri offerret, etsi eius peccatum non intenderet[2]. Quod si haec coarctatio libertatis plus quam semel aut altera vice deberet protrahi, aut si mulier anxie deliberare deberet num ratio sufficiens adesset, libere posset agere. — Num abstinere debeat a re praecepta, vid. n. 100.

Si vero scandalum timetur pro aliquo indeterminate, nulla prorsus obligatio est abstinendi ab honesto ornatu iuxta status consuetudinem, a libertate exeundi etc. Immo «etsi femina putet aliquos peccaturos, non ideo tenetur sub mortali dimittere (honestum) ornatum»[3], secus deberet perpetuo abstinere, quod esset nimis grave, cum in magno concursu nunquam desint qui turpia desideria foveant.

Si mulier se ornet ex intentione provocandi ad concupiscentiam, mortaliter peccat. Sin ex levitate, v. gr. ut ab omnibus spectetur, venialiter. Si vero ex rationabili causa, v. gr. ut placeat marito, ut sponsum retineat etc., nullum committit peccatum. — Similiter iudicandum de muliere induente viriles vestes; totum enim pendet ab intentione et causa.

118 4. *Choreae* illicitae saepissime sunt, vel quia *inhonestae* ob turpes tactus, gestus etc.; vel ob *proximum peccandi periculum*, quod praesertim oritur in viris; vel ob *scandalum*, quod maxime dant feminae, eo quod, etsi ipsae forsan nihil mali sentiant, cooperantur tamen periculo peccandi proximo, quod viro saepe creatur.

Conetur confessarius totis viribus poenitentem a choreis avertere, in his enim et pietas languescit celerrime et peccata committuntur multa. Si tamen de abstinendi obligatione stricta agatur, haec imponi nequit, nisi: 1° periculum peccandi proximum praevideatur vel ex inhonestate choreae vel ex fragilitate poenitentis (si tamen is passim muliere occurrente peccare solet, periculum non provenit *ex chorea*, sed ex neglectu vitae christianae), vel ex praeterita experientia. Quod si necessitas iuxta regulas in tract. de Poenit. tradendas suaderet, ut periculum tolleretur adhibitis mediis, ut ex proximo fieret remotum: moneatur poenitens, ut ab actionibus sermonibusque turpibus abstineat, rhythmo potius mentem figat, piis cogitationibus se muniat, familiarem se comparti non praebeat, personas turpiter amatas vitet etc. 2° Si periculum proximum comparti vel alii praevideatur, cui iuxta regulas de scandalo et cooperatione occasionem praebere non licet.

---

1 S. Alph., l. 2, n. 53.

2 S. Alph., ibid.

3 Lessius, Tamburini.

Bened. XIV [1] haec habet: *a*) Absolvi posse eum, qui choreas vult adire, etsi motus pravos frequenter patiatur, quos tamen nec quaerit nec admittit, praesertim si urbanitas aliave causa rationabilis postulet. *b*) Etsi Bertha sit moraliter certa Caium esse graviter peccaturum, non tenetur a choreis diu, v. gr. toto tempore Bacchanalium abstinere, dummodo choreae honestae sint et ipsa modeste agat.

De cauponis aliisve qui choreas praebent idem tene, quod de exponendis pravis ephemeridibus diximus. Choreas nempe honestas ducere possunt (satius tamen omitterentur), etsi multos hac occasione peccaturos praevideant; alias minus honestas praebere non possunt sine valde gravi causa, v. gr.: si non possent statum suum servare [2].

5. *Spectacula*, ut choreae, illicita saepissime sunt, vel **119**
quia *in se inhonesta* vel ob *proximum peccandi periculum* vel ob *scandalum*.

Conetur confessarius poenitentes a spectaculis avertere, nam praeterquam quod plerumque vel inhonesta sunt vel choreae inhonestae interseruntur, saltem animus in tepiditatem et sensualismum citissime decidit. Stricta tamen obligatio non adest, nisi ratione periculi proximi, quod ex natura spec-

---

1 Mens. apr. 1739, cas. III.

2 Denique circa artem nostris diebus mire inventam exercendae hilariter caritatis, ducendo scilicet choreas, quas vocant beneficentiae, notatu dignae sunt declarationes S. C. Consist. 31 mart. 1916 et 10 dec. 1917, tametsi ad particularem quamdam regionem referantur: Choreae in Foederatis Amer. Sept. Statibus a catholicis familiis convocari solitae ad caritatis vincula inter se fovenda simulque ad subsidia pro hoc vel illo pio opere comparanda auctoritate alicuius pii operis rectoris et non raro ispsius parochi, reprobantur, etsi fiant horis diurnis nec nimium protrahantur vel etiam si fiant sine convivio, quod appellatur Pic-nic. Et *Conc. Pl. Amer. Lat.* n. 799: « Improbamus collectiones eleemosynarum, quae sub nomine chorearum caritatis *Bailes de caridad* vitium constituunt contrarium verae caritati, quae morum honestatis et christianae moderationis nutrix ac tutrix exsistit, non autem mundanae dissolutionis. Idem dicendum est de mundanis spectaculis theatralibus et taurorum exercitationibus, sub eodem praetextu peractis ». Et n. 758: « Reprobamus parentum incuriam, qui natis suis plenam conversationis cum personis alterius sexus licentiam concedentes, intemeratae pudicitiae virtutem contra pericula non satis praemuniunt, praematuram futurorum sponsorum designationem non inhibent, atque amorem castitatis in eorum cordibus non firmant ac fovent. Eadem de causa, non minore reprobatione dignos declaramus promotores et fautores chorearum puerorum, vulgo *Bailes infantiles;* et gravissime in Domino monemus parentes ne proprios filios tanto periculo exponant, quamvis ad excusandas excusationes in peccatis praetextus plurimi exhibeantur, qui honestatis speciem habere videntur.

taculi, fragilitate poenitentis vel eius praeterita experientia praevidetur, aut ratione scandali. — « Periculum proximum », ait Gén. S.[1], « rarius aderit in iis, qui unice musica delectantur, vel ad spectaculum parum attendunt, saepius in iuvenibus », qui si crebro theatrum adeunt, facillime in omnem luxuriam ruunt.

120 Attenta spectaculi natura haec specialius subiicienda videntur:

Si spectaculum est turpissimum, (id est omnino obscaenum vel omnino impium), patet graviter peccare eum, qui obscaena libenter aspiciat, aut in impietatibus delectetur, aut haec plausu approbet. — Si quis ex gravi causa adire cogatur, sanctis cogitationibus se muniat, oculos a turpibus avertat, attentionem ad alia, v. gr. ad musicam convertat.

Si spectaculum est notabiliter turpe (at non omnino obscaenum aut impium, v. gr. si personae incedunt habitu notabiliter indecenti, si res valde turpes recitantur, si quaedam repraesentantur, quae natura sua periculum proximum alicuius creabunt), mortale est ea spectare *ob* delectationem turpem vel cum periculo proximo; veniale, secluso scandalo etc., ob curiositatem aut vanum solatium[2]. Periculum proximum facile creabitur adolescentibus aut aliis parum timoratis. Huiusmodi res ex levitate plaudere, cum absolute graves non sint, grave dici nequit, seclusa intentione; qui tamen plausibus antecedunt, saepe causa sunt, cur ceteri idem cum prava intentione faciant, vel cur exhibitio alio die repetatur; quare id grave est.

Si spectaculum non est notabiliter turpe, facilius rationabilis causa excusat. Si quis pravos motus experiatur, cf. supra de choreis, aut infra in VI Dec. praec.

Directores, *compositores*, *actores* rerum turpissimarum numquam excusantur; rerum notabiliter turpium excusari tantum possunt ob causam urgentissimam, v. gr.: ob penuriam valde gravem. — *Alii actores personam honestam agentes* cooperantur proxime; adhibeantur igitur regulae n. 104. — *Musici* qui ea, quae ab actoribus fiunt, comitantur, cooperatoribus proximis sat videntur accedere. Musicis, qui operam suam ad tempus alicui theatro locant, eandem regulam applicarem, quam supra n. 112, distinguendo scilicet indolem diversorum theatrorum. Musici spectaculum amoenizantes cooperatores sunt remoti. — *Ementes ingressum* ad spectaculum tractandi sunt ratione cooperationis sicut ii, (n. 113) qui pravas emunt ephemerides.

---

1 Gén. S., n. 242.
2 S. Alph., l. 4, n. 427.

TRACTATUS V.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

Caput 1. DE Iº PRAECEPTO

Art. 1. De superstitione.

Superstitio est vitium « exhibens cultum divinum vel cui **121**
non debet, vel eo modo quo non debet » [1]. Est peccatum contra virtutem religionis, cuius obiectum formale est honestas relucens in exhibendo cultu Deo [2].

Ad superstitionem prioris generis pertinet 1° *idolatria*, ut patet. — 2° *divinatio*, qua daemon ad aliquid inquirendum expresse vel tacite invocatur. Profecto si a daemone petis, quae

---

1 S. Thom., 2. 2, q. 92, a. 1.

2 De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum agit Codex Iuris can. 1276 - 1289. De his sequentia animadvertisse sufficiet:

Sanctis tantum vel Beatis tribuere licet cultum publicum (can. 1277), is scilicet qui nomine Ecclesiae defertur a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione iisdem exhibendos (can. 1256). Non ergo cultus prohibetur « Venerabilibus », seu iis, de quorum virtutibus in gradu heroico vel martyrio decretum publicatum est (can. 2115, 2084); nec « Servis Dei », seu iis qui in fama sanctitatis vel martyrii decesserunt tribui prohibetur cultus privatus, v. gr. preces, ceteris etiam comitantibus, privatim recitare, vel eorum reliquias asservare, osculari, infirmis applicare etc.; at nequeunt eorum imagines in altaribus imponi aut ornatae radiis ad venerationem distribui. In locis sacris, etiam exemptis, nulla insolita imago apponi potest, nisi ab Ordinario loci approbata (can. 1279). Insignes Sanctorum vel Beatorum reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari, sine expressa Ordinarii licentia (can. 1282), nec ullae reliquiae in ecclesiis publico cultu honorari possunt, nisi genuinas esse constet authentico documento (can. 1283); cum autem exponuntur, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet (can. 1287). Beatorum tamen reliquiae nequent exponi, nisi ubi eorum officium et Missae concessa sunt (can. 1287). Sacras reliquias vendere nefas est (can. 1289).

solus Deus potest nosse, patet illi cultum divinum tribui; si alia, adhuc est iniuriosum Deo, quod te daemoni eius inimico subiicias tamquam magistro. Tacite daemon invocatur v. gr., si futura libera aut arcana cordium perscruteris ex astris, lineis manus, iactu taxillorum etc. — 3° *vana observantia*, qua homo ad aliquid obtinendum confugit ad creaturas huic fini improportionatas, v. gr. si sanitatem velis consequi per formationem certorum signorum, aut si ad id certas preces per tot dies iteratas adhibeas tamquam medium infallibile ad impetrandum effectum (aliud est preces per certum dierum numerum fundere sperando auxilium divinum), aut si aliquos dies faustos vel infaustos habeas etc.

122 *Superstitio est ex se mortalis;* attamen quando tacita invocatio daemonis satis obscure latet, plerumque a gravi peccato excusat ignorantia, simplicitas, timiditas, aut quia rei superstitiosae non adhibetur omnino fides; quae quidem locum habent praesertim in rudibus. Sic levi peccato superstitionis peccant, qui iactores chartarum adeunt non privatim, sed cum sociis, v. gr. diebus festis; plerumque enim sine firma fide, sed ex ioco agunt; possunt tamen peccare graviter ob scandalum, aut quia cooperantur peccato divinatoris serio agentis (hoc tamen ultimum haud facile evenit). Generatim enim leviter tantum peccant, qui praeiudiciis superstitiosis aliquando se duci sinunt, v. gr. qui numeratis duodecim commensalibus recusat assidere, vel qui propter sibi praedicta a muliere aegyptana abstinet ab arripiendo itinere; non enim fidem adhibet, timet tamen se alicui periculo exponere, cum tamen facile id possit evitare.

Divinatio et vana observantia specie non differunt, nam tandem reducuntur ad invocationem daemonis saltem tacitam; hunc enim tacite seu exercite invocat, qui ex una parte media adhibet, quae novit virtute naturali carere ad effectum, ex alia vero scit Deum angelosque bonos ad interveniendum ineptiis paratos non esse. Et quamvis protestetur se daemonis interventum nolle, nihil tamen prodest; nam opere verbis contradicit: vere enim ad daemonem recurrit, quando non obstante quod noverit insufficientiam mediorum, effectum serio obtinere tentat.

123 *In dubio, etiam negativo*, utrum aliquis effectus proveniat a causa naturali an a daemone, licitum est experiri; tum quia tunc non constat de illicitate actionis, tum quia effectus praesumi debent naturales, donec contrarium sufficienter probetur, tum denique quia stante hoc dubio nequit actio continere recursum ad daemonen potius quam ad naturam. Hic

tamen adverte, quod quando ex una parte causa praesefert characteres omnimodae improportionis ad effectum, et ex alia nulla adsunt motiva ad rationabiliter[1] suspicandum, quod forsan virtus detur naturalis, tunc non est casus dubii negativi: siquidem exoritur praesumptio[2] de non-existentia virtutis naturalis, et pro hac praesumptione standum erit, donec elidatur rationabili suspicione contraria[3]. Atque hic est casus, putamus, de mensis, quas quidam ferunt in rapidum gyrum verti, nulla fraude adhibita, sola extensione manuum circumstantium inter se coniunctarum: ex dictis arbitramur non licere experiri, serio intendendo effectum (saepe tamen id fit mere iocandi causa).

Usus virgae divinatoriae ad comperiendas venas aquae **124**
aut metallorum, etsi initio, ex dictis, merito illicitus haberetur a multis, nunc tamen post iterata experimenta iis adiunctis comitata, quae interventum daemonis videntur excludere, et postquam rem periti viri nullo ducti infenso praeiudicio ceu seriam in scientificis publicationibus tractaverunt, illicitus iam haberi non debet.

Spiritismus, seu consultatio spirituum, evocatio animarum etc., peccatum grave est, ut patet; in his enim invocatur daemon, siquidem nec boni angeli se hominum ludibrio mancipant, nec Deus animas in his immisceri permittit, ut eruitur ex S. Scriptura haec daemonibus adscribente. Attamen huiusmodi evocatoriis sessionibus mere assistere ex curiositate aliqua vice, secluso scandalo, cooperatione, periculo in fide etc. non videtur damnandum de mortali. Sed quoniam scandalum, cooperatio et praesertim perversionis periculum ordinarie non

---

1 Rationabiliter, inquam. Nam mere recurrere ad vires naturae forsan occultas et adhuc incompertas, valde est ridiculum; sunt enim hae rationes mere negativae, ideoque homine scientifico indignae.

2 Saepe habemus certitudinem omnimodam de carentia virtutis in natura ad aliquem effectum per quaedam media. Sane certitudine physica cognoscimus plures naturae leges: ergo certitudine physica certi sumus non posse dari ab eadem causa in iisdem circumstantiis effectum contrarium.

3 Contrarium satis suspicari licebit, v. gr. ex analogia rationabiliter ducta ab aliis causis naturalibus, aut ex eo quod effectus cum constanti regularitate in iisdem adiunctis obtineatur (nam daemonis interventus videtur permitti a Deo quasi per exceptionem).

desint, hanc generalem declarationem edidit S. Off. 24 apr. 1917: « non licere per *medium*, ut vocant, vel sine *medio*, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle ».

Hypnotismus, seu ars fixo obtutu aut aliter excitandi statum somnolentiae somnambulismo similem, in quo voluntas tota ab hypnotizantis arbitrio pendet et mira phaenomena producuntur, fere olim dictus magnetismus animalis est. Aliquando obtenta sunt (alii id prorsus negant) quaedam phaenomena praeternaturali virtuti moraliter certo tribuenda, v. gr. clara cognitio et locutio linguae penitus ignoratae; ordinariae tamen hypnotismi manifestationes, v. gr. dependentia voluntatis ab hypnotizante, sensibilitatis disparitio aut hallucinatio, sanatio morbi nervorum etc. probabiliter naturae vires non superant, prouti opinantur multi viri graves. Quoniam tamen usus etiam hypnotismi naturalis gravissimis voluntatis abusibus ansam praebet et magna valetudini pericula saepe creat[1], ideo non licet sese hypnotizanti subiicere sine gravi causa, v. gr. ad sanandum morbum corporalem aut moralem alias insanabilem; et tunc eae adhibendae sunt cautelae, quibus et voluntatis abusus praecludatur (v. gr. apponendo fidum testem) et pericula nocumenti pro sanitate, quantum possit fieri, vitentur (v. gr. ut medicus quaeratur, qui hanc artem bene norit, ut experimentum non ultra necessitatem protrahat etc.).

Art. 2. De sacrilegio.

125 **Sacrilegium,** prout habet malitiam s p e c i e diversam a ceteris violationibus virtutis religionis, consistit in indigna tractatione rei sacrae, quae « ex eo quod ad divinum cultum deputetur, efficitur quoddam divinum, et sic ei quaedam reverentia debetur, quae refertur ad Deum »[2].

Rem hic intellige sive personam sive locum sive rem pressius dictam, unde tres classes sacrilegii s p e c i e diversae derivantur, nempe personalis, localis et realis; quae divisio, prorsus sacris canonibus conformis, admittitur etiam ab iis,

---

[1] Cf. Dr. Blanc, *No matarás*, p. 46; Pesch, *Instit. psychol.*, n. 714; Antonelli, *Med. pastoralis*, I. n. 374.

[2] S. Thom., 2. 2, q. 99, a. 1.

qui[1] de eius speculativa probatione dubitant. Hae tamen species sunt infimae, ut sentiunt multi cum S. Thoma[2]; quare in specie sacrilegii non differt concubitus cum persona sacra ab eius occisione.

Sacrum intelligitur, quidquid publica auctoritate ad cultum divinum (ex institutione divina vel ecclesiastica) deputatur; v. gr. personae sacrae fiunt per ordinem sacrum aut vota religiosa, loca coemeterii aut sacella publica per solemnem benedictionem, resque sacrae sunt sacramenta, reliquiae, calices, casulae, bona ecclesiastica vel potius (nam in se sacra non sunt) iura ecclesiae, monasterii aut hospitalis in ea etc. Res, quae Ecclesiae debentur ex voto aut legato, nondum sunt sacrae, nondum enim in Ecclesiae dominium transierunt. — Sacrilegium admittit parvitatem materiae.

1. *Sacrilegium personale* committitur inferendo manus **126**
violentas in personam sacram, eam trahendo ad forum contra vigentes canones, aut eam tractando luxuriose, etiam solis tactibus[3].

An votum castitatis emissum extra ordinem sacrum aut religionem personam reddat sacram, in controversia est; ob probabilitatem sententiae negantis poterit in hoc casu omitti in confessione circumstantia sacrilegii personalis[4], et ob probabilitatem sententiae affirmantis non erit opus distinguere utrum votum castitatis emissum sit privatim an in ordine sacro aut religione. (Sed cf. dicta n. 28).

Patet desideria luxuriosa, quae ferantur in personam sacram, habere affective malitiam sacrilegii personalis (n. 65).

Eo quod quis castitatem violet sacro ordine initiatus et religiosus, non inde exsurgit duplex specie peccatum (n. 58).

Fama personae sacrae non est sacra; quare detrahere de sacerdote non est sacrilegium.

---

1 Suarez, *De Relig.*, l. 3, c. 1.

2 Loc. cit., a. 3.

3 Alias tamen personas respicit sacrilegium, quod committitur inferendo manus violentas (cf. de censuris), alias sacrilegium per tractationem luxuriosam; sic v. gr. sacrilegium erit occisio novitii aut simplicis tonsurati, non autem tractatio eius luxuriosa.

4 Non tamen omitti potest circumstantia voti, quia in violatione cuiuslibet voti adest violatio fidei Deo datae, quae est specialis malitia, a sacrilegio valde diversa, contra virtutem religionis.

127 2. *Sacrilegium locale* committitur non solum violando immunitatem ecclesiae seu ius asyli[1], sed quibuslibet etiam actionibus reverentiae loci sacri[2] adversantibus, ideoque:

a) furto. Attamen ut commitatur sacrilegium locale per furtum, debet res specialiter ad ecclesiam pertinere, v. gr.: si eius custodiae commendata est vel eius usibus inserviat; non autem auferendo e templo crumenam vicini aut horologium derelictum, saltem id in ratione sacrilegii erit valde leve. Quod si res, quae aufertur de loco sacro, est sacra, sacrilegium committitur locale simul et reale.

b) peccatis luxuriae, etiam occultis, quae tamen sacrilegium grave non sunt, si non sunt consummata, vel si, quamvis consummata, non tamen patrantur publice.

c) actibus, qui violationem ecclesiae inducunt, scilicet homicidio, iniuriosa effusione sanguinis etc., etsi ob notorietatis defectum ecclesia reapse non violetur (can. 1172).

d) actionibus aliis locum sacrum dedecentibus, quales sunt rixae, conclamationes, nundinae, convivia etc.[3]. Non sunt tamen a templo absona exercitia publica litteraria vel scientifica. Privatim aliquid comedere in loco sacro veniale non excedit.

128 3. *Sacrilegium reale* committitur indigna administratione aut susceptione sacramentorum, irreverenti tractatione reliquiarum aut sacrarum imaginum, furto rei sacrae (etsi non auferatur de loco sacro), profanatione vasorum ornamentorumque sacrorum etc. Hinc patet confessarios sollicitantes sacrilegii esse reos.

Calices, patenae, ante lotionem purificatoria, pallae et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangi non possunt nisi a clericis vel ab iis, qui eorum custodiam habent (can. 1306), ideoque etiam a laicis vel monialibus officio fungentibus sacristae; ceteris id non licet sine rationabili causa, sine qua tamen veniale non excederet. Omnibus licet tangere

---

1 Hodie tamen vix continget unquam huiusmodi ius violari, siquidem cessat in necessitate vel tantum de licentia rectoris ecclesiae (can. 1179).

2 Loca sacra ea sunt, quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione liturgica (can. 1154); intellige benedictionem sollemnem, ideoque sacra loca non sunt oratoria privata vel semipublica, quae sola loci vel novae domus benedictione donantur (can. 1196), sacrilegae tamen erunt ibi conclamationes, ludus etc., dum ibidem ex privilegio SS.ma Eucharistia asservatur.

3 In ecclesiis quaslibet proiectiones et cinomatographicas repraesentationes prohibuit Pius X per S. C. C. 10 dec. 1912.

reliquias atque ornamenta sacra; purificatoria etiam et corporalia post lotionem, antequam in Missa de novo adhibeantur; ceteraque, quae neque chrismate inuncta sunt neque benedicta benedictione constitutiva seu rem faciente stricte sacram (can. 1150). Ea tamen, quae sacras species continent, v. gr. ciborium, dum eas continent, nequeunt citra peccatum grave tractari praeterquam a sacerdote aut diacono.

Bona, quae p e r s o n a l i t e r possidentur a personis ecclesiasticis, sacra non sunt, quia quae in dominium personae transierunt, ad Ecclesiam amplius non pertinent; quare eorum furtum non est sacrilegium.

Abusus sacrae Scripturae ad impias vel obscaenas scurrilitates est grave sacrilegium; saepe aliquis abusus fit ad mere iocandum, non tamen sine culpa veniali; quandoque omnis irreverentia, ideo et culpa abesse potest.

Res consecratae vel benedictae benedictione constitutiva (v. gr. aqua benedicta), reverenter tractari debent neque ad usum profanum vel non proprium adhiberi (can. 1150); quae vero consecrationem vel benedictionem amiserunt, ad usus profanos, non tamen sordidos, adhiberi poterunt (can. 1510).

Grave sacrilegium est, turpiter peccare immediate post susceptam SS. Eucharistiam.

Circumstantia temporis sacri non inducit sacrilegium grave, nisi actio gravem irreverentiam illi tempori videatur inferre, v. gr. die Parasceves exhibere ludos publicos.

Ad speciem sacrilegii realis, iuxta communem sententiam, pertinet simonia, de qua tamen seorsim solet tractari propter multa, quae de ea sunt notanda.

Art. 3. De simonia.

I. NOTIONES. Simonia committitur per emptionem aut **129**
venditionem iniuriosam rei spiritualis aut spiritualizatae, definiturque a S. Thoma[1]: « Studiosa, id est deliberata voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum », ubi emptio - venditio late accipienda est pro qualibet conventione, quae animum simoniacum secumferat (can. 728).

In praesenti materia *spirituale* intelligitur, quidquid de se ad salutem animae ordinatur, v. gr. sacramenta, absolutio a censuris, indulgentiae, benedictio aliive actus iurisdictionis ecclesiasticae. *Temporale* est res pretio aestimabilis, vel quae commodum affert temporale, v. gr. pecunia, munera, famulatus, laudes, intercessiones in favorem alicuius. *Spiritualiza-*

1 2. 2, q. 100, a. 1.

tum vero vel *spirituali adnexum* dicitur temporale, quod alii spirituali adnectitur; sive adnectatur antecedenter, id est si spirituali praeexistit, ut fundus, cui adnectitur ius praesentationis; sive concomitanter intrinsece, v. gr. labor necessarius in functione ministerii sacri, vel extrinsece, v. gr. dilatio Missae ad meridiem vel longum iter arripiendum ad celebrandum; sive consequenter, v. gr. beneficium ecclesiasticum, scilicet ius percipiendi reditus ecclesiasticos adnexum officio spirituali.

Duplex distingui solet simonia, specie tamen morali non distincta, *iuris divini* (non positivi sed naturalis, ideo appellatur quoque simonia iuris naturalis) et *iuris ecclesiastici*. Prior fit cum spirituale vel spirituali adnexum datur pro re temporali[1]. Haec est intrinsece mala, eo quod natura sua est indigna rei sacrae, quae quasi res materialis pretii aestimationi subiecta tractatur; parvitatem materiae non admittit. Altera committitur cum contra prohibitionem Ecclesiae datur spirituale vel spirituali adnexum pro spirituali vel spirituali adnexo, v. gr. permutatio privata beneficiorum; vel etiam res in se temporalis pro temporali in casibus ab Ecclesia ob sacrorum reverentiam prohibitis[2], v. gr. venditio officii oeconomi, thesaurarii seu sacristae[3]. Huius simoniae malitia tota pendet a prohibitione Ecclesiae haec statuentis ob reverentiam erga res, quae vel ex se vel ex institutione Ecclesiae ordinem dicunt ad spiritualia (n. 58 nota), ideoque admittit parvitatem materiae; quandoque etiam consuetudine abrogari potest.

Simonia dicitur *conventionalis*, quando expresse vel tacite intercedit pactum venditionis, vocabiturque *pura*, *mixta*, *realis*, prout vel neutra pars rem ex pacto dandam tradidit, vel alterutra tantum, vel traditio ex utraque parte fuit saltem inchoata.

Dari simoniam, etsi conventio ad effectum non sit deducta, aut simoniam tacitam, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur, habes ex can. 728.

---

[1] Seu, ut ait can. 727: Simonia iuris divini est « studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr., Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias etc., vel rem temporalem rei spirituali adnexam, ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr. beneficium ecclesiasticum etc., aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione ».

[2] Seu, ut ait can. 727: Simonia iuris ecclesiastici est « dare res temporales spirituali adnexas pro temporalibus spirituali adnexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur ».

[3] Cf. Wernz, *Ius decret.* II, n. 774.

II. PRINCIPIA. 1. *Ad committendam simoniam requiritur et sufficit, ut fiat vel formaliter vel virtualiter aequiparatio inter datum et acceptum.* Formaliter fit, quando una res datur expresse tamquam p r e t i u m alterius, seu quando paciscens habet hanc tendentiam: « hoc tanti valet quanti illud ». Virtualiter vero, quando una res datur tamquam m o t i v u m obtinendi alteram, seu quando pactum aut etiam sola voluntas interna habet hanc tendentiam: « non dabo nisi des », vel « non darem nisi daturus esses », intelligendo tamen unum dari immediate propter aliud. Diximus « immediate »; nam si interveniat aliud motivum honestum p r o p t e r q u o d detur res, non fit simonia, v. gr. dare stipendium sacerdoti ut celebret Missam, dare eleemosynam pauperi ut orationes recitet; tunc enim non datur pecunia propter Missam aut orationes (quamvis non dares, nisi alter celebraturus esset Missam aut recitaturus orationes), sed datur propter aliud motivum honestum, scilicet sustentationem sacerdotis aut sublevationem pauperis (quod inde cognoscitur, quia non dares pecuniam, si alter non esset pauper, vel si sacerdos non esset homo sustentandus sed angelus); tunc igitur cessat aequiparatio pecuniae cum Missa vel orationibus. **130**

Motiva autem honesta assignantur: debita sustentatio, labor extrinsecus, privatio libertatis ad alia facienda, privatio lucri aliunde obtinendi, liberalitas, gratitudo, redemptio vexationis iniustae.

Hinc apparet stipendium, quod sacerdoti datur ut dicat Missam, vel occasione aliarum functionum sacrarum (v. gr. iura stolae), 1° nihil redolere simoniae, datur enim ob honestum titulum sustentationis[1]; 2° nullo modo posse dici pretium Missae, sepulturae, benedictionis etc., haec enim fiunt gratis; nam sicut pictor dicitur gratis pingere, quamvis dentur illi colores et alii sumptus necessarii cum cibi sustentatione, ita quoque gratis celebrat sacerdos, cui dantur necessaria ad sanctum sacrificium, inter quae computari debet ipsa sacerdotis sustentatio; 3° deberi ex iustitia, ut omnes auctores tenent, nam vere debetur sustentatio ei, qui in alterius gratiam occupatur; hinc verba Christi ap. Luc. X, 7 et Apostoli in 1 ad Cor. IX, 7; 4° cum igitur ex iustitia debeatur, deberi etiam sacerdotibus, qui non indigent.

Ex hucusque explicatis inferes:

a) **Simonia est:** 1° Obire ministeria sacra, praedicare verbum Dei, docere catechismum etc. propter pecuniam p r i n- **131**

---

1 « Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spirituali, sed eius occasione ex iusto titulo, a sacris canonibus vel a legitima consuetudine recognito » (can. 730).

cipaliter, id est ita ut pecunia accipiatur pro praedicatione etc. tamquam titulo.

2° Dare pecuniam iis, qui prodesse possunt ad obtentionem beneficii, ut prosint, v. gr. ut rogent episcopum, ut det beneficium sive tibi sive alii: ita communiter auctores. Ratio, quia etsi preces, quae pretio emuntur, sint aliquid temporale, tamen hoc modo per pecuniam paratur via ad beneficium, id est per pecuniam praeparatur via ad acquirendum ius ad rem spiritualem [1], et cum haec praeparatio unice sit pretio aestimabilis ob rem spiritualem, haec ipsa res spiritualis censetur emi per pecuniam.

3° Pacisci cum alio, ut alter pro altero intercedat apud Episcopum, ut conferat beneficia; quisque enim preces alterius emit suis precibus, ac proinde aequivalet casui praecedenti.

4° Dare pecuniam competitori, ut desistat concurrere ad beneficium; nulla enim redimenda est vexatio iniusta, et sic per pecuniam recta via sternitur ad beneficium.

5° Conferre beneficium propter preces alterius ad eius favorem acquirendum.

6° Accedere ad patronum vacantis beneficii ad se commendandum, eique simul per se vel per alium offerre certam quantitatem, certe sine ulla conventione externa, at cum intentione illum obligandi ad conferendum beneficium.

132 *b*) **Simonia non est:** 1° Obire ministeria sacra, praedicare verbum Dei, docere catechismum etc. propter pecuniam principaliter, id est ita ut acquisitio pecuniae sit finis principalis, quo quis movetur, alias non praedicaturus, etc., pecunia tamen non detur aut accipiatur propter concionem aut laborem eius intrinsecum (studium, defatigationem etc.), sed propter alium titulum honestum, v. gr. honestam sustentationem. — Licite accipitur pecunia pro munere docendi theologiam, etiam ut titulo, nam est instructio temporalis; idem dic de tradenda pueris doctrina christiana, quando haec in schola docetur sicut elementa aliarum artium [2].

2° Dare spirituale pro spirituali, v. gr. reliquias pro reliquiis; vel sic pacisci: «dicam Missam pro tuo profectu spirituali et tu pro me dices tot rosaria»; nullo enim iure vetatur. Attamen Ecclesia prohibuit permutationem beneficiorum privatam (id est sine interventione legitimae auctoritatis), cum vel sine compensatione (can. 1487, 1488).

---

[1] Ut optime dixit Ball. P., n. 290, quidquid aliter significaverit in n. 236 seqq.

[2] Cf. etiam S. Thom., 2. 2, q. 100, a. 3, ad 3 et S. Alph., n. 94.

3° Dare temporale (v. gr. Episcopo famulari) cum spe beneficii obtinendi, etiamsi amota spe beneficii non inservires aut nihil dares, dummodo nullum subintelligatur pactum, nec beneficium intendatur ut debita laborum retributio, sed tantum speretur obtinendum tamquam effectus gratitudinis: nam nec dare beneficium ex gratitudine est illud vendere, nec intentio obtinendi beneficum ex gratitudine est intentio pretii ullius. At certe puram illam intentionem se non habuisse manifestat, qui cum optatum beneficium non obtineat, prorumpit in murmura conqueriturque actum fuisse secum iniuste.

4° Dare pecuniam intercessori non pro intercessione, sed tantum pro compensandis expensis v. gr. itineris ab eo subeundis; item, se obligare ad solvendas patrono expensas necessarias ad scripturam praesentationis; expensa enim fient in ipsius favorem.

5° Dare pecuniam unice ad se liberandum ab iniusta **133**
vexatione, v. gr. in necessitate sacramenti dare pecuniam sacerdoti aliter nolenti administrare; sic enim procuratur tantum remotio pravae voluntatis, cooperatio vero ob necessitatem excusatur; vel pecuniam dare alicui, ut desistat a calumniis apud beneficii collatorem; neque enim sic paratur via recta ad beneficium, id est ad acquirendum ius ad beneficium, sed tantum ad tutandum ius iam acquisitum, id est ius quod quis habet, ne mediis impediatur iniustis.

6° Precibus suadere alicui, ut det beneficium aut ut intercedat; nulla enim adest pactio nec formalis nec virtualis.

7° Pretio temporali aliquem inducere, ut mere exponat merita candidati secundum veritatem.

8° Alteri conferre beneficium propter consanguinitatem, amicitiam aut ad sublevandam eius necessitatem.

9° Dare temporale alicui sub conditione, ut praestet spirituale in commodum suiipsius, v. gr. adolescenti, si sacramenta frequentet; haec enim, ait S. Alph., est simplex donatio sub condicione, nam revera nulla est emptio, cum non intendas acquirere absolutum ius, ut ille rem spiritualem praestet[1].

10° Spondere Missam in ludo cum laico, dum is pecuniam spondet; reapse enim spondetur non Missa sed stipendium, quod alias dandum esset, et loco illud tradendi offertur celebratio; attamen dissuadendum est, utpote scandalo aliquo non carens.

11° Exigere stipendium Missae supra taxam consuetam, etsi desit intentio simoniaca, auctores alii de simonia damnant,

---

1 Cf. S. Alph., n. 59; Lehmk., 544.

alii vero ab hac excusant, eo quod non desit alius titulus, cum quo fiat aequiparatio; esset tamen peccatum contra obedientiam et iustitiam.

2. *Pro temporali non licet dare adnexum spirituali consequenter aut concomitanter intrinsece*, haec enim facere esset simonia iuris naturalis.

3. *Pro temporali licet dare adnexum spirituali antecedenter aut concomitanter extrinsece*, dummodo pretium rei temporalis non augeatur ob spirituale adnexum; licet ergo vendere v. gr. calicem consecratum, secluso periculo profanationis[1]. Ratio, quia id neque iure naturali vetatur neque ecclesiastico[2].

134 III. CANONES IN SIMONIACOS. Sequentia statuit Ius Canonicum: 1° *Perpetrantes delictum simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus* ecclesiasticis, *a*) incurrunt in *excommunicationem* latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam (can. 2392, 1°). — *b*) ipso facto *privantur in perpetuum iure* eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant[3] (can. 2392, 2°). — *c*) si clerici sint, *suspensioni* subsunt ferendae sententiae (can. 2392, 3°).

2° *Si simonia committatur circa officia, beneficia aut dignitates ecclesiasticas, a) subsequens provisio*[4] *omni vi caret*[5], id est, fit ipso iure irrita; idque licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo hoc non fiat in fraudem eiusdem provisi (id est, ut beneficium valide assequi non possit) aut eo contradicente (can. 729); — *b*) *provisus non facit fructus suos*, ideoque eos ante omnem iudicis sententiam debet restituere; si tamen eos bona fide perceperit, potest Ordinarius fructus perceptos ex toto vel ex

---

1 « Non habetur simonia cum datur res temporalis pro re temporali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr., calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propter adnexam rem spiritualem » (can. 730).

2 Ecclesia vetuerat quidem vendere oleum benedictum, rosaria, cruces, numismata etc., quibus adnexae essent indulgentiae; ex novo iure id iam prohibitum non est, dummodo propter benedictionem, indulgentias etc. non augeatur pretium. Certe tamen indulgentiae, si res venditur, amittuntur (can. 924).

3 Consequenter ait can. 1470: Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit, ius patronatus in eo exstinguitur, non tamen in eius heredibus.

4 Id est nominatio.

5 Immo, ipsa praesentatio fit irrita, nam ex can. 1465 « Praesentatio labe simoniaca infecta est ipso iure irrita, et etiam institutionem forte subsecutam irritam reddit ». Attamen electio Summi Pontificis non irritatur simonia (can. 160 et Docum. I Codici adnexum, n. 79).

parte condonare (can. 729), et datur locus praescriptioni, de qua can. 1508, 1512; — *c) beneficia ob simoniam invalide collata* reservantur Sedi Apostolicae (can. 1435, § 1, 3°).

3° *Qui per simoniam ad ordines* scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi (cf. n 916); clerici praterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam (can. 2371).

4° *Quilibet contractus simoniacus fit irritus* ipso iure (can. 729).

IV. RESTITUTIO OB SIMONIAM. Quoniam « contractus 135
ipse simoniacus omni vi caret » (can. 729), ideo addit idem canon: « Ante quamlibet iudicis sententiam res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax [1] nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet, et beneficium, officium, dignitas dimitti ».

Restituenda est igitur ante omnem sententiam iudicis *tam res spiritualis quam pretium simoniace acceptum* [2]; et quamvis res spiritualis restitui non possit, v. gr. sacramentum, pretium tamen ei, a quo fuerat acceptum, restituendum est; etenim contractus, propter irritationem iuris, nullos peperit effectus. — *In materia beneficiali* tam pretium acceptum quam fructus percepti restituendi etiam sunt ex iustitia ob eamdem rationem, nempe quia contractus ex lege positiva fuit prorsus irritus; et *pretium* quidem restituendum est danti [3], ut patet, *fructus* vero restitui poterunt, ex interpretatione theologorum [4], fabricae ecclesiae, in qua est beneficium, dummodo inde simoniacus commodum non reportet, vel successori in beneficio, vel pauperibus aut piis causis. — Etiam seclusa qualibet irritatione iuris, pretium restitui deberet ex iustitia seu iure naturae, si in ipsa pactione laesa fuit iustitia commutativa, v. gr. si parochus aliquid exigat pro Viatico; etenim iniustum est quidquam exigere pro re debita ex iustitia seu ratione officii, quod stipendia ad sustentationem congruam iam habet assignata ex Ecclesiae reditibus.

---

1 Quaedam enim restitutionis capacia non sunt, v. gr. ordines suscepti vel sacramenta.

2 Supponitur simonia externa, non pure mentalis, v. gr. si quis animo simoniaco stipendium legale exigeret; tunc enim restituendi obligatio non esset.

3 Olim, attentis dispositionibus iuris veteris, pretium restitui poterat ecclesiae, in qua erat beneficium, vel pauperibus, ideoque ipsi possidenti, si in necessitate erat. Haec nunc iam desiere, quoniam canones, qui illud permittebant, per ius novum aboliti sunt.

4 Ita S. THOM., 2. 2, q. 32, a. 7, q. 62, a. 5; SALMANT., tr. 19, c. 4, n. 32; S. ALPH., l. 3, n. 116; huiusmodi interpretatio in novo iure retineri potest ex can. 6, 2°.

Caput 2. DE IIo PRAECEPTO

Art. 1. De blasphemia.

136 **Blasphemia** est locutio contumeliosa in Deum, sive in ipsum immediate, sive mediate in Sanctos suos aut res sacras. Ad blasphemiam revocantur contumeliae expressae solis signis, v. gr.: pugnum extollere in coelum, aut in idem dentibus frendere; immo contumelia dirigi potest sola mente. Quando tamen agitur de reservatione, nomine blasphemiae sola verbalis intelligitur, nisi aliud expresse dicatur.

Blasphemiae, sive in Deum sive in Sanctos proferantur, probabiliter specie non differunt[1]. At specialis malitia accedit, si blasphemia haeresim continet, v. gr. dicere « Deus est iniustus », vel si profertur cum directa intentione inhonorandi Deum ex odio in ipsum; in primo enim casu praeter religionem laeditur quoque virtus fidei, in altero virtus caritatis.

Blasphemia est peccatum grave ex toto genere suo, id est non datur in ea parvitas materiae. Aliquatenus tamen excusare potest inadvertentia, v. gr. in irae aestu, praesertim quando prava consuetudo fuit iam retractata. Blasphemiae peccatum adeo grave est, ut S. Thomas[2] dicat: « Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est ».

137 *a*) *Blasphemia est*: 1° Dicere « Deus est iniustus », vel « faciam id etiamsi Deus nolit », quae quidem practice nequeunt excusari.

2° Dicere « Deus oblitus est mei », vel « quare me creavit? ». Attamen haec dicuntur passim ex mera levitate aut ad ostendendam doloris intensitatem.

3° Maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. gr. pluviae ut a Deo imperatae, animae, coelo etc.

4° Blasphemiae sunt ea verba, quae etsi formaliter contumeliam non exprimant, ex usu tamen regionis vel ex modo loquendi (v. gr. derisorio aut iracundo) Deum inhonorare communiter censentur.

5° Blasphemia non amittit suam malitiam, etsi proferatur ex ioco aut ira; semper enim contumeliosum est Deo verbis ei contumeliosis iocum aut iram manifestare.

---

[1] S. Alph., n. 130.
[2] S. Thom., 2. 2, q. 13, a. 3.

b) *Blasphemia non est*: 1° Maledicere mortuis, nisi mens 138
feratur in animas purgatorii; est tamen peccatum maledictionis.

2° Maledicere toti mundo, quia etsi sensus ibi blasphematorius contineatur, tamen non solet intendi.

3° Maledicere creaturis sine relatione ad Deum, v. gr.: horae, diei, muscis; quae saepe mera sunt verba impatientiae.

4° Dicere: « perdat te Deus », aut quid simile videtur esse maledictio aut imprecatio, non blasphemia.

5° Verba blasphemiae parce corrupta proferre, v. gr. hisp. « me caso en dos », dummodo mens ad verum sensum non feratur; si tamen audientes non intelligerent mutationem, maneret peccatum scandali. Corruptiones blasphemiarum cum fructu consulerentur iis consuetudinariis, qui aegre a blasphemando supersedebunt.

NB. — 1° Apud eos, qui ex inveterata consuetudine solent blasphemare, non adeo sollicitus sit confessarius de numero blasphemiarum, quia saepe blasphemant sine advertentia actuali sufficiente ad peccatum grave, vel quaerunt potius verba acria aut grandisonantia ad exprimendam magnam iram, in quo apprehendunt actualiter aliquam malitiam, sed forsan nondum gravem. Sunt tamen huiusmodi in statu peccati gravis, non tam propter malitiam singularum blasphemiarum, quam ob negligentiam exstirpandae consuetudinis, quam graviter malam esse vident. Et haec quidem illis miserabilibus explicari oportet, ne si emendationem sincere procurant, spem abiiciant putantes se peccasse graviter, quando iterum blasphemiam ex consuetudine protulerunt.

Prudenter ait Gén. S.[1]: « non nimis urgendos eos, qui forte in quibusdam formulis, quae adhuc communiter ut graves blasphemiae habentur, nullum gravem reatum deprehendunt, sed protestantur has a se sine prava intentione proferri »; nequaquam enim id inverisimile putandum est, cum Bus. et S. Alph.[2] affirment, ut dicetur n. 140 NB. 3°, rusticos saepe non apprehendere malitiam gravem in periurio; quind etiam Noldin[3] et Marc[4] admittunt dari posse ignorantiam invincibilem de gravitate pollutionis.

2° Usurpare sine rationabili causa nomen Dei vel Sanctorum, v. gr. dicere « Bone Deus! quid est hoc? », ex se peccatum veniale est, quoniam reverentiam laedit illis debitam. Saepe

---

1 Gén. S., 295 sch.
2 S. Alph., l. 3, n. 150.
3 Noldin, *De sext.*, n. 13.
4 Marc, n. 770.

tamen fit ex inadvertentia. At nullum peccatum videtur, etsi minus decens, inutilis usurpatio nominis daemonis, quae tamen in sacerdote scandalo non careret. Immo utiliter consulitur ad blasphemias exstirpandas nomen daemonis sacro Dei vel Sanctorum nomini substituere.

Art. 2. De iuramento.

139 I. **Essentia** iuramenti importat duo, sine quibus vera «invocatio Nominis divini in testem veritatis» (can. 1316, § 1) seu iuramentum nequit dari. Haec autem sunt:

1. *Intentio iurandi*, ut patet. Hic prima quaestio fit de eo, qui iurat cum animo proferendi solum externa verba, seu sine animo iurandi; cui respondebimus distinctione: *Si iuramentum est promissorium*, certe obligatio nulla orietur in foro interno ex tali iuramento. Attamen quoad peccatum communis sententia dicit[1] illum peccare graviter, si non habet animum implendi, venialiter vero, si animum implendi habet (nam in hoc ultimo casu esset mera usurpatio vana nominis Dei); at saepe graviter peccare ob damnum commune vel privatum (v. gr. in contractu), quod damnum etiam in foro interno compensare debebit. *Si iuramentum est assertorium*, similiter, censemus, peccabit graviter vel leviter, prout falsum dicat vel verum.

Altera quaestio est de eo, qui iuramentum promissorium emittit sine animo se obligandi. Hic quoque distinguendum. Si non habet animum se obligandi ex religione, tunc revera non habet animum iurandi, ideoque agitur de quaestione praecedente. Si tantum recusat obligari ex iustitia vel fidelitate, tunc alteri, in cuius favorem iurat, dat meram spem, quin ipse ligetur ulla promissione, sed sola religione; nam iuramentum in casu est validum et licitum.

140 2. *Formula iuratoria*, id est opus est, ut vel verbis vel mente Deus vere invocetur tamquam testis sive explicite sive saltem implicite per creaturas, in quibus specialiter relucet divina bonitas, v. gr. per Deum, crucem, terram, coelum etc.

Non includit iuramentum formula: «tam verum quam exsistit Deus», potius enim exprimit assimilationem quam invocationem. Nec dicere: «fide boni viri, fide sacerdotis, per fidem meam (hisp. a fe mía), per conscientiam meam, iuro per barbam, per mensam etc.», quia nullam Dei invocationem continent, sed tantum significant dici veritatem, prout dictatur a conscientia, vel prout decet sacerdotem aut bonum virum.

---

[1] S. Alph., n. 172.

Immo, dicere «iuro ita esse», generatim, ait S. Alph. [1], non sonat verum iuramentum, usus enim iam effecit, ait Gén. S. [2], ut in colloquiis accipiatur tantum pro vehementi affirmatione; non tamen, si antea iuramentum serio postulatum fuerit; tunc enim verbum « iuro » satis determinaretur ad significandum verum iuramentum per interrogationem praecedentem.

Locutiones: « novit Deus », « coram Deo loquor », « Deus videt conscientiam meam », iuramenta sunt, si dicantur invocative; plerumque tamen dicuntur narrative. Locutiones: « tam verum est, quam sol lucet, quam hic sedeo » etc., iuramentum nullum sunt.

In iuramentis, in quibus Deus non tantum ut testis, sed etiam ut vindex invocatur, v. gr.: « occidat me Deus, si... », vel « sic me Deus adiuvet », probabiliter, quando iuratur falso, non additur malitia imprecationis, quia non imprecatur quis ex animo tale malum, sed potius putat Deum illud non facturum. « Occidar ni ita sit », si exsecrative dicitur, est iuramentum, quia aequivalet « Deus occidat me »; communiter tamen dicitur per modum obligationis ad poenam.

NB. — 1° Perpendimus quaenam locutiones invocationem Dei et proinde iuramentum contineant; hoc auctores tradere solent, ut confessarius, si formula apta fuerit et nihil aliud constet, praesumat factum fuisse iuramentum ac proinde obligare, vel secus. Ceterum ex intentione iurandi et circumstantiis potest etiam vocabulum minus aptum ad verum iuramentum determinari; sic verum iuramentum est, ait Suarez [3], locutio hisp. olim usitatissima « voveo Deum, id ita est », (quae pro notabili quoque in Deum irreverentia sumitur, ut addit ipse Suarez), licet verbum « voveo » sit hic ineptissimum. Immo iuramentum emitti potest sola actione, v. gr. tactu crucis vel evangeliorum.

2° Quoad plures formulas, de quibus diximus, valde oportet poenitentes docere, quod nisi intendant vocare Deum in testem, iuramentum non continent; sic plura peccata conscientiae erroneae vitabuntur.

3° Monet S. Alph. [4] rusticos subinde sine consideratione quaedam proferre iuramenta, v. gr.: « per animam meam », « puniat me Deus » etc., in quibus invocationem Dei in testem non apprehendunt, sed tantum in confuso quamdam malitiam non tanti momenti; immo testatur S. Alph. [5] rusticos suae re-

---

1 S. Alph., n. 136.
2 Gén. S., n. 301.
3 Suarez, *De Relig.*, l. 1, c. 13, n. 2.
4 Bus. ap. S. Alph., n. 150.
5 S. Alph., ibid.

gionis communiter non apprehendere gravitatem periurii et propterea iuramenta vera a falsis non distinguere, additque non expedire generatim ut de hoc instruantur, ne deinceps formaliter peccent ob habitum iurandi [1].

4° Est doctrina communis iuramenta omnia esse eiusdem speciei.

141 II. **Liceitas** iuramenti tres condiciones postulat, quas recenset can. 1316, § 1: « Iusiurandum praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia ». Debet ergo adesse:

1. *Veritas*, cuius defectus est semper peccatum grave, quin excuset levitas materiae. Sufficit tamen habere de veritate probabilitatem quamdam, quae ob defectum probabilitatis in oppositum ad certitudinem moralem latam pertingat; maiorem enim certitudinem in rebus practicis homo passim non habet (n. 21 N. B. 4°) [2]. Nonnumquam tamen maior certitudo postulatur, v. gr. in iudicio, ob periculum nocendi.

Veritas in iuramento promissorio stat in hoc, quod quis nunc vere habeat voluntatem adimplendi quod promittit. Si tamen quis tantum veritatem actualis suae voluntatis iurare vellet, nihil promittens in futurum, iuramentum non esset promissorium, sed mere assertorium.

2. *Iudicium*, id est motivum honestum alicuius ponderis ad iurandum, v. gr. pax confirmanda in familia, maior securitas in contractibus, et tunc Deus invocari debet cum debita reverentia. Iudicii defectus importat solum peccatum leve, nisi quis ex frequentia iurandi incurrat periculum peierandi.

3. *Iustitia*, id est ut fiat de re licita. Quodnam peccatum importet iustitiae defectus, distingui debet. *In iuramento promissorio* committitur peccatum grave aut leve, pro gravitate aut levitate materiae malae promissae. *In iuramento assertorio* peccatum contra religionem proveniens ex tali iuramento est quidem leve; at si iuramentum assumitur quasi instrumentum ad peccandum, v. gr. ad firmandam detractionem, grave vel leve erit iuxta materiam.

142 *NB.* — 1° In iudiciis (ecclesiasticis) iuramentum praestatur a sacerdotibus tacto pectore, a ceteris fidelibus tacto Evangeliorum libro (can. 1622).

---

1 Cf. dicta n. 138, NB. 1°.

2 Non licet tamen iurare, quidquid sine mendacio licet affirmare, v. gr. Missam hodie celebrasse pium sacerdotem, quem scis quotidie solere celebrare; fert enim humanus usus, ut certitudo veritatis iuratae intelligatur non haberi ex meris praesumptionibus, dum iis contenta est quotidiana conversatio in rebus parvi momenti.

2° In iuranda constitutione civili non est necessaria praevia protestatio, nisi quando ex particularibus adiunctis videatur iuramentum postulari e t i a m pro legibus impiis in illa inclusis [1].

III. **Obligatio iuramenti promissorii** duplex est, nempe **143** et promissionis et iuramenti, si promittitur aliquid alicui; solius autem iuramenti, si nemini quidquam promittitur, v. gr. iuro me non aditurum cauponam, iuro mutuum me tibi amplius non daturum.

1. **Iuramentum promissorium de re licita induit obligationem ex virtute religionis** (can. 1317, 1), nam cum adhibeatur Deus tamquam promissi fideiussor, eius reverentia obligat ad standum promisso. Haec obligatio religionis diversa est ab alia iustitiae et fidelitatis, quae in qualibet promissione continetur; quare una obligatione cessante non ideo altera cessat. Pari modo sentiendum de iuramento adiecto cuivis alii contractui diverso a promissione.

In transgressione obligationis ortae ex religione dari potest parvitas materiae, ut patet in voto, quod strictius obligat quam iuramentum. Votum, inquam, strictius obligat quam iuramentum; nam illud obligat ex fidelitate erga Deum, insuperque ex reverentia erga ipsum, quatenus infidelem esse in solvendis promissis Deo, magna esset in Eum irreverentia; iuramentum autem obligat ex fidelitate, ob quam obligat quaecumque promissio [2], insuperque ex reverentia erga Deum, quatenus secus illuderetur eius auctoritas, quae ad testificandam veritatem adimpletionis invocata fuit [3].

NB. — 1° Quando dubium adest, an iuramentum emis- **144** sum fuerit, aut quantum quis promiserit etc., obligatio interpretanda est ad minimum, iuxta dicta de probabilismo; idque etiam sancitur can. 1321.

2° Iuramentum servandi statuta alicuius collegii, congregationis etc. intelligitur obligare sub peccato gravi vel levi vel vub consilio, sicut obligat statutum; praeterea intelligitur de statutis, quae sunt in vigore, et non de iis, quae a maiore parte communitatis non observantur. Similiter cense de iuramento fideliter adimplendi officium, aut de iuramento fidelitatis pro militibus etc.; nempe tunc «non iurat quis nullum

---

1 Cf. Lehmk., n. 568.

2 Si iuramento promitteres aliquid non homini sed Deo, esset votum iuratum.

2 Cf. Suarez, *De Relig.*, tr. 5, l. 2, c. 1, 2; Lehmk., n. 562.

statutum transgrĕdi, sed quod velit statutis subiacere et, si transgrediatur, animadversioni esse obnoxius »[1].

3° Non valet iuramentum de re prodiga (quoad eam quantitatem, qua sit prodiga), aut de re inutili.

4° Iuramentum de non ludendo in genere non prohibet ludum honestum et moderatum, nisi hoc expresse iuratum fuerit[2]. Iuramentum de non ludendo aliquo ludo determinato, non prohibet ludere per alium et eum observare, immo et adiuvare, quia hoc proprie non est ludere[3].

5° Iusiurandum, quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, valet, quoties non vergit in dispendium salutis aeternae (can. 1317, 3).

6° Non valet iusiurandum adiectum actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici (can. 1318, § 2).

7° Non valet iuramentum emissum cum errore aut dolo circa substantiam, vel, in contractibus gratuitis, circa ea accidentia magni momenti, quae si cognita fuissent, a promittendo deterruissent.

8° Iusiurandum[4] per vim aut metum gravem extortum valet[5], sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest (can. 1317, § 2).

145 2. **Obligatio iuramenti sequitur naturam actus, cui adiicitur** (can. 1318, § 1) omnesque eius condiciones, quia iurans nisi aliud exprimat, intendit iurare illam ipsam obligationem sub tali actu contentam, ac proinde sub iisdem condicionibus.

Hinc, quando lex secreti cessat, revelari potest etiam secretum iuratum. Similiter obligatio iuramenti promissorii pendet ab iis condicionibus, a quibus pendet validitas promissionis, cui adiicitur. Hinc Doctores aiunt promissorium iuramentum, nisi aliud exprimatur, iure vel consuetudine censeri emitti sub his condicionibus: *Si potuero sine gravi damno;* et propterea

---

1 S. Alph., n. 181; Lehmk., n. 567.

2 Recte advertit Lehmk., n. 565, intelligendum, si intentio iurantis fuerit ad vitandum peccatum; nam si intenderit omnem abstinentiam ad mortificationem, abstinere deberet etiam a ludo honesto.

3 S. Alph., n. 178.

4 Aliter dicendum erit de voto in n. 149; rationem disparitatis dabit Creus. - Verm., *Summa Novi Iuris*, n. 520.

5 Id olim controvertebatur, nunc autem certum est ex dispositione Iuris ecclesiastici, cuius potestati iuramenti materia, utpote de religione, subiecta est.

non obligantur mercatores iurantes non vendere minoris[1]. *Nisi alter de iure suo cedat* (can. 1319, 1°); ideoque non peccat, qui cum ex urbanitate iuraverit se non ingressurum ante alium, tamen ab alio coactus intrat prior[1]. *Si res notabiliter non mutetur;* v. gr. si iurasses aliquem punire et is postea resipiscit[1], vel si postea res iurata fit inutilis ad finem intentum, vel si fit impeditiva maioris boni (salvo iure tertii); constant etiam haec omnia ex can. 1319. *Si Superior non obstat;* quare iuramentum irritari potest.

Alibi reperies condiciones communiter subintellectas in contractibus.

NB. — Raro peccant parentes non adimplentes iuramentum puniendi filios, praesertim quia non intendunt vere iurare, sed potius terrere, vel etiam quia vindictam iurant inordinatam.

3. **Iuramentum relaxari potest iisdem modis, quibus votum,** id est irritatione, dispensatione, commutatione (can. 1319, 4°). **146**

Qui facultatem habent, sive ordinariam sive delegatam, dispensandi in votis in aliqua materia, eo ipso intelliguntur habere potestatem dispensandi in iuramentis circa eamdem materiam, dummodo non sit ius alicui acquisitum[2]: ita constat ex can. 1320. Pariter, qui irritare aut suspendere potest votum, potest et iuramentum.

IV. **Adiuratio** est expostulatio alicuius rei interposito Dei nomine. Adiurationem sollemnem, seu quae constat ritibus et precibus ab Ecclesia praescriptis vocaturque exorcismus, facere nemo potest, potestate exorcizandi praeditus, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit (can. 1151, § 1).

Art. 3. De voto.

I. **Votum** est promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore (can. 1307, § 1). **147**

Praecipuas eius divisiones habes in can. 1308, nempe: 1° Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur; secus, *privatum*. — 2° *Sollemne*,

---

1 Vel potius dicendum ideo in hoc exemplo deesse obligationem, quia iuramentum fit per verbum « iuro hoc aut illud », quod, ut diximus, passim solet adhiberi non cum animo iurandi, sed tantum ad exprimendam firmam voluntatem.

2 Etsi quorumdam votorum dispensatio reservata sit (n. 159), non videtur tamen reservata dispensatio iuramenti (GÉN. S., 307, nota).

si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus, *simplex*. Sollemne semper est publicum et perpetuum, et tantum emittitur in professione religiosa et sacra ordinatione; simplex vero potest esse publicum vel privatum, perpetuum vel temporale. — Sollemne voventem reddit inhabilem ad actus voto contrarios; simplex reddit actus voto contrarios non invalidos[1], sed tantum illicitos.

Personale, quo actio voventis promittitur, v. gr. peregrinari, ieiunare; *reale*, quo promittitur res aliqua, v. gr. pecunia hospitali, statua templo parochiali, eleemosyna; *mixtum*, quod personalis et realis naturam participat, v. gr. votum adeundi sanctuarium ibique aliquot cereos offerendi.

148 II. **Essentia** voti duo importat, intentionem vovendi et materiam aptam.

1. *Intentione* opus est, non enim valet votum emissum circa rem, cuius obligationes ignorantur, et propterea non potest oriri ex voto maior obligatio, quam quae a vovente apprehensa fuit[2].

Immo ad validitatem voti non sufficit ea deliberatio in confuso circa obligationem, quae sufficit ad peccatum grave quando versatur circa malitiam, sed requiritur plena cognitio obligationis. Ratio disparitatis est, quia actu perfecto humano, apprehensa aliqua malitia confusa, iam committit homo peccatum grave, si nihilominus eam vult amplecti; at actu perfecto humano aprehensa aliqua obligatione confusa, nondum dici potest homo in illam, prout in se est, vere consensisse, sed requiritur, ut venerint in mentem eae circumstantiae, quae ad prudentem deliberationem circa onus assumendum iuxta communem aestimationem considerandae sunt.

Hoc tamen non impedit, quominus censeatur sufficienti deliberatione vovere qui obligationem habitualiter novit, etsi, cum vovet, actu ad illam non attendat, vel qui eam vult implicite[3].

---

1 Nisi invaliditatem quoque Ecclesia adiunxerit. Qua de re optime Ball. P., tr. 6, s. 2, c. 3, n. 1 seqq. et Ferreres, *Las religiosas, Comentario canónico*, comment. I, cap. 3.

2 Dummodo igitur sufficiens adfuerit advertentia seu deliberatio, et materia apta sit, votum tenet, quin ad eius validitatem ulla determinata aetas requiratur de iure naturali aut positivo. Ita enim can. 1307, § 2: « Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces »; prohibentur autem v. gr. vota religiosa ante aetatem iure statutam.

3 Immo censemus votum castitatis in religione haud raro in novitiis carere illa plena cognitione obligationis, ob cuius defectum extra religionem esset invalidum. At non ideo est invalidum in religione, cum emittitur per modum contractus bilateralis. Nam

Non valet votum emissum cum errore aut dolo circa substantiam, aut circa ea accidentia magni momenti, quae si cognita fuissent, a vovendo deterruissent. Attamen, vota religiosa non invalidantur nisi ob errorem substantialem circa substantiam; id enim exigit firmitas status religiosi, quae secus pessum iret; porro hanc saltem status firmitatem ac proinde implicite illam exigentiam satis norunt, qui vota religiosa emittunt[1]. 149

Probabile est non valere votum extortum metu, etiam respective levi, sed iniusto, incusso ad extorquendum votum, et qui fuit causa unica vovendi. Certe non valet votum emissum ex metu gravi et iniusto (can 1307, § 3. Cf. n. 300 de contractibus).

Si dubium est, utrum quis votum an mere propositum emiserit, nequit casus resolvi ex eo quod dixerit: « promitto », quoniam hoc verbo saepissime merum propositum significatur; sed interrogetur, num crediderit se obligari sub speciali peccato, et data affirmatione praesumatur votum.

2. *Materia*, ut votum valeat, debet esse: 150

a) *De bono meliori*, id est de re non solum bona, sed etiam non impediente maius bonum, intelligendo bonum melius non praecise quod tale est absolute in se, sed etiam respective ad circumstantias. Non obstat, quod materia sit iam de praecepto; potest enim in eamdem cadere obligatio ex pluribus titulis.

Non valet votum de re inutili, v. gr. non praecidendi ungues, semper transeundi per oram viae dextram etc.

Disputant auctores de valore voti contrahendi matrimonium. Communius dicunt hoc votum eo sensu esse intelligendum, quod homo ad salutem animae usurpaturus sit aut hoc remedium aut aliud, quo eundem finem consequatur[2].

b) *Possibilis*, saltem quoad partem. Non valet igitur, utpote impossibile, votum vitandi omnia venialia, etiam levis-

---

ex una parte firmitas status prorsus exigit, ut cognitio minus clara sufficiat ad validitatem vinculi; ex altera vero vovens id ipsum non ignorat; nam saltem novit optime statum religiosum debere esse valde firmum et irrevocabilem, ac proinde exigere, ut nonnisi difficillime et rarissime possit contra validitatem voti invocari exceptio; quare vovens consentit in obligationem sine restrictione et independenter a quavis condicione, quae non pertineat ad substantiam contractus. Haec praesertim valent de professione sollemni; quae tamen iam nunc non fit a novitiis, at valent etiam, cum debita proportione, de votis post novitiatum simplicibus. Cf. etiam S. Alph., l. 4, n. 50.

1 S. Alph., n. 198.

2 S. Alph., l. 3, n. 209, l. 6, n. 75; Lehmk., n. 589.

sima. At valet votum vitandi omnia venialia plene deliberata, dummodo agatur de persona valde pia, vel venialia alicuius materiae determinatae, dummodo attenta materia et virtute personae videatur moraliter esse possibile.

151 III. **Obligatio** est gravis in materia gravi, levis in levi. Potest tamen vovens, si vult, se obligare tantum ad leve in materia gravi, sed non potest se obligare ad grave in materia levi, quoniam haec non est capax obligationis gravis (n. 42). Ad dignoscendam autem materiam gravem in transgressione voti attendatur, quaenam gravis sit in Ecclesiae praeceptis, v. gr. omittere ieiunium, Missam: votum enim se habet sicut lex; vel attendatur, num notabiliter conducat ad finem voti, aut ad Dei cultum, v. gr. ire curru ad remotum sanctuarium, quod vovisti visitare pedes. Attendatur etiam ad totalitatem materiae; levis enim esset omissio unius alteriusve ieiunii ex centum promissis, aut reservare sibi unam gemmam e ditissimo ostensorio multis constante (non enim hic valet illud praecise criterium, de quo alibi circa iustitiam).

Materiae leves in transgressione voti non coalescunt in materiam gravem, si eas vovisti separatim, ut communiter fit in votis personalibus, v. gr. si vovisti te quotidie in aliquo mortificare, quotidie ter Ave recitare etc. Coalescent autem, si eas vovisti per modum unius, aut si tempus censeatur assignari non ut terminus obligationis, sed ad eam urgendam, ut communiter fit in votis realibus, v. gr. in voto dandi quotidie assem pauperibus.

Votum vitandi peccatum solum obligat iuxta illius gravitatem [1].

Qui vovit sine assignatione temporis ad cessationem obligationis, v. gr. ieiunium singulis diebus sabbati, rosarium quotidianum etc.., censetur voluisse vovere in perpetuum.

152 Qui vovit Missam, non satisfacit per Missam de praecepto; nam si aliud non expressit, censetur voluisse se obligare ad Missam supererogationis. E contra qui vovit Missam aut ieiunium quotidianum per mensem, non censetur voluisse se obligare ad duas Missas die festo aut ad ieiunandum die dominica contra consuetudinem Ecclesiae. Et similiter qui vovit ieiunium in vigilia alicuius Sancti, censetur id intellexisse ad morem Ecclesiae, ideoque si venerit in dominica, potest illud anticipare in sabbato, quoniam a ieiunando in dominica Ecclesia consuevit abstinere. Si tamen vovisset in perpetuum, posset illo anno omittere, quoniam praesumi deberet etiam eousque voluisse se conformare in modo cum Ecclesia (cf. can. 1252, § 4).

---

[1] S. Alph., n. 211.

Vota, ad quorum adimpletionem vovens nullum assignavit tempus, adimplenda sunt, cum primum commode adimpleri possint, sic enim solent homines promissa intelligere. Videtur tamen dicendum [1] nullam dilationem, etiam longam et sine causa, damnari posse de mortali, quando non adest periculum oblivionis aut impossibilitatis; nam tandem datur totum, quod promissum est. Unde colligitur e contra, quod qui vovit ingredi religionem, non potest differre ad plures annos, notabiliter enim mutaretur materia, quam vovit.

Votum est mere personale voventis; ideo can. 1310, § 1: « Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem ». Igitur non potest unus voto, quod emittit, ligare alium, v. gr. si parentes vovent filios religioni, aut quod filii ieiunabunt. Quare ob votum alienum nequit immediate oriri obligatio ex virtute religionis; potest tamen oriri ex virtute iustitiae vel obedientiae. Sic heres tenetur ex iustitia solvere vota realia defuncti pro viribus hereditatis; talia enim bona, quoniam testator noluit ipsi dari, non potest facere sua [2]. Pariter communitas voto maiorum ligari potest ex virtute obedientiae vel, ut multi malunt, religionis (eo quod obedientia transfert obligationem ad genus virtutis, cuius intuitu aliquid faciendum indicitur; n. 59 nota).

Vota realia adimpleri possunt per alium, si vovens consentiat, v. gr. si tuo nomine alius eleemosynam solvat, quam vovisti. Satisfit etiam per rem fini intento omnino aequivalentem, v, gr. si tapetem tradis aequaliter pretiosum aut pretiosiorem. Si tamen perierit res illa determinata, quae promissa fuit, obligatio exstinguitur, non enim praesumitur vovens aliud intendisse. Cf. dicenda de commutatione voti auctoritate privata.

Qui vovit ingredi religionem, non satisfacit voto, si pos- **153**
tea sponte egreditur vel si eiectionem directe vel indirecte procurat; tunc enim non tam eiicitur quam sponte egreditur; secus vero, si eiicitur ob culpas ex fragilitate aut prava consuetudine commissas absque dolosa intentione.

Qui vovit rosarium, satisfacit alternatim cum alio recitando et etiam dividendo decades.

Qui vovit rem indeterminatae quantitatis, v. gr. eleemosynam, satisfacit dando quod velit, modo non tam parum sit, ut videatur Deo illudere [3].

---

1 Cum S. Antonino, Tamburini et aliis ap. S. Alph., n. 221 et Ferr., n. 412.

2 Ideo can. 1310, § 2: « Voti realis obligatio transit ad heredes, item obligatio voti mixti pro parte qua reale est ».

3 S. Alph., n. 222.

Si quis, immemor voti, praestitit opus, satisfecit[1]. At non satisfecit, si expresse voluit non satisfacere; sicut enim potuit se obligare, ita potest in obligatione, si velit, permanere.

Factis moralibus diligentiis et subsistente dubio, num votum quis emiserit, habetur pro non emisso. In dubio an adfuerit sufficiens deliberatio, praesumitur adfuisse, quia standum pro valore actus, si tamen solida ratio adsit in contrarium, votum haberi potest ut invalidum. In dubio quantum voverit, standum pro minimo. In dubio negativo, an votum impleverit, standum pro non impleto, donec solida probabilitas habeatur de impletione. Haec omnia constant ex dictis de probabilismo.

154 IV. **Cessatio** voti locum habebit, si eius adimpletio facta est impossibilis sive ex parte materiae, v. gr. vovisti hunc calicem et fures abstulerunt, sive aliunde; vel si materia desinit esse honesta, v. gr. si eleemosyna ex voto promissa deserviat ebrietati pauperis; vel si iam effluxit tempus ad impletionem assignatum, dummodo non ad urgendam, sed ad finiendam obligationem fuerit assignatum.

Votum etiam cessare potest irritatione, dispensatione, commutatione vel tantum interim suspendi[2].

155 1. *Irritatio* voti fit a Superiore, « qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime excercet; is potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat »[3] (can. 1312, § 1). Ratio est, quia subditus cum habeat voluntatem sub dominio illius Superioris, inhabilis est ad valide imponendam sibi ullam obligationem, nisi subintellecta hac condicione: « dummodo Superior non resistat »; posita igitur resistentia voluntatis illius votum exstinguitur et fit nullum. Potest igitur Superior, si velit, vota huiusmodi subditi annullare, et semel annullata nequeunt reviviscere, etiamsi Superiorem annullationis factae poeniteat, nisi vovens denuo libere voveat.

Irritatio voti sine causa est valida, quia Superior utitur iure, quod vere habet; propterea non erit haec gravis deordinatio; certe tamen levis, tum quia aliqualis est abusus potestatis traditae ad prudenter dirigendum subditum, tum quia

---

[1] S. Alph., n. 224.

[2] Haec omnia ita fere exprimit can. 1311: « Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente condicione, a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione ».

[3] Haec voti annullatio vocabatur antea *irritatio directa*.

semper est vituperabile promptam eius voluntatem erga Deum sine causa impedire [1].

Possunt irritare: 156

1° *Pater* omnia [2] vota filiorum impuberum; item vota (privata) filiorum puberum, toto tempore subiectionis [3], quae domus gubernationi aut prudenti educationi praeiudicent [4].

Ratio 1ae partis: quia natura ipsa postulat, ut impuberum voluntas, ratione imbecillis iudicii, sit sub patris dominio [5], ideoque eorum vota fiunt sub condicione tacita « nisi pater con-

---

1 SANCHEZ, *In Decal.*, l. 4, c. 24, n. 13.

2 Etiam vota mere personalia, ut probat ratio 1ae partis (SANCHEZ, loc. cit., c. 35, n. 7). Nec excipienda sunt vota castitatis aut religionis, quia horum tantum reservatur dispensatio, non irritatio, ad eaque ratio praedicta extenditur.

3 Id est, donec ad maiorem aetatem filius pervenerit, nisi iam a lege emancipatus sit. Qua aetate cesset minor aetas, vid. n. 228, nota. Ubique autem leges a patria potestate emancipatos habent filios, ex quo matrimonium contraxerunt. — Quaeri posset an irritatio exerceri possit intra eam aetatem, qua filius iam maior sit iuxta ius canonicum, adhuc minor iuxta ius civile (cf. can. 88, C. C. *arg.* a. 126, *chil.* a. 26, *hisp.* a. 320). Resp. Affirm., nam quamvis votum materia sit iurisdictioni ecclesiasticae subiecta, at irritatio non fit vi huius iurisdictionis, sed per subtractionem condicionis dependentis a dominativa potestate, quae toto tempore perdurat, quod ius civile definit.

4 V. gr. votum longae peregrinationis vel ieiuniorum plurium, quae valetudini filii periculo sint, aut unius etiam ieiunii, si labori obstet etc. Non vero vota mere personalia, v. gr. castitatis, frequentiae sacramentorum, etc.; SANCHEZ, loc. cit., c. 35; SUAREZ, loc. cit., c. 5, n. 2, 3, 4, 9; S. ALPH., n. 229; WERNZ, t. 3, n. 583, III; LEHMK., n. 607, 608. Sunt quidem aliqui auctores, qui doceant posse hodie patrem omnia filiorum puberum vota irritare, hac ducti ratione, quod leges civiles hodie distinctionem nullam faciant puberum atque impuberum, relate ad modum excercendae patriae potestatis. Verum hoc legis silentium non sufficit. Lex enim ambitum patriae potestatis ad summum, prout de iure naturali est, intelligit; ideoque ad agnoscendam patri eamdem prorsus potestatem in filium puberem, debuisset positive ei tribuere eam dominativam potestatem in actiones mere personales filii, quam transacta impubertate de iure naturali iam non habet. Immo plerumque ne totam quidem naturalem dominationem intelligunt leges nomine « patriae potestatis », siquidem eam saepe definiunt: « summam iurium a lege concessorum »; cf. C. C. *arg.* a. 298, *chil.* a. 240, *col.* a. 53 legis 153 anni 1887, *ur.* a. 233; propterea sunt qui, apud SANCHEZ, loc. cit., c. 35, n. 75, relate ad ius rom., « patriam potestatem » dicant esse « inductam iure civili ».

5 Quando cesset haec iudicii imbecillitas, atque adeo huius generis dominium, iure naturae plus minus indeterminatum est, ideoque legi humanae relinquitur assignandum (SANCHEZ, loc. cit., c. 24, n. 31); si leges deficiunt, ut hodie accidit, standum est aetati, qua communiter praesumitur advenisse pubertas, nempe in masculis a decimoquarto, in feminis a duodecimo anno completo (can. 88, § 2).

tradixerit »[1]. — Ratio 2ae partis: quia filius puber, etsi a patre iam non dependeat quoad actiones suas personales[2], nequit tamen potestati paternae, cui subiectus est, praeiudicare, ideoque eius vota debent convenientem condicionem includere, dependentem a patris consensu[3].

Probabiliter eamdem irritandi potestatem exercere potest mater, etiam praesente patre aut tutore, dummodo pater non contradicat; ratio, quia talis potestas, etsi forte non civiliter, iure tamen naturali ei competit; nequit tamen exerceri sine subordinatione ad patrem[4].

Certe eamdem irritandi facultatem habet tutor et curator generalis[5], filum enim leges in eodem statu subiectionis eis constituunt sicut patri[6].

Praedicta valent tum erga filios legitimos, tum erga illegitimos[7].

2° *Maritus* omnia vota uxoris durante matrimonio emissa, etsi mere personalia[8], ut habet communior sententia[9].

---

1 SUAREZ, *De Relig.*, tr. 5, l. 6, c. 6; SANCHEZ, loc. cit., c. 24, n. 29, c. 26, n. 3; S. ALPH., n. 229.

2 S. THOM., 4, dist. 38, q. 1, a. 11, quaest. ult. ad 2.

3 SANCHEZ, loc. cit., c. 35, n. 16; SUAREZ, loc. cit., c. 5. Haec igitur irritatio, quoniam fit per subtractionem condicionis in voto inclusae, est, etiam quoad filios puberes, vera annullatio voti (olim irritatio directa dicebatur), non mera suspensio (olim irritatio indirecta). SANCHEZ, loc. cit., c. 35, n. 20.

4 S. ALPH., n. 236. Ita sentiunt Sanchez cum aliis, quando lex quidem matri patriam potestatem positive non concedit, sed neque hanc in alium transtulit; tunc enim, aiunt, mater eam retinet de iure naturali; non vero, si lex tutorem filio dedit. Praecedentia nihilominus probabilia sunt etiam in hoc postremo casu, ut clare erues ex S. ALPH., n. 230 et aliis apud SANCHEZ, c. 35, n. 75; inter quorum rationes eae sunt, quae suadeant parentes in his rebus naturalem suam potestatem retinere obedientiamque exigere posse, etiam quando leges curam filii aliis tribuunt atque illis denegant.

5 SANCHEZ, loc. cit., c. 35, n. 60.

6 Ita expresse C. C. *arg.* a. 441, 449, *br.* a. 422, 424, *chil.* a. 340, *col.* a. 430, *gall.* a. 450, *hisp.* a. 263, *lus.* a. 185, 243, *mex.* a. 403, 497, *ur.* 336, 337, etiamsi filius iam sit puber; nam tutoris potestatem usque ad maiorem aetatem explicite vel implicite protrahunt Codices: *arg.* a. 489, *br.* a. 442, *chil.* a. 340-342, *col.* a. 430-432, *gall.* a. 450, *hisp.* a. 200, *lus.* a. 185, *mex.* a. 403 simul cum a. 299, n. I Legis de Relationibus, *ur*, a. 372. Porro quisnam iure civili sit tutor vid. CC. CC. circiter loc. cit.

7 S. ALPH., n. 229. Etenim, etsi ius civile illegitimos saepe alienae potestati subiiciat, valet tamen ratio probabilis, de qua nuper in una notarum praecedentium.

8 Probabiliter etiam votum castitatis, et quamvis mutuo consensu emissum. BALL. P., n. 141 seqq. et alii apud SANCHEZ, *De Matrim.*, l. 9, d. 40, n. 19.

9 Cum S. THOM., 2. 2, q. 88, a. 8 ad 3; SANCHEZ, loc. cit., c. 34, n. 3; S. ALPH., n. 234.

Ratio, quia fines matrimonii postulant, ut uxor viro subiecta sit non solum quoad materiam voti, sed etiam quoad voluntatem gubernandam [1].

3º *Superiores* [2] *religiosi* [3] et *Superiorissae* [4] omnia suorum subditorum vota privata [5], a tempore professionis simplicis, etsi temporariae, emissa [6]. Ratio, quia super his dominativam habent potestatem (can. 501, § 1); qui autem hanc habent, irritandi potestate pollent (can. 1312) [7].

Omnes praedicti potestatem irritandi non amittunt, quamvis votum de ipsorum consensu emissum fuerit.

2. *Suspensio* voti fit ab eo « qui potestatem non quidem in voluntatem voventis habet, sed in voti materiam; is potest voti obligationem tamdiu suspendere, quamdiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat » (can. 1312, § 2) [8]. Nam cum votum necessario debeat includere hanc condicionem. « in quantum alterius iuri non praeiudicet », patet quod, quamdiu ille Superior vult ius suum prosequi, tamdiu debeat suspendi exsecutio voti. In casu igitur votum non annullatur, sed tantum exsecutio suspenditur. **157**

Possunt suspendere:

1º *Uxor* vota mariti, quae illius iuribus praeiudicant, scilicet iuri coniugali, filiorum educationi, domus gubernationi.

---

1 De qua re videsis Sanchez, *In Dec.*, l. 4, c. 34, n. 2, 3.

2 Sive Superiores maiores (quinam sint, diximus in n. 52 nota), sive minores seu locales; non autem Superiores secundarii, quos in Soc. Iesu vocant ministros; Sanchez, loc. cit., n. 16.

3 Etsi non exempti et laicales, tum quia nullam distinctionem habet can. 501, §1, tum quia dominativa potestas acquiritur e traditione voluntatis ad rectam vitae directionem tacite inclusa in professione (Sanchez, loc. cit., n. 7), quam proinde illi quoque acquirunt.

4 Patet ex can. 501, 490; valet praeterea ratio nuper allata in nota praecedenti. Possunt ergo irritare etiam Priorissae aliaeve Superiorissae locales. Sanchez, loc. cit., n. 18.

5 Id est, excipiuntur vota religiosa substantialia et alia ad normam Constitutionum emissa. Excipe etiam votum transeundi ad religionem strictiorem (transitus tamen ex can. 632 prohibitus est sine auctoritate Ap. Sedis); Suarez, loc. cit., l. 3, c. 6, n. 24; Sanchez, loc. cit., n. 3.

6 Non igitur vota durante novitiatu emissa (etsi suspendi possint, ut dicemus), Suarez, loc. cit., l. 6, c. 7, n. 11; Sanchez, loc. cit., n. 28. Et quamvis novitii potestati Magistri et Superiorum subsint (can. 561,§ 2), hi tamen dominium in illorum voluntatem non habent.

7 Suarez, *De Relig.*, tr. 5, l. 7, c. 7; Sanchez, *In Dec.*, l. 4, c. 33, n. 4; S. Alph., n. 233.

8 Haec, quam ius novum clariore termino vocat voti suspensionem, a multis dicebatur antea irritatio indirecta.

NB. — Ex dictis infertur quod, si coniuges votum continentiae, etiam mutuo consensu, emiserunt, potest uxor petere et obtinere a marito annullationem sui voti; dein ipsa, libera a voto, poterit suspendere votum mariti; his positis, debitum sibi poterunt reddere.

2° *Dominus et domina* vota famulorum, quae servitia debita impediunt vel minuunt, v. gr. votum audiendi quotidie Missam.

3° *Superiores religiosi* et *Superiorissae*, itemque *Magistri novitiorum* vota novitiorum, etiam in saeculo emissa, quatenus in praeiudicium sint domesticae gubernationis vel debitae formationis religiosae.

NB. — Ipso Iure «vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit». (can. 1315).

4° *Superior collegii*, asyli etc. vota alumnorum, quae ordini collegii etc. noceant.

Praedicti suspendere possunt etiam vota emissa de ipsorum consensu vel praedecessorum Superiorum collegii etc.[1].

158 3. *Dispensatio* voti est absoluta et legitima condonatio eiusdem nomine Dei. Dispensatio non est actus alicuius iuris proprietatis, sed iurisdictionis.

Dispensatio, quoniam fit nomine Dei, est actus iurisdictionis d e l e g a t a e, ac proinde, ut detur non tantum licite, sed etiam valide, requiritur causa (n. 47). Causa autem erit[2] bonum Ecclesiae, societatis, familiae vel etiam ipsius voventis, v. gr. si magnis scrupulis aut gravibus tentationibus voti causa opprimatur, si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur (etsi illa, dum voverit, praevisa fuerit, et quamvis oriatur ex fragilitate voventis), si actus vovendi non fuit plene deliberatus etc., salvo tamen iure tertii.

Si cui datur facultas dispensandi vota, nulla alio expresso, non ideo intelligitur data facultas dispensandi vota Apostolicae Sedi reservata. Iure autem novo «vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum» (can. 1309).

Igitur haec duo vota non reservantur:

a) Si emissa sunt sub condicione, v. gr. «si mater sanaverit, ingrediar religionem», non enim procedit ex perfecto

---

1 Sanchez, loc. cit., c. 34, n. 30.
2 Cf. S. Alph., n. 250, 252.

amore rei promissae votum, quod potius procedit ex amore ad condicionem. At reservantur, ubi particula « si » idem sonat ac « quando », v. gr. « si moriatur mater, quae meo labore alitur, ingrediar religionem », tunc enim sensus non est condicionatus; vel « si sors mihi obtigerit trium millium nummum, ingrediar religionem », eo sensu, quod tunc mater sibi providere poterit et liber ero; adhunc enim votum procedit absolute, id est, ex solo amore rei promissae. Reservantur etiam ea vota, quando condicio non est de futuro, sed de praeterito vel praesenti, v. gr. « si sponsa in naufragio periit, servabo perfectam castitatem »; cum enim condicio, dum res vovetur, iam verificata sit vel secus, sensus obiective est absolutus [1].

b) Si non sunt perfecta ex parte materiae. Debet scilicet castitas, quae vovetur, esse perfecta seu quoad quaelibet venerea, non exclusis actibus internis, et votum religionis referri ad religionem stricte dictam seu, ut appellatur in Iure (can. 488, 2°), ad Ordinem. Non ergo reservatur votum non nubendi, aut servandi castitatem coniugalem, aut ingrediendi Congregationem religiosam. Votum virginitatis servandae reservatur, si per id intelligitur, ut ordinarie fit, castitas perfecta, secus vero si solum corporalis integritas, quae per primum luxuriae actum deperditur [2].

c) Si emittuntur disiunctive, et alterutra pars non sit reservata, v. gr. « promitto ingredi religionem vel aggredi peregrinationem », dummodo vovens partem reservatam nondum elegerit [3].

d) Si emissa sunt ex metu, etsi levi, iniuste incusso ad extorquendum votum, vel si cum obligatione sub levi; in his enim casibus non censentur satis perfecta [4].

e) Si emissa ante completum decimum octavum aetatis annum, nec postea a vovente confirmata.

In praedictis materiis reservantur vota, non iuramenta [5].

Dispensare possunt, iusta de causa, vota *non reservata*, **159**
dummodo dispensatio *ne laedat ius aliis quaesitum* (can. 1313):

1° *Loci Ordinarius* [6] quod attinet ad omnes suos subditos, atque etiam peregrinos (can. 1313, 1°).

---

1 Sanchez, *In Dec.*, l. 4, c. 40, n. 93, 96.
2 Sanchez, loc. cit., n. 65.
3 Sanchez, loc. cit., n. 42, 43.
4 Sanchez, loc. cit., n. 30, 47.
5 S. Alph., n. 259.
6 Nomine « Ordinarii loci » quinam veniant, cf. n. 52 nota.

2° *Superior*[1] *religionis clericalis exemptae*, quod attinet ad professos, novitios, aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (can. 1313, 2ª et can. 514, § 1).

3° *Ii, quibus delegata fuerit* ab Apostolica Sede dispensandi potestas.

NB. 1° Igitur, seclusa speciali facultate, dispensare vota non possunt parochi, Superiores Congregationis religiosae, Superiorissae etc., nec Superiores religionis clericalis exemptae quoad alumnos suorum collegiorum externos aut semiinternos.

2° Dispensationem omnes praedicti concedere possunt etiam extra forum sacramentale (can. 202).

3° Recensiti n. 1° et 2°, quoniam dispensandi facultate pollent ordinaria seu ratione officii, eamdem aliis delegare possunt, etiam habitualiter (can. 197, § 1 et 199, § 1), eaque uti possunt etiam dum extra territorium degunt, aut in subditum e territorio absentem (can. 201, § 3).

4° Nequeunt dispensari, nisi ab Apostolica Sede, vota, quorum dispensatio laederet «ius tertio quaesitum», id est ab alio acquisitum. Huiusmodi sunt: vota publica in aliquo Instituto religioso emissa; fiunt enim per modum contractus onerosi, et pariter quaelibet vota privata, per quae pariatur obligatio aliqua ex iustitia, v. gr. votum perseverantiae, quod emittitur in quibusdam Congregationibus religiosis; fit enim per modum contractus bilateralis[2]. Dispensabile ergo est votum, si res, v. gr. calix sacello promittitur gratuito ex mera fidelitate, vel si promissio nondum fuit alii manifestata ab eoque accepta: is enim nondum ius acquisiverat[3].

5° Qui vovisset numquam petere votorum suorum dispensationem, potest primum petere dispensationem ab hoc ipso voto.

160 4. *Commutatio* est exstinctio obligationis sub condicione subrogandi aliam materiam. Quoniam haec exstinctio non est absoluta, minor causa requiritur ad commutandum quam ad dispensandum, eoque minor, quo minor sit inaequalitas materiae subrogatae. In dubio de sufficientia causae licet stare iudicio commutantis»[4].

Vovens non potest propria auctoritate suum votum commutare in opus minus, potest tamen illud, dummodo non sit reservatum, commutare in opus evidenter melius aut aequale

---

1 Etsi minor seu localis.
2 S. Alph., n. 255.
3 S. Alph., ibid., Gén. S., n. 329.
4 S. Alph., n. 245.

(can. 1314); at si deinde exsecutio novae materiae fiat impossibilis, tenetur redire ad materiam priorem.

Si vero commutatio facta fuit ab alio habente facultatem, vovens potest semper redire ad priorem materiam, etsi opus commutatum fuerit in melius, siquidem commutatio data fuit in eius favorem; immo si secundum opus fiat impossibile, non tenetur redire ad prius, quia commutatio priorem obligationem exstinxit.

Facultas dispensandi includit facultatem commutandi, non autem e contrario.

Qui solum commutare potest, potest commutare in moraliter aequale [1], id est in aequale, vel etiam in paulo minus [2], non autem in notabiliter minus [3].

Quoniam per commutationem exstinguitur obligatio prioris voti, ideo facultas ad commutanda vota, nisi aliud exprimatur, non intelligitur dari ad commutanda etiam reservata, prout supra diximus de facultate dispensandi.

NB. — Sedulo hortandi sunt fideles, praesertim mulieres et pueri, ne votum emittant sine consilio confessarii. Hic autem haud facile permittat emittere votum in materia ardua, multoque difficilius votum perpetuae castitatis. Quod si aliquando votum castitatis expedire videtur, fiat iteratis vicibus experimentum, vovendo ad tempus, v. gr ab uno festo B. Virginis ad aliud.

---

1 Bened. XIV const. « Inter praet. », n. 45, 47, 55. Exempla quaedam commutationum affert Lehmk., n. 632 a Reuter collecta ex probatis scriptoribus, v. gr. commutare peregrinationem pedestrem unius diei in unum ieiunium simul cum expensis peregrinationis pio operi applicandis; ieiunium unius diei in unam confessionem; ieiunium vero in pane et aqua in confessionem et communionem; votum vitandi externa peccata luxuriae in confessionem menstruam per vitam, vel, addit Lehmk., in quaelibet remedia ex se efficacia coercendi luxuriam; votum non nubendi in confessionem et communionem menstruam per vitam vel saltem pro tempore status matrimonialis; ieiunium quolibet sabbato in confessionem et communionem bis in mense; recitationem quotidianam Rosarii in confessionem hebdomadariam vel, ait Lehmk., in Missam ter quaterve in hebdomanda.

Regulam sic in genere tradit Gén. S., n. 330: aequale intelligitur quod, spectatis concretis adiunctis et praesertim condicione voventis, apparet aeque conducere ad Dei gloriam et spiritualem voventis utilitatem.

2 Si enim in aequale tantum liceret, inutilis esset facultas commutandi, siquidem a vovente id fieri posset; adde difficultatem dimetiendi aequalitatem in rebus tam disparibus. S. Alph., n. 247.

3 Commutari tamen potest in aliquantum minus, si datur facultas « commutandi dispensando », quia principaliter intelligitur commutatio, sed cum aliqua dispensatione; in notabiliter minus, si « dispensandi commutando », quia principaliter intelligitur dispensatio, sed addita aliqua commutatione.

Caput 3. DE IIIº PRAECEPTO

Art. 1. De auditione Missae.

161 Aliquod tempus Dei cultui tribuendum esse iure naturali praecipitur; dies autem, modus ceteraeque cicumstantiae ab Ecclesia determinantur. Hic ea tantum explicanda assumimus, quae generalius statuit can. 1248: «Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, aliisque publicis emptionibus et venditionibus», cetera ad praecepta Ecclesiae amandantes, quae magis particulariter, quoad dies et locum, statuuntur in can. 1247, 1249.

I. **Praesentia,** quae requiritur, debet esse:

1. *Moralis*, scilicet debet quis moraliter censeri posse unus assistentium. Porro talis censetur quoad praesentiam corporalem, qui tali loco positus est, ut aliqua ratione advertere possit ad ea, quae fiunt a sacerdote, nisi forsan ipsa loci natura videatur illum a reliquis assistentibus disiungere.

Hinc assistit Missae qui in vasto templo videt sacerdotem in sacello remotissimo celebrantem; qui in sacristia, interiecta ianua clausa, eum audit[1]; qui post columnam vel post altare sacerdotem nec videt nec audit, sequitur tamen aliorum adstantium motus; qui e suae domus fenestra sacerdotem conspicit, modo parvo spatio a templo separetur; qui in platea coniungitur multitudini adstanti, quam templum non valet capere.

Diximus «nisi forsan ipsa loci natura etc.», non enim censeretur satis praesens, qui a sacerdote separaretur interiecta platea, ubi est curruum viatorumque concursus, vel qui sacerdotem sequeretur ope telephonii.

2. *Continua* ab initio ad finem; Ecclesia enim praecipit assistentiam Missae non tantum ut sacrificio, sed etiam ut caeremoniae sacrae.

Grave censent communiter auctores omittere tertiam partem Missae, quae tamen non e mera diuturnitate, sed etiam ex eius dignitate iudicanda est. Hinc g r a v e esse tradunt omittere *a*) omnia ante evangelium et simul omnia post communionem; *b*) omnia usque ad offertorium inclusive; *c*) a

[1] Non tamen, si tantum raro quaedam audiret, v. gr. solum signa tintinnabuli; id enim de eo solum admitti posset, qui adstanti multitudini materialiter coniunctus esset.

consecratione ad «Pater noster» exclusive. L e v e est [1], omittere *a*) omnia ante epistolam et simul omnia post communionem; *b*) omnia usque ad offertorium exclusive; *c*) communionem.

NB. — Non peccat qui omittit solum Credo, quoniam non est pars regularis Missae, vel qui abest durante longo Memento. — Ultimum evangelium omittere potest qui iam reliquae Missae adstitit. — Non satisfacit audiens duas dimidias Missas simultanee, secus vero (probabiliter) si successive, dummodo consecratio et communio desumantur ex eadem Missa. — Qui advenit ante consecrationem nec potest alii Missae interesse, tenetur manere, etenim potest adhuc essentiae sacrificii reliquisque caeremoniis assistere; secus vero, si advenit post consecrationem, etenim multo probabilius peracta est iam essentia sacrificii et non constat praecipi assistentiam solis caeremoniis. — Qui levem partem Missae, etiam culpabiliter omisit, non videtur teneri ad eam supplendam, quoniam haec suppletio est valde imperfecta, et aliunde res morales, cum leviores sunt, non debent cum tanto rigore exigi [2]. — Nihil censentur omittere inservientes Missae, eo quod ad sacristiam vel etiam brevi mora extra templum recedant, ut afferant vinum, thus etc.; nam cum haec ordinentur ad Missam, censentur toti inservisse.

II. **Attentio** non requiritur, iuxta probabilem sententiam, **162** sed sufficit intentio audiendi Missam cum exclusione occupationis cuiuslibet externae.

Quoad 1um. Multi auctores [3] tenent attentionem internam non requiri neque ex natura rei (id est, ut quis dici possit unus assistentium), neque ex peculiari praecepto Ecclesiae. Unde etsi venialiter peccet ob irreverentiam, satisfacit tamen qui voluntarie distrahitur. Ceterum non multum differunt auctores contrarii, nam contenti sunt aliqua « attentione ad Missam ut ad rem quamdam sacram », conceduntque praeceptum impleri distractionibus involutariis, immo et voluntariis, dummodo quis non advertat se distrahi a Missa [4], adduntque quod « nemo anxius esse debet ob defectum attentionis, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum » [5].

Quoad 2um. Satisfacit praecepto qui, etsi in templo maneat coactus, coactus tamen manere, Missam vult audire. At Missam non audit, qui in templo adest unice ut exspectet amicum.

---

1 Saltem iuxta sententias probabiles, de quibus S. Alph., l. 3, n. 310.
2 Suarez, *De Euch.*, d. 88, n. 2.
3 Cum Lugo, *De Euch.*, d. 22.
4 Salmant., c. 6, n. 42.
5 S. Alph. n. 313.

Non obstat satisfaciendo intentio prava admixta, v. gr. turpiter conspiciendi feminas.

Quoad 3um. Excludi enim debet quaelibet occupatio externa, ob quam iam nemo diceretur moraliter assistere, v. gr. scribere, de re seria fabulari, profanas historias serio legere. Satisfaciunt qui, ut fit, nunc fabulantur nunc attendunt, qui fideles cum patera eleemosynarum circumeunt, qui organa pulsant vel canunt.

Quaestio satis obscura est, an confessio sit talis occupatio, quae excludat moralem assistentiam. Certe si poenitens versatur inter alios audientes et maximam partem Missae extra confessionem audivit, ex consuetudine videtur non obligari ad aliam Missam; immo, censemus nec ad aliam obligari, etsi per totam Missam et sine necessitate confessus fuerit, quoniam putamus non constare, quod aliud genus praesentiae requiratur[1].

163 III. **Causae excusantes** reducuntur ad quolibet *incommodum mediocriter grave*, temporale vel spirituale, proprium vel proximi, ob quod prudenter homines omitterent vel omittere solent alia negotia alicuius momenti. Ad exactius criterium efformandum sequentia exempla ex Suarez et S. Alph. depromimus. Excusantur:

1° *Ob aegritudinem* ii qui ex assistentia Missae prudenter timent notabile gravamen capitis viriumve lassitudinem, notabilem moram convalescendi etc. In dubio de sufficientia motivi standum iudicio prudentis aut etiam proprio, si quis prudenter iudicare valet; perstante dubio post consultationem omitti potest Missa, ne subeatur periculum.

Ad praecidendas excusationes eorum, qui facile Missam negligunt, interrogentur num, exorto negotio mediocris momenti, domi nihilominus remansissent, vel opportunitatem negotio non invenissent[2].

---

[1] Ball. P., n. 89 seqq., Gén. S., n. 341, 3°. Poenitens supponitur praesens inter audientes, seu corporaliter praesens in loco apto (cf. supra in I, 1°). Non tamen admitteremus eum posse ita satisfacere in quocumque loco alias apto, v. gr. si Missa celebraretur in capella a confessionali sat remota et multitudo audientium valde distaret; nam, quando de *externa* occupatione agitur nimis abstrahente, quae tam aegre cum attentione componitur, maior coniunctio quoad locum requiri videtur, ut quis humano modo censeatur ritui, qui in altari peragitur, assistere.

[2] Ni fallimur, poterit ei etiam proponi « an propter illud incommodum domi nihilominus remansisset, etiamsi secus scivisset se amissurum tot francos vel pesetas », exprimendo hic quantitatem, quae gravis esset si ab eo surriperetur (si eius condicio ignoratur nec ex indiciis coniecturari potest, exprimatur quantitas

2° *Ob damnum temporale*, qui timet furtum si domum relinquat solam, vel gregem in agro sine custodia; matres, quae non habent cui committant parvulos, quos non possunt adducere in ecclesiam sine notabili adstantium perturbatione: at saepe possunt duo e familia Missam successive audire; quod si unica celebratur, eam adeant per vices. Ad praesens caput reducitur amissio alicuius lucri magni momenti, iuxta condicionem personae, simulque extraordinarii, id est ob speciales rationes occurrentes, ac proinde non agitur de amissione lucri ob cessationem a labore consueto.

3° *Ob dedecus* seu pudorem, qui caret calceamento vel decenti veste iuxta suum statum, vel femina nobilis carens socia, sine qua graviter suffunderetur; at videndum, num possit audire Missam alibi vel valde mane. Idem dic de viduis, filiabus, sororibus defuncti, per aliquod tempus, iuxta regionis consuetudinem, ad rationabilem ostensionem luctus; idem quoque de puerperis, quae domi per tempus aliquod post partum se continere solent.

4° *Ob necessitatem alienam*, qui secus deberet relinquere infirmum cum notabili eius detrimento, v. gr. sine administratione medicinae, vel si, cum alius adsit, tamen infirmus putet illius assistentiam necessariam et secus gravem pateretur tristitiam.

5° *Ob statum subiectionis*, famulus, cuius ministerium necessarium est iuxta communem vivendi modum, v. gr. si secus domus incomposita nimis diu manere deberet aut comestio nimis esset differenda; debet tamen impedimentum, si potest, praevenire, non tamen tenetur ad id detrahere ex ordinario et rationabili somno. Si ministerium commode differri potest, non excusatur famulus ob levem indignationem domini; at si detrimentum grave subiturus est, excusatur. Si tamen hoc sit quasi in consuetudine, tenetur data opportunitate alium dominum quaerere, a quo non impediatur[1].

Pater potest filium domi clausum retinere in poenam, etsi Missam non audiat.

---

gravis in furto relate ad homines fortunae mediae, huius enim condicionis sunt plerique, ideoque idipsum de eo praesumi debet, aliis indiciis deficientibus). Nam amissio quantitatis relative gravis in furto repraesentat, iuxta sensum theologorum, incommodum certe grave et capax est gignendi tristitiam gravem, aequivalet enim amissioni sustentationis honestae unius diei.

1 Multi sunt hodie, qui ratione officii longissimo tempore privantur Missa die festo, nec possunt illud sine gravissimo damno deserere; hos satius est enixe hortari, ut identidem Missam audiant extra festum, denturque illis media ad christianam vitam ducendam, ne silvescant.

6° *Ob distantiam* quinque quadrantium horae pedibus percurrendam excusantur omnes, etiam robusti, et quamvis faciles sint viae et tempestas bona; ob minorem autem distantiam, attenta pluvia, asperitate viae, aestu nimio, debilitate personae etc. Attamen distantia etiam notabiliter maior non excusat, quando curru publico confici potest; media enim adeo ordinaria adhibere tenentur ii, qui iisdem ad quotidiana negotia uti solent, nisi aliud accedat incommodum notabile.

Art. 2. De labore prohibito.

164 Tria genera laborum distinguere oportet:

1° Opera *servilia*, quae a servis et mercenariis fieri solent, v. gr. arare, metere, consuere. Haec potissimum corpore exercentur et ad corporales usus solent ordinari.

2° Opera *liberalia* seu propria hominis liberi (id est, qui alii non famulatur), v. gr. studere, docere, scribere, canere. Haec potissimum mente exercentur et ad animum excolendum ordinantur.

3° Opera *servis et liberis communia*, v. gr. iter pedibus vel curru facere, ludere, gymnastica exercitia peragere etc.

I. **Labores prohibiti** diebus festis de media ad mediam noctem sunt s o l a opera *servilia*. Animadverte:

1° Prohibentur die festo, ut ex dictis colligitur, opera ruralia, artis caementariae, lignariae, sartoriae, sculptoriae etc., itemque alia opera minutiora, v. gr. conficere rosaria, flores etc. Sunt enim hae occupationes servorum propriae.

2° Opus servile non desinit esse servile, etsi fiat gratuito vel recreationis causa vel ob pium finem, hae enim sunt circumstantiae operi extrinsecae. Pariter opus non servile non fit servile, etsi fiat ob mercedem vel cum defatigatione, v. gr. amanuensem agere ex officio, vel natationem aut iter pedestre conficere, etsi usque ad virium extenuationem.

3° In diiudicanda servilitate alicuius operis maxime valet consuetudo seu aestimatio communis, quae optime ostendit sensum legis praesertim in hac materia. Hinc piscari ob recreationem cum arundine aut levi rete non censetur proprium servorum, secus vero piscari ex officio cum magno apparatu. Propterea etiam permittitur distillatio, quae sine corporis defatigatione potius ad experimentum et peritiam fit, non autem ex officio et arte.

4° Etsi non sint quid servile, prohibentur tamen ab Ecclesia actus forenses, seclusa necessitate, v. gr. testes citare, proferre sententiam etc.; non autem ea, quae sine strepitu

iudiciali fiunt, v. gr. iudicem privatim informare. Prohibentur etiam mercatus publici et nundinae, nisi aliud ferant legitimae consuetudines, vel nisi, de more ad certum diem assignatae, casu in festum incidant. Idem dic de aliis publicis emptionibus et venditionibus, v. gr. de licitatione publica, ubi mos non est ut fiat die dominica. Non autem videntur prohibitae, secluso scandalo, emptiones privatae in publicis officinis; debent tamen istae manere clausae, iuxta regionis consuetudines, ut festi dies ab aliis distinguantur.

5° E contra licita sunt quaedam opera domestica etsi servilia, v. gr. parare cibos, etiam superfluos ad delectationem et cum longo labore, purgare domum aut vestes, sibi barbam radere, utensilia culinaria lavare, aves illo die mensae apponendas occidere et excoriare. Atque in his rebus quotidiani usus vitanda est subtilis inquisitio, an anticipari vel differri possint, quae iudaicam observantiam redoleret; anticipationis vel dilationis omissio, etiam sine causa, in his non excederet veniale.

6° Denique quosdam labores recensebimus, de quibus dubium oriri posset. — Ob sententias saltem probabiles licet non solum scribere, sed etiam transcribere, etiam machina utendo dactylographica; libros corrigere, etiam cum levi aliquo labore accessorio chartas conglutinatas superponendo; imagines acu retrahere; characteres typographicos ordinare; item molere, si molam agitante bestia, vento, aqua vel vapore cooperatio hominis sit modica; sed consequentius diceres id non esse grave. — Prorsus licent delineationes architectorum, sculptorum, fabrorum lignariorum etc., id enim non est servile. — Quoniam iter facere pedibus, equo, curru, navi est licitum, consequenter licet facere necessaria itineri, ut equos disponere, necessaria viae portare etc., saltem ita tulit consuetudo; ideo excusantur, ait Gén. S.[1], qui nostris diebus opera huiusmodi suscipiunt vel indicunt ad viatores via ferrea transvehendos, vel dic, si mavis, id licere ratione utilitatis publicae. — Licet pingere (nec id extendas ad dealbationem parietum), sculpere (si solum agatur de operis perfectione), imagines negativas excipere in machina photographica (non autem cetera, quae multum laboris exigant), contractus inire, etiam per notarios. — Licet currum onustum ducere, si ad illum onerandum aut exonerandum exiguus requiratur labor. — Experimenta facere physica vel chimica licet, si labor materialis ad ea praeparanda sit modicus; tunc enim est quid secundarium relate ad rem principalem; non autem, si tantus sit, ut iam non videatur esse occupatio quaedam accessoria.

1 Gén. S., n. 334.

Materia gravis assignatur a plerisque labor susceptus per duas horas cum dimidio, a nonnullis vero labor trium horarum, quorum sententiam alii quoque admittunt, dummodo vel opus sit leviter servile vel ex quadam necessitate fiat, quae ex se non excusaret. Maius tempus ad peccatum grave requireretur pro laboribus leviusculis, v. gr. decorticare poma etc. Immo leviusculi labores, v. gr. conficere rosaria, flores etc. permittuntur a pluribus, modo non producantur ultra duas horas; id quod si principiis supra datis minus cohaeret, saltem ostendit, quantum sensui fidelium in hac materia sit deferendum. — In forensibus materia gravis potius e qualitate operis metienda est.

165 II. **Causae excusantes,** ut de omittenda Missa diximus, reducuntur ad quodlibet incommodum mediocriter grave. Ibi dicta criterium quoque suppeditabunt pro hac materia. Nunc tantum haec addimus:

1° *Ratione damni vitandi* excusantur rigantes olera, colligentes olivas aliosve fructus, ne surripiantur aut ob pluviam damnum patiantur. *Ratione quoque necessitatis* excusantur ancillae vel operarii, qui cum per hebdomadam suam operam aliis locatam habeant, die festo suas vestes lavant et reficiunt. Licet quoque die festo ferrare iumenta itinerantis, reficere vomeres, si secus die sequenti non posset laborari, instaurare pontes aut vias publicas, exonerare navigia et similia, quae moram non patiuntur et bono publico intersunt.

2° *Ratione consuetudinis* excusantur barbitonsores. *Ratione vel consuetudinis vel pietatis* in Deum censent plures licere verrere templa, ornare altaria, erigere tabulata ad festivitatem etc.; non autem licent ea, quae prorsus remote ad cultum referuntur, puta conficere corporalia, casulas etc., nisi ad ecclesias pauperes destinentur. *Ratione utilitatis publicae* licet v. gr. in ortu Principis aliave festivitate publica ornare vias, ignes artificiales parare ceteraque peragere, quae commode anticipari non potuerunt.

3° *Ratione caritatis* licet non solum infirmis subvenire, sed etiam ea officia praestare, quae quisque sibi praestat, v. gr. pectere crines; immo et vestes conficere pauperibus distribuendas (non autem si vendendae sunt, etsi pretium in eleemosynam sit erogandum), quod consuli potest, si qua pia mulier de otio festorum queratur.

NB. — 1° Mandans sex famulis, ut per duas horas singuli laborent, non peccat graviter, secluso scandalo. — 2° Excusantur sartores, sutores aliique opifices, qui laborem die festo protrahunt, v. gr. in reficiendis vestibus, quae ad illum diem

exspectantur, vel quia cliens rem ad illum diem impatienter urget. Recte tamen advertit Gury «severe arguendos esse eos, qui plus laboris assumunt quam per hebdomadam explere possunt, vel qui non adhibent numerum operariorum, quem opus requirit, vel aliis diebus tempus terunt; facilius excusandos, quibus die praecedenti traditum fuit opus perficiendum in diem sequentem».

Caput 4. DE IV° PRAECEPTO

Art. 1. Quoad filios.

Filii parentibus devinciuntur virtute pietatis, quae tria illis officia imponit, quorum laesiones tria specifice diversa peccata sunt. Debent enim parentibus: **166**

a) *Amorem*, ideoque graviter peccant, si parentes odio interne habent, si eos odisse manifestant, si malum grave eis exoptant, si graviter de ipsis detrahunt, si eos graviter contristant, si indigentes cogunt alimenta quaerere per artem statui ipsorum indecoram, si afflictos aut senes non visitant, si eis ultima sacramenta administrari aut exsequia statui congrua persolvi non curant.

b) *Reverentiam*, ideoque graviter peccant, si eos percutiunt etiam leviter aut percutere minantur ostenso pugno vel baculo, si eos despiciunt, aut si gravi iniuria afficiunt verbis contumeliosis vel derisionibus.

c) *Obedientiam* in omnibus licitis ad mores aut domus gubernationem pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur[1]. Ideoque peccant, si eis in illiusmodi rebus non obsequuntur, si contra parentum mandata adeunt prava consortia, si studiis debitam operam non dant, praesertim cum parentes sint mediocris condicionis (sed pueri saepe de his parum cogitant). Multae inobedientiae puerorum, advertit Gury, a gravi excusantur ob levitatem animi aut materiae parvitatem, saepe etiam ab omni culpa ob defectum praecepti stricti, nam saepe parentes solum sua desideria manifestare

1 Id est, nisi ad maiorem aetatem iam pervenerint, vel nisi in minoritate matrimonium contraxerint ideoque emancipati sint; tunc enim plene sunt sui iuris, et obedientiae obligatio cessat, amoris tamen et reverentiae officia debentur semper. Si tamen filius domi manet, etiam maior, parenti subiicitur in iis, quae rectam domus gubernationem attinent.

intendunt; strictum autem praeceptum dignoscitur ex serietate, qua declaratur, ex momento rei mandatae, ex poena apposita etc.

Filii parentibus obedire non tenentur in electione status sive perfectionis (ut caelibatus aut religionis), sive matrimonii. Si matrimonium tamen inire velint, parentum consilium tenentur capere, immo et sequi, quando id necessarium est ad exstinguenda odia, parentum necessitates sublevandas etc., et iusta causa non adest in contrarium. Parentes communiter nequeunt obligare filium ad contrahendum cum muliere, a qua abhorret. Sed de his plura in n. 791.

Minorennes paternam domum nequeunt deserere; id iuri parentum adversatur et plerumque prohibetur etiam legibus civilibus [1].

Art. 2. Quoad parentes.

167 **Parentes** « gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi et etiam temporali eorum bono providendi » (can. 1113). Ex virtute pietatis illis debent.

a) *Amorem.* Peccant igitur, si filios odio habent aut si eos tam dure tractant, ut ii se parentibus vere odio esse putent, si eis serio maledicunt, si erga unum prae alio sine iusta ratione potiorem amorem ostendunt, si eorum delicta occulta manifestant (possunt tamen parentes ea sibi manifestare invicem ad filiorum educationem).

b) *Educationem corporalem.* Cavere ergo debent imprimis ea, quae foetui nocere possent; eius curam debent postea suscipere nec possunt sine gravi peccato infantem exponere orphanotrophio, nisi ob periculum v. gr. gravis infamiae (modo bonae educationi prolis, etiam spirituali, provideatur), aut ob impotentiam alendi filium. Debent quoque filio, donec ipse sibi subvenire valeat, victum et vestitum procurare, iuxta condicionem familiae itemque statum congruum, in quo honeste aliquando vivere possit. Filiae debent dotem legitimam dare, qua possit convenienter nubere aut statum religiosum amplecti.

---

1 Paternam domum deserere ad amplectendum statum religiosum, quando parentes pertinaciter Dei vocationi obsistunt, licitum est, et leges id prohibentes, v. gr. C. C. *arg.* a. 309, vim in conscientia non habent; his tamen deferendum erit, quoniam illis auxilium praebent ad revocandum filium. Nec filio discedendi facultas in conscientia deneganda est, si rationabiliter velit professionem aliquam addiscere, quam parentes praebere non possunt aut nolunt.

Mater tenetur infantem ipsa lactare[1]. Si tamen morbo laboret, quo lactatio posset ipsi vel infanti nocere (v. gr. epilepsia, affectione cordis vel nervorum etc., de quo consulendus erit medicus), procurare debet nutricem. At sub gravi recurrendum erit ad lactantiam artificialem, si mater infecta est syphilide, ne vel ipsa infantem vel infans, qui forte iam infectus est, nutricem inficiat; consulatur tamen medicus. Matres lactantes vehementes animi affectiones evitent; hae enim lac vitiant et gravissime infanti nocere possunt; abstineant quoque a liquoribus stimulantibus[2].

c) *Educationem spiritualem.* Debent igitur vel per se vel per aptos institutores erudire filios in bonis moribus et vita christiana, praecipua catechismi capita docere, a mundi illecebris avertere; eos praeterea a spectaculis periculosis aliisque peccandi occasionibus arcere, seduloque ipsis invigilare quoad socios, colloquia et lectiones pravas; debita severitate, non tamen immoderate corripere; eisdem bonum exemplum praebere. Hinc dupliciter peccant, qui coram filiis turpia vel impia proferunt. Graviter etiam peccant, si eos committunt famulis, de quorum moribus nihil compertum habent. Graviter quoque, si filios a vocatione religiosa vel sacerdotali conantur avertere; sed de his in n. 396, 425. Denique pessime parentes agunt, qui pueris, ut ab hoc vel illo peccato veniali avertant, falsam conscientiam ingerunt peccati gravis.

Graviter suae obligationi desunt, qui filios mittunt ad scholas (sive elementares sive superiores sive academicas) religioni adversas, vel in quibus ab omni religione praescinditur (scholae laicae vel neutrae), vel quae discipulos cuiuslibet sectae permixtim admittunt (scholae mixtae). Nam cum adeo valeat auctoritas magistri apud adolescentes, eius indifferentia aut errores luctuosam in illorum animis stragem faciunt. Huiusmodi igitur scholae iuvenibus sunt occasio perversionis, quae si attentis circumstantiis proxima est, nulla ratione adiri potest. Igitur tunc solum ad huiusmodi scholas possunt filii mitti, quando 1° adsit causa gravis, v. gr. si adigunt leges sub gravi poena, vel impossibile est aliter procurare filio instructionem suae condicioni convenientem; et 2° periculum

---

1 Haec quidem obligatio communiter sub levi urgere dicitur. Si tamen perpendis ea, quae scite tractat Ferr., n. 467 seqq., tam notabile esse videbis periculum, cui infans exponitur in contraria praxi, ut aegre excusare possis a gravi matrem, quae filium valde adhuc tenerum sine iusta causa extra domum lactandum tradit, vel eum ope artificialis apparatus alit. Omnino nitendum, ut primis saltem duobus tribusve mensibus filiolum ipsa lactet; quod si nutrici tradere debet, eam bene seligat et domi servet.

2 Cf. Ferr., n. 467 seqq.

possit fieri remotum (raro fieri poterit, si scholae sint religioni positive infensae) mediis congruis, haecque reapse adhibeantur, v. gr. inculcatio pietatis, instructio christiana, invigilatio circa consodalium consortium, recognitio librorum scholarium per idoneas personas, interrogatio de auditis in schola, administratio antidoti per bonos libros etc. [1].

---

1 « § 1. Fideles omnes ita sunt a pueritia instituendi ut non solum nihil eis tradatur quod catholicae religioni morumque honestati adversetur, sed praecipuum institutio religiosa ac moralis locum obtineat. — § 2. Non modo parentibus, sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, ius et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem » (can. 1372).

« § 1. In qualibet elementaria schola, pueris pro eorum aetate tradenda est institutio religiosa. — § 2. Iuventus, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes » (can. 1373).

« Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur » (can. 1374).

« § 1. Si scholae catholicae, ad norman can. 1373 sive elementariae sive mediae desint, curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur. — § 2. Itemque si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur. — § 3. Fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas » (can. 1379).

« Igitur omnino parentes bonos curare oportet, ut sui cuiusque liberi, cum primum sapere didicerunt, praecepta religionis percipiant, et ne quid occurrat in scholis quod fidei morumve integritatem offendat. Ut haec in instituenda sobole diligentia adhibeatur, divina est naturalique lege constitutum; neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt. Ecclesia vero,... semper scholas, quas appellant « mixtas » vel « neutras » aperte damnavit. Quapropter in locis, in quibus per machinationes et fallacias acatholicorum aliorumque Ecclesiae adversariorum, adamantur atque expetuntur passim scholae, quas appellant « neutras, mixtas, laicales », eo consilio, ut alumni in summa sanctissimarum rerum ignoratione nullaque religionis cura adolescant, omni ope curandum est, ut omnibus patribusfamilias persuadeatur, se nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam si natos suos in extremam hanc aleam immittant. Damnamus igitur ac reiicimus educationem, quam mere civicam vocant, a massonica secta in perniciem animarum propagatam... Haec autem sollicita (parentum) cura non solum primarias scholas respicere debet, sed et medias ac superiores. Etenim adolescentes grandiores natu periculum adeunt etiam maius, scilicet a vitio doctrinae;... corrupto opinionibus animo simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum ». *Conc. Pl. Amer. Lat.*, n. 135-139.

NB. — 1° *Coniuges* debent sibi amorem, cohabitationem **168**
etc.; de his fusius in tract. De Matrim. Vir curare debet, ut uxor munia christiana impleat, eamque delinquentem debet cum caritate et circumspectione corrigere, graviterque peccare potest, si eam verbis contumeliosis prosequatur, quibus graviter offendatur. Uxor debet maritum revereri eique obedire.

2° *Consanguinei alimenta mutuo sibi debent*[1] in casu necessitatis, non tantum extremae, sed etiam gravis (n. 93), id est subministrare sibi debent, quae necessaria sunt ad vitam, habitationem, minorum educationem etc. iuxta familiae statum. Haec obligatio urget in conscientia coniuges, ascendentes et descendentes legitimos, fratres, etsi tantum uterinos (fratres tamen tenentur tantum ad alimenta naturalia, id est ad necessaria vitae et instructionem in aliquo officio); de his fusius Iura civilia[2].

3° *Qui parentibus quodammodo sufficiuntur*, tutores, magistri etc. parentum obligationes, etsi non tam stricte, assumunt, eisque pueri pari proportione amorem, reverentiam et obedientiam debent.

Alumni collegiorum, seminaristae etc. excusari solent a mortali, etsi ex contemptu quodam non obediant suis auxiliaribus praefectis; nam cum hi non possint vere praecipere, eos non ut Superiores, sed ob hominis imperfectionem comtemnunt. Superior collegii certe ius habet vere praecipiendi convictoribus: parentes enim tradunt ei filios non solum instruendos, sed etiam e d u c a n d o s ; omnesque etiam externi saltem tenentur obedire, quatenus id bonum regimen collegii requirat. Statuta tamen collegii obligare solent solum ut lex poenalis.

4° *Domini* debent subditos decenter tractare, humane alloqui, nimiis operibus non gravare, infirmos curare, in necessitatibus iuvare, iustas eorum querelas excipere, eis opportunitatem concedere, ut christiani obligationes adimpleant, eosdem monere et corrigere (ad monitionem, utpote superiores, specialiter tenentur) et, si ceteris scandalo futuri sint, dimittere[3].

---

1 S. Alph., n. 340.

2 C. C. *arg.* a. 401-410, *br.* a. 396-405, *chil.* a. 321-337, *col.* a. 411-427, *gall.* a. 203-211, *hisp.* a. 142-153, *lus.* a. 171-184, 35-36, *mex.* a. 51-74 Legis de relationibus fam., *ur.* a. 118-128.

3 « Non solum parentes aliique qui parentum locum tenent, sed heri quoque ac patrini obligatione adstringuntur curandi ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur » (can. 1335). — Omnes ...in operum locatione debent assignare operariis honestam iustamque mercedem; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat » (can. 1524).

— Subditi debent praestare dominis reverentiam et obedientiam, ideoque peccant eis irridendo vel insolenter respondendo vel de eisdem detrahendo. — Hae relationes strictius urgent inter dominum et famulos, remissius inter herum et operarios; cum illis enim, quoniam in domum et quasi in familiam admittuntur, maior est coniunctio, ideoque strictius obligat caritas [1].

5° *Cives* debent suis superioribus civilibus amorem, reverentiam et obedientiam praestare; societati per suum suffragium idoneos candidatos procurare (cf. dicta n. 114, 115).

Gravissime peccant, qui societates efformant illicitas. Sub poena denegandae absolutionis exigendum est, ut ab iis societatibus recedant. Si quando tamen ob rationes vere urgentes tolerandum erit, ut qui iam nomen dedit, illud retineat et taxam consuetam societati solvat, saltem a quavis sectae communione et interventu interim abstineat. His casibus applicetur doctrina de cooperatione, scandalo et occasione proxima.

Patriae plura et pretiosa accepta quisque referre debet, educationem, characterem, vitae experientiam; illius praeterea progressibus, institutionibus, artibus, legibus in sui commodum et profectum longo tempore usus est. Huic ergo quasi alteri parenti amorem et gratitudinem exhibere debet, eius bonum procurando eique praesertim in gravioribus adiunctis praebendo auxilium; quae tamen, nisi legi parendum sit [2], sub gravi obligare non solent [3].

---

1 Dominorum et famulorum operariorumque officia ad id reduci hodie, ut id de quo convenerunt ambae partes religiose adimpleant, sustineri nequit. Nam etsi illis, ut hodie res positae sunt, nequeant omnia applicari, quae olim de iisdem auctores sentiebant; attamen praeter obligationes iustitiae aliae quoque necessario exsurgunt relationes superioritatis et subiectionis, quae inter eosdem simul cum contractu etiam hodie intelligitur oriri. Minor tamen est operariorum dependentia quam famulorum, prout id hodierni mores ferunt. Immo minor plerumque in famulis urbanis quam in ruricolis, siquidem maiorem independentiam saepe exposcunt famuli in civitatibus, voluntque v. gr. in religionis praxibus suae libertati penitus relinqui.

2 De obligatione petendi militiam commodius agetur alibi. Vide n. 287, 2°.

3 Curam promovendi temporalis boni patriae abiicere debet religiosus, tamquam impeditivam maioris boni, iugis scilicet cum Deo coniunctionis, quam professus est, saepe etiam tamquam impeditivam debitae caritatis et coniunctionis cum fratribus; sicut ob similem rationem plenius et liberius vacandi divinis rebus a curis et sollicitudine temporalis boni parentum abstinet.

Caput 5. DE V° PRAECEPTO

Art. 1. De suicidio.

Suicidium intendere *directe* numquam licet, ne ad vitan- 169
dam quidem mortem atrociorem aut incolumem servandam castitatem; homo enim suae vitae dominus non est. Iuxta principium tamen n. 8 licet cum proportionata causa ponere actionem, unde mors praeter intentionem sequatur, v. gr. ex alto se proripere ad fugiendum corruptorem, qui aliter evadi nequit, vel navim submergere, etiam praevisa propria morte, ne ipsa in hostium manus incidat.

Mutilatio, v. gr. abscisio digiti ad evadendam militiam, pari ratione ac suicidium est illicita; homini enim suarum facultatum ac membrorum administratio tantum et cura concredita est, non dominium; quare tunc solum mutilatio licita est, quando eam totius corporis bonum exigit[1]. Admitti tamen potest levitas materiae, v. gr. inferiorem auris lobulum sibi auferre.

Nisi ergo ex causa conservationis totius corporis, graviter illicita est *castratio*, etsi salus animae intendatur; haec enim spiritualibus mediis iugi oratione a Deo impetrandis procurari potest et debet[2]. Nec benignius de feminea quam de masculina castratione[3] loquendum est, nempe de ovariorum excisione ad vitandum mortis periculum ex partu futuro; nondum enim exsistente causa periculi seu praegnantia, nondum dici potest exsistere periculum, quod corpori iam graviter immineat et generatricis facultatis, quae tam praecipua est in physica ho-

---

1 Attamen minor causa quam totius corporis conservatio sufficere potest, quando agitur de mutilatione minus praecipua, v. gr. de abscisione femineae clitoridis, cuius ablatio facultatem generandi relinquit incolumem. — Ad conservandam excellentiam vocis licere castrationem puerorum, antiquata paucorum sententia fuit, quam theologi iam unanimiter et merito deseruerunt.

2 Praeterea sexualis instinctus per castrationem in adultis non exstinguitur, sed perseverare solet tam in viris quam in feminis (FÉRÉ, *L' instinct sex.*, p. 10; VERM., *De cast.*, p. 44; FERR., *De vas. dupl.*, p. 75); quare inaniter quaereretur hoc modo mitigatio tentationum. Medicis notum est, quod iam animadverterant quidam SS. Patres, eos, qui in adulta aetate castrationem subiere, effrenatius quam ceteros sexuali instinctui indulgere.

3 Vox tamen « castratio » communius de virili intelligitur, seu de testiculorum ablatione.

minis natura, suppressionem necessario exigat[1]. Abscisioni ovariorum aequivalet eorumdem inter se confricatio, ut destruantur, vel oviducti colligatio, ut communicatio cum utero intercipiatur.

170 Castrationi aequivalet *vasectomia* duplex seu sectio utriusque canalis deferentis[2]. Hanc hisce temporibus Gubernium alicubi sceleratis quibusdam imponit vel in poenam criminis vel ad vitandam procreationem sceleratae prolis. Omnino tamen illicite; nam potest quidem Status iure quasi defensionis propriae mortem vel mutilationem in poenam imponere, at minime mutilationem huiusmodi, quae et ad sui defensionem non conducit, siquidem homines sceleratiores facit[3], et praeterea eos gravissimis tentationibus exponit; praeterea nequit Status hominem spoliare iure naturali ad matrimonium. Nec potest huiusmodi praxis cohonestari intuitu vitandae propagationis sceleratorum; quoniam nec poena mulctari possunt, qui nondum quid mali egerunt, nec media Statui desunt vitandae sceleratae prolis per idoneam educationem.

171 *Valetudini nocumentum inferre* pariter non licet. Atque hic quidem commemorandus est nonnullorum, aliunde valde utilium, medicaminum abusus, nominatim «morphinae», cuius iniectio subcutanea ad leniendos magnos dolores hodie usitatissima est. Quoniam vero medicamen istud dolores quidem perfecte sopit, causam vero non tollit, immo systema nerveum debilius ad resistendum reddit, ideo eius applicatio valde moderata esse debet[4], praesertim in morbis diuturnis. In his enim, nisi cautissime agas et infirmo invigiles (numquam huius arbitrio relinquendus est usus syphunculi), passim transacto medicaminis effectu et recurrente causa doloris iniectio expostulatur, maiore in dies quantitate ob progressivam nervorum debilitationem; iamque eo habitudinis necessitas devenit, ut nisi ei satisfacias, vehementes anxietates, insomnia, furores, mentis hallucinationes aut alienatio, delirium tremens superveniant; si satisfacias, cito hominem in mortem praecipites. Cocainae abusus magis adhuc, ait Capellmann, formidandus est quam morphinae.

---

1 Nec post praegnantiam id licebit ad vitandum futurum periculum, ut patebit ex dicendis de abortu.

2 Secto canali, quo semen e testiculis defertur ad virgam virilem, semen foras iam proripi non potest.

3 Crudelius enim isti libidine vexantur quam castrati vulgares, quoniam testiculos retinent sanos, saltem diu, ideoque semen elaborare non desinunt.

4 Iuxta Capellmann, *Med. past.* edit. 13, pag. 38 pharmacopaea germanica plus in die non permittit quam 0.12 gr.

Tenemur conservare vitam mediis ordinariis et statui congruentibus; quia qui obligationem habet rem aliquam curandi eiusque curam negligit non adhibendo media ordinaria, de quibus disponere possit, merito censetur rem curare nolle, et si res perit, id ipsi imputatur. Levem tamen aegrotationem non curare peccato vacare potest ex rationabili causa. 172

Praedictae obligationi desunt, qui vitam gravi periculo sine proportionato motivo[1] exponunt, non autem qui amore virtutis moderatas exercet poenitentias, etsi vitam praevideat breviandam; nec qui concedit ad clima insalubre, nec qui officium assumit satis periculosum, quod a communi utilitate postulatur, uti sunt quaedam officia industrialia.

Non tenemur conservare vitam mediis extraordinariis, qualia sunt, quae sumptus exigunt status condicionem excedentes vel quae admodum dolorosa sunt, vel aliam satis magnam difficultatem afferunt, v. gr. si quis operationem vehementer horret[2], vel quae videntur nimis conquisita, v. gr. petere balenea longinqua.

Obligationi conservandae vitae coniuncta est obligatio incumbendi labori honesto, quin tamen ei, qui aliunde habeat unde sustentetur, liceat plane esse otioso, cum aliae causae sint, e quibus occupationis obligatio oriri possit. Nam

Obligatio laborandi oritur: *a*) ex obligatione conservandi vitam mediis honestis, neque enim licet homini laboris capaci ex eleemosynarum quaestu victitare[3]. — *b*) ex obligatione vitandi pericula innumera ex otiositate manantia; ex hoc capite satisfaceret, qui labori quamtumvis inutili vacaret. — *c*) ex obligatione caritatis, cum tot sint qui auxilio spirituali et corporali valde indigeant. Quare si quis duabus prioribus obligationibus non teneretur, v. gr. quia amplos haberet reditus, et (quod valde mirum esset) e vita in iugi recreatione et ludo transigenda periculum ei spirituale non immineret, adhuc vehementer vituperari deberet, quod in tanta proximorum spirituali necessitate vires in eorum bonum, qua voce, qua scriptis, qua per varia misericordiae christianae opera non impenderet. 173

---

1 Motivum proportionatum non est solum lucrum, etsi magnum; potest tamen grave peccatum abesse, quando ob peculiarem dexteritatem periculum satis remotum redditur.

2 Si difficultas tanta est, ut a naturali obligatione eximat, sine dubio ideo eximit, quia vel absolute vel relative considerata censetur communes hominum vires excedere, tuncque operatio subdito religioso imponi non potest. Immo etiam ubi haec iure naturae urget, adhuc nequit imponi vi voti obedientiae, cum materia voti non sit; urgeri tamen tunc potest a Superiore vi contractus bilateralis, quo se religiosus in utilitatem Religionis tradidit.

3 S. Alph., l. 3, n. 622.

Art. 2. De homicidio.

174 **Homicidium** adnexam habere potest aliam speciem peccati, v. gr. si patratur in persona aut loco sacro, aut si in persona ascendentium, fratris, sororis, coniugis (circa alios propinquos non liquet esse speciale peccatum).

Non licet mortem alicui accelerare, etsi ad acerbissimos moribundi dolores breviandos; ideoque homicidae reapse sunt aut suicidii cooperatores ii, qui ob mendacem speciem pietatis venenis anaesthesicis aut aliter aegro vitam breviant ut « euthanasiam » procurent, ut aiunt, seu mortem suavem [1].

Non licet alium non subditum verberare, nisi accedente consensu saltem tacito habentis potestatem; hanc non habet filius natu maior in fratres, nisi domum regat in defectu parentum.

Licet cuique defendere suam vel alterius vitam, membra aut alia bona magni momenti, etiam si casus exigat, cum occisione iniusti aggressoris (scilicet actualis, non vero si solum aggredi minitatur) [2]. Ordinarie, si per fugam vitari potest aggressio, non licet vim opponere. — Post aggressionem non licet aggressorem vi impetere, id enim non esset defensio, sed vindicta. Licet tamen quandoque moderata verberatio, ne scilicet aggressor iterum idem audeat. — Iuri defensionis non obstat, quod quis culpabiliter occasionem dederit, dummodo aggressio iniusta sit, v. gr. licet adultero se defendere, si maritus eum occidere intentat. — Nemo tenetur passive se habere, cum alter in contemptum conetur v. gr. vellicare barbam aut vestes conspurcare, sed licet conari iniuriam propulsare; quod si pervicax aggressor ad eam inferendam vim adhibeat et repulsus arma arripiat, fas erit arma opponere.

---

1 Recte etiam advertit Ferr., II, n. 47 non licere medico, etsi defunctus id mandaverit aut defuncti familia id petat, punctionem in corde peragere aut arteriam aperire cum intentione « ut, si forte homo sit solum apparenter mortuus, non reviviscat », est enim haec intentio intrinsece mala. Sed si medicus prorsus certus est mortem vere esse secutam familiaeque exigentias declinare non potest, licebit illiusmodi operationem peragere, praemissa tamen protestatione, prouti in materia cooperationis diximus, se id non ex illa intentione facturum, cum de morte plane certus sit, sed ad tollendum inanem timorem; ne scilicet suo modo agendi pravae propinquorum intentionis videatur exsecutor.

2 Quod quidem de eo tantum, qui physice invadit, intelligendum est, non vero de invasore solius famae vel honoris; non licet ergo occidere falsos testes aut calumniatores, etsi aliter ignominia vitari nequeat (cf. prop. 18 damn. ab Alex. VII et 30 damn. ab Innoc. XI), nequit enim natura ius dare, quod societati foret perniciosissimum; maximum enim hallucinationis periculum inde oriretur, quo caedes ob futilia vel etiam tantum putata motiva innumerae patrarentur.

Duellum stricto sensu, prout defensioni et rixae opponitur et poenis Ecclesiae subest, definitur: periculosa pugna duorum vel singulorum in singulos, ex condicto de loco, tempore et armis. Periculosa nimirum, quia facta non pugno aut virga, sed armis ad occidendum, mutilandum aut graviter vulnerandum aptis. Ad veri nominis duellum non est necesse, ut fiat designatis patrinis aut praetextu lavandi honoris. **175**

De poenis duello adnexis ab Ecclesia, dicemus ubi de censuris.

Bellum ut sit licitum, debet esse iustum; sed iudicium de iustitia pertinet ad auctoritatem publicam.

Milites, qui ad bellum coguntur sive ex conscriptione, sive ex praecedenti conductione, parere possunt, quamdiu non constat de iniustitia belli. Quod si de hac vehementer suspicentur, inquirant quantum commode possint; sed nisi comperiant manifeste illud esse iniustum, parere poterunt. Qui vero libere velint se conscribere, non poterunt id temere facere, sed videre debent bellum esse iustum.

Maledictio vetatur quoque a IV Decal. praecepto. Qui proximo mala specie diversa imprecatur, v. gr. mortem, infamiam, paupertatem, peccata specie diversa committit. Saepe tamen mala non optantur distincte, sed tantum sub generica ratione tamquam media ad ruinam inimici. Immo imprecationes, quae diriguntur non in inimicos aut extraneos, sed in filios, coniugem etc., quando non intercessit causa gravis irae, non solent proferri cum vero animo, ut mala eis eveniant, ideoque excusantur a peccato gravi.

Art. 3. De occisione foetus.

Longiorem considerationem postulat hoc homicidium, ad cuius intelligentiam iuvabit quaedam consulere ex iis, quae sub initium 6[1] praecepti dabimus. **176**

Praenotanda. *Abortus* est eiectio foetus non viabilis, id est qui nondum vivere potest extra uterum; regulariter ante septimum mensem seu 30 hebdomadas viabilis non est (etsi forte pro punitione criminum lex civilis minus spatium assignet). *Partus acceleratus* est eiectio foetus iam viabilis, sed nondum plene maturi, regulariter inter septimum et nonum mensem; inter sextum autem et septimum generatim non est viabilis, nisi forte opere subsidiorum valde specialium.

Abortus saepe accidit naturaliter, praesertim tribus primis praegnationis mensibus, ex causa sive habituali (v. gr. mater est nimis sanguinea, hysterica, syphilitica, misere alitur etc.), sive fortuita (v. gr. nisu ad attollendum pondus,

longo itinere, vehementi commotione animi, febri typhoidea, vitiosa insertione ovuli in placenta etc.). Saepe tamen abortus voluntarie provocatur sive ad vitandam infamiam, sive (quod aliqui medici facere non dubitant) ad salvandam vitam matris. Potiones aliave media medicalia dubiae sunt efficacitatis et saepe non sine magna perturbatione valetudinis solent applicari; propterea recurritur saepe ad punctionem membranarum foetalium, instrumento immisso per os uteri, vel ad alia media chirurgica.

Quando in partu mater prae arctitudine viarum naturalium aut propter malam positionem, qua infans egressum tentat, aliave de causa foetum edere non potest, recurrunt chirurgi ad operationes quasdam, quarum aliae in foetus occisione consistunt, ut eius volumen minuatur, vocanturque nomine generico *embryotomiae*, aliae in eius extractione per incisionem matris, quarum notissima est *operatio caesarea*.

Patet conceptus ectopicos seu *extra-uterinos* in lucem edi non posse, nisi artificialiter aperiatur mater.

De his ergo operationibus, quibus in adiunctis licitae illicitaeve sint, paucis nunc dicendum.

177 *a*) **Abortus** est evidens occisio foetus[1], ideoque numquam directe intendi potest, ne ad vitandam quidem infamiam aut ad servandam vitam matris[2]. — Graviter igitur peccant mulieres, quae se gravidas existimantes variis mediis tentant provocare abortum, item medici aliive, qui eis media consulunt. De poenis ecclesiasticis abortus cf. ubi de censuris et irregularitatibus.

---

[1] Etiamsi id fiat uno tantum die post conceptionem; prorsus enim antiquata est sententia, quae olim putabat foetum masculinum nonnisi 40 diebus post conceptionem donari rationali anima, femineum nonnisi post dies 80. Solidis enim rationibus (cf. Urráburu, *Instit. phil.*, v. 6, p. 735; Vaissière, *Phil. nat.*, n. 268; Antonelli, *Med. past.*, I, 258), etsi absolute non demonstrativis, censetur hodie ovulum in primo suae fecundationis instanti anima humana informari; quare, deficiente quolibet serio argumento in contrarium, iure id omnes iam ut certum habent. Si quis nihilominus (cf. Verm. Creus., II, n. 31) dubitare vellet, num forte ovulum per aliquot dies (incertos prorsus) vita tantum cellulari viveret, qua se ad recipiendam animam humanam debite disponeret et cuius principium vitale ab hac deinde expellendum vel ei subordinandum esset (si tamen vera probabilitate gaudere dicenda est, relate ad hominem, opinio de subordinatione formarum; cf. Losada, *Curs. phil.*, t. 5, p. 1-44; Pesch, *Inst. psych.*, n. 237 seqq., 298 seqq.; Ephem. *Estudios*, t. 16, p. 105, t. 17, p. 161, 289, 390, 406, t. 18, p. 88), is efficaciter revinci non posset. At quamvis foetus animari non inciperet nisi pluribus diebus post conceptionem, non ideo liceret abortus foetus inanimati. Cf. Gén. S., n. 375; Lessius, *De Iust. et Iure*, l. 2, c, 9, n. 61, et praessertim Lugo, *De Iust. et Iure*, d. 10, s. 5, n. 131.

[2] Cf. prop. 34 damn. ab Inn. XI et resp. S. Off. 24 iul. 1895.

Iuxta principium tamen n. 8, licebit matri graviter aegrotanti praescribere remedium, quod de se tendit ad sanandum morbum, etsi forsan sequi possit abortus et is aliter vitari non possit. Qua in re ut cum debita cautela procedatur, animadvertendum est mulierem, quae signa probabilia praegnationis manifestet (cessationem fluxus menstrui, ventris et mammillarum tumefactionem etc.), tractari debere ut praegnantem; hac enim signa, saltem si omnia concurrunt, moralem certitudinem pariunt, quoniam alia clariora a natura non dantur.

NB. — Non licet virile *semen expellere* statim post copu- **178**
lam vel idem aliqua ratione infecundum reddere, si copula fuit legitima vel voluntarie admissa: aequivaleret enim gravissimo peccato onanismi. Aliter dicendum de puella, quae vi aut dolo oppressa est; tunc enim semen probabiliter censeri potest veluti aggressor adhuc vim exercens, ideoque licebit illud expellere, dummodo vitetur abortus. Licebit ei ergo in casu vaginam lavare ad expellendum semen sive brevi sive diu post copulam, si quid proficere possit: nullus enim timor abortus, siquidem ibi non reperitur ovum; uterum vero lavare non licebit, nisi immediate post copulam propter abortus periculum; facile enim aqua ovulum iam fecundatum posset secum trahere.

b) **Acceleratio partus,** urgente periculo sive ex parte in- **179**
fantis sive ex parte matris, licite provocatur, dummodo cum solida probabilitate iudicetur infantem posse iam vivere extra uterum. Licitum esse in primo casu patet; in altero, quia ad servandam vitam matris potest infans ex caritate alicui periculo exponi. — Causa autem eo minor requiritur, quo magis probabile sit infans fore salvum.

c) **Embryotomiam** (sive *craniotomia* fiat ad extrahendum **180**
foetus cerebrum, sive *cephalotripsia* seu capitis disruptio per compressionem, sive *sphenotripsia*, qua perforatur basis capitis, sive *embryulcia* seu foetus dissectio in partes etc.), utpote actionem directe occisivam infantis, numquam peragi licebit in foetu vivente[1]. Et quamvis mater a morte aliter eripi non possit (quod raro accidet), foetusque secus etiam periturus sit, huius tamen occisio non licet, quidquid aliqui medici in tali casu forte bona fide putent.

d) **Operatio caesarea** (*hysterotomia*, quae uteri incisio- **181**
nem sonat[2], *gastrohysterotomia*, quae incisionem ventris et

1 Cf. resp. S. Off. 19 aug. 1889 et 24 iul. 1895.

2 Quandoque tamen non inciditur uterus, sed secatur tantum unio ossium pubis, ut dilatetur pelvis et sic sufficiens aperiatur via: dicitur haec operatio *symphyseotomia* seu sectio symphyseos pubianae.

uteri) nunc fit vivente matre ad eam salvandam, nunc ea mortua ad salvandum infantem [1]. Haec operatio hodie, adhibitis cautionibus asepticis et perito medico, non admodum periculosa est, quoniam in ea matres pereunt paucae [2].

Vivente matre fieri non potest operatio, nisi probabile sit operationem nec matri nec infanti mortem allaturam fore, secus enim aequivaleret utriuslibet occisioni, quae numquam licere potest, etsi secus uterque certo periturus sit. — Eo autem minor probabilitas requiritur felicis exitus, quo maius sit periculum, quod matri vel infanti immineat; immo potest periculum adeo esse urgens pro matre simul et prole, ut sufficiat probabilitas exitus tenuis; sic enim utrique consuletur meliori modo, quo potest.

Mater rarissime obligationem habebit acceptandi operationem, ut colligitur ex dictis nn. 169 et 86; nam ex una parte saepe non constabit, quod operatione adhibita infans extrahetur vivus; ex alia saepe proles poterit etiam baptizari mox post mortem matris. Si quando tamen adsit stricta obligatio et mater operationem vehementer horret nec ullo modo induci potest, caveat sacerdos, ne eius bonam fidem inutiliter perturbet et sine fructu eam reddat incapacem ultimae absolutionis.

Occasione operationis caesareae faciunt nonnumquam chirurgi operationem dictam a Porro, nimirum auferunt uterum adhuc sanum, vel uterum simul et ovaria, ut scilicet impediatur praegnatio, quae matrem in simile periculum iterum coniiciat. At huiusmodi opratio in tali casu illicita est ex dictis supra n. 169.

Mortua matre operatio sub gravi facienda est ob necessitatem saltem baptizandi foetum, et quidem quantocius, ne is brevi post matrem moriatur [3]. Nec obstat, quod foetus non sit viabilis; non enim constituetur in peiore condicione, quam relictus in utero matris mortuae, ubi certo periturus est. — Operatio, quantum fieri possit, fiat iis cautionibus, quibus fieret in matre viva: haec enim forsan adhuc latenter vivit, ut alibi dicetur de recens mortuis.

---

[1] Mortua matre foetum etsi a paucis mensibus conceptum vitam producere adhuc per quadrans, per horae dimidium etc. frequenter accidit, etsi mater non accidenti correpta, sed paulatim e morbo mortua sit. Cf. ANTONELLI, *Med. past.*, I, n. 426.

[2] 5 vel 6 tantum pro 100, iuxta ESCHBACH, *Disp. phys. theol.*, d. 3, c. 4, de progressibus loquentem artis chirurgicae usque ad annum 1900 et de chirurgis sat peritis. In singulis tamen particularibus casibus periculum valde diversum est; pendet enim praesertim a viribus matris aliisque peculiaribus circumstantiis.

[3] Eadem inculcat *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 492.

Attamen sex primis hebdomadis praegnationis et iuxta aliquos per aliquod maius tempus vix habetur spes successus[1]. — Sacerdos operationem facere non debet, ni velit statum sacerdotalem publicis dicteriis exponere.

e) **Foetus extra-uterinos** seu ectopicos extrahere e sinu matris patet non licere, dum ii immaturi sunt, ut respondit S. Off. 4 maii 1898, sed exspectandum esse, quantum fieri possit, donec sint viabiles. Quod si ex hoc tumore extrauterino magnum vitae periculum matri iam nunc immineat nec aliter provideri possit, probabile putant Lehmk. et Gén. S.[2], licere matrem aperire et saccum foetalem exscindere (*laparotomia*); putant enim foetum eo modo et in his adiunctis occidi tantum indirecte; ille ob paritatem cum excisione uteri morbidi in praegnatione normali, hic quia cum foetali sacco censet tunc agi posse sicut cum tumore abnormali et letali; quod autem id ob infra citatam resp. S. Off. sit vetitum, merito putant non liquere[3]. **182**

Art. 4. De medici officiis.

Medici officia directe quidem vitam et valetudinem hominis, quam medicus curandam suscepit, respiciunt, ideoque facile ex huius officii negligentia vel abusu laesiones oriuntur contra quintum Decalogi praeceptum, del quo agimus. Propterea opportune hoc loco post ea, quae modo dicta sunt, quaedam subiungentur, quibus materia de medici obligationibus compleatur, quamquam obligationes, quae aegroti spiritualem curam respiciunt, non directe ex hoc praecepto, sed ex caritate et ex lege divina positiva circa sacramenta deriventur. **183**

Medicus tenetur remedia tutiora praebere et, his deficientibus, probabiliora; nam ex quasi-contractu se obligavit ad providendum aegroto meliore modo, quo posset. Remedia vel operationes chirurgicae positive dubia, seu de quibus rationes utrimque habentur, quod nocere et quod prodesse possunt, adhiberi nequeunt nisi in casu desperato monitoque aegroto, praesertim si is spiritualia necessaria vel temporalia nondum disposuerit; negative dubia, seu de quorum efficacia prorsus nihil compertum est, adhiberi ad experimentum non possunt, ne in casu quidem desperato et ne praetextu quidem scientiae promovendae: non enim scientiam cum gravi occisionis periculo promovere licet.

---

1 Ferr. II, 342.

2 Lehmk., n. 1011, et Gén. S., n. 377, III.

3 Cf. etiam Ferr., *De vas. dupl.* Append. n. 294 in casu aequiparabili.

De euthanasia, an sit licita, disputationes audiuntur hinc inde apud medicos, quae quidem in hominibus, qui sublimioribus commiserationis atque humanitatis sensibus ducuntur, sed circa scientiam moralem non admodum sunt versati, plane verisimiles sunt. Nempe dubitarunt quidam, num moribundo, de cuius vita prorsus desperatur, liceat, praesertim si vehementibus doloribus agitatur, « euthanasiam » seu « dulcem mortem » procurare, vitam eius breviando ope iniectionis narcoticae[1]. Nullum dubium, quin id sit prorsus illicitum, quidquid naturalia commiserationis sensa reclamare prima facie videantur, ut patet ex similibus casibus de vitanda infamia per abortum aut de occidendo foetu ad servandam vitam matris; patratur enim directa hominis occisio. Praeterea, si huiusmodi praxis propter commiserationem diceretur licita, licita esset non solis medicis, sed etiam (saltem in conscientia, seclusa lege, vel quamvis obstaret lex) omnibus, qui eodem commiserationis sensu ducerentur, et tunc manifestum est, quam lata via abusibus omnis generis, immo et criminibus, panderetur. Debuit ergo lex ipsa naturae tali praxi obsistere, quae inevitabiliter secum ferret consectaria societati adeo noxia.

Gravissime contra caritatem peccant medici, qui aegrotum non monent de gravi mortis periculo, nisi id sufficienter putent se obtenturos per familiam, per amicum aut parochum; monitionem tamen facere debet medicus ipse per se, si alii non sint qui possint et velint monere, aut si aliis infirmus non crederet. Excipe, si moraliter certus sit infirmum in statu gratiae versari et temporalia composuisse.

Similiter peccant, qui foetus abortivos absolute vel condicionate baptizari non curant.

Graviter etiam medicos peccare, si media docent ad procurandum abortum, aut remedia proponunt onanistica aut consilia contra castitatem, aut si genitalia feminae absque evidenti utilitate tangunt vel aspiciunt, non est cur hic memineremus, siquidem satis id colligitur ex aliis Decalogi praeceptis.

Quatenus peccare possint medici contra iustitiam in exigendis nimiis honorariis, dicetur commodius in Tractatu de Iustitia (vide n. 289).

---

1 Cf. dicta n. 69 et cf. Lehmk. I, n. 183.

Caput 6. DE VI° PRAECEPTO

I. **Notiones physiologico - morales.** Occasione materiae VI 184
praecepti tractandae operae pretium duximus breves notiones exponere physiologico - morales, confessario perutiles, quarum aliae ad maiorem materiae VI praecepti intelligentiam, aliae ad alias quaestiones Theol. moralis iuvabunt. Haec sacerdos non ex curiositate, sed ex necessitate discat, simul B. Virginis opem implorans, ne sibi spiritualem ruinam pariant.

Apparatus virilis sollertissime a Deo effectus est ad fecundationem obtinendam, qua humanum genus propagari statuit. Nam testiculi, quibus vir instruitur, humorem elaborant ad generationem destinatum, qui « semen » audit, cuius elementum longe praecipuum, immo ad generationem obtinendam essentiale, sunt spermatozoa [1], id est cellulae microscopio tantum observabiles, figuram sphaerulae cum filo vibratili praeseferentes, vivido motu praeditae. Semen a testiculis elaboratum in receptaculis quibusdam asservatur, in interiore ventre abditis, quae vesiculae seminales appellantur. Semen, prout a testiculis elaboratur, aliquantum viscosum est; sed quando emittitur, redditur aquosum ope humoris, quem nonnullae glandulae copiose segregant.

Aliquando hae glandulae suum humorem segregant extra actum seminationis; huius solius humoris emissio vocatur d i s t i l l a t i o .

Vir incipit secernere semen circiter anno 14 - 15 (aetas pubertatis) frequentius; nam ocius aut serius id non raro observatur evenire iuxta diversarum regionum condiciones. Attamen initio semen plene aptum non est; primis enim pubertatis temporibus proles aliquando nulla, saepe non satis robusta gigni solet.

Apparatus femineus fere totus intra ventrem abditus est, 185
nam e partibus recensendis solum os canalis vaginalis terminatur exterius. Constat autem partibus, aliis ad conceptionem, aliis ad evolutionem foetus inservientibus. Ad conceptionem necessarium est ovulum quod fecundandum sit, et vagina qua semen recipiatur; inter ovarium et vaginam medius est uterus, ubi processus fit evolutionis foetus. Semen igitur in vaginam immissum progreditur per uterum et tubas Fallopii ad ovaria [2],

---

1 Vocantur etiam spermatozoida, spermatozoides, zoospermata, nemaspermata.

2 Ovaria sunt corpuscula duo, in utroque latere uteri sita, in quibus efformantur vesiculae a Graaf dictae includentes ovulum. Ovaria immediate utero non adhaerent, sed oviductus interponuntur seu tubae a Fallopio nuncupatae, quae canales sunt, per quos ovulum ad uterinam cavitatem ducitur.

et ubi unum e spermatozoidis ovulum iam maturum attingit, penetrat in illud idemque fecundat; in eodem instanti, ut tenet hodie sententia communis (vide dicta in n. 177 nota), infunditur ovulo anima rationalis. Denique prope os vaginae solet esse in virginibus hymen seu tenuis membrana, canalem partim obturans, quae in primo coitu perrumpenda est.

De ovulatione et phaenomenis consequentibus. Intrante pubertate (citius eam adipiscitur femina quam vir) incipiunt in ovariis ovula evolvi et singulis 28 diebus plus minusve una e Graafianis vesiculis maturitatem assecuta, erumpunt. Ovum maturum in ea contentum recipitur ab una e Fallopianis tubis et per oviductum pervenit in uterum, e cuius parietibus incipit magna sanguinis copia diffluere, quae, si ovum fecundatum est, foetui evolvendo inserviat. Si vero ovulum non est fecundatum, reiicitur cum illo sanguine per vaginam, ac proinde singulis fere 28 diebus accidit in omnibus, etiam castissimis, feminis fluxus sanguinis, qui propterea vocatur menstruus; durat 2-8 dies nec cessat usque ad aetatem 44-50 annorum, iuxta regiones [1].

186 Quod si ovulum perveniens ad uterum fecundatum est, sedem ibi figit, evolvitur repletque paulatim totum uteri spatium. Durante praegnantia cessat fluxus menstruus, quoniam sanguis foetui alendo inservit. Post novem menses a conceptione foetus iam plene formatus foras truditur, communius cum capite ad os uteri, ita ut ultimi egrediantur pedes; quandoque tamen diversum servat situm, unde partus reddi potest dificillimus aut etiam impossibilis, quibus in casibus (et quando mater nimis arcta est) recurrit ars obstetricia ad extractionem foetus per incisionem ventris materni aut per illius sacrificium [2].

Denique ovum fecundatum aberrat aliquando (v. gr. cadit in interiora ventris), vel quacumque de causa ad uterum non migrat incipitque evolvi extra proprium locum; haec vocatur praegnantia ectopica. Aliquando placenta (seu pars, qua ovum inseritur parietibus uteri) excrescit nimis fitque ex ovo massa carnea informis, quam vocant molam, quaeque intra paucos menses expelli solet.

187 II. **Praenotanda.** *Luxuria* est appetitus inordinatus delectationis venereae. *Delectatio venerea* ea est, quae percipitur in organis genitalibus et proxime spectat ad generationem. Hanc delectationem completam sentiunt viri, dum effundunt semen;

---

[1] Si quando oportet medicaminibus provocare menstruationem, licet, quoniam iste fluxus non fit cum delectatione venerea.

[2] De moralitate harum operationum diximus in n. 180 seqq.

feminae possunt eam quoque sentire completam, et tunc eam comitatur ordinarie effusio humoris glandularum vulvo-vaginalium [1]. Delectatio incompleta sentitur in excitationibus delectationi completae praeviis.

Iuxta maiorem aut minorem aptitudinem, quam habent ad libidinem per visum, tactus etc. excitandam, vocantur a theologis partes inhonestae genitalia iisque proximae, minus honestae pectus, brachia, crura etc. Honestae habentur facies, manus, pedes.

Praenotetur porro de solutis fere unice intelligenda esse, quae in hoc VI Decalogi praecepto exponendo dicentur; nam de coniugatis seorsim dicetur alibi, in Tract. de Matrim.

III. **Principia.** Ex triplici causa oriri potest peccatum in specie luxuriae, vel quia delectatio venerea directe intenditur, vel quia sine sufficienti motivo in sua causa permittitur, vel quia adest periculum proximum consensus in eam. Hinc triplex principium nunc exponendum. **188**

1. *Delectatio venerea quaelibet, directe voluntaria, est peccatum grave.* **189**

Imprimis natura vetat *actum completum* quaerere extra legitimum congressum; hanc enim functionem physiologicam creavit, ut ea uteretur homo ad multiplicationem generis humani, id est ad prolis generationem et, donec sibi sufficienter providere possit, educationem non corporalem solum, sed etiam intellectualem et moralem, quae quidem, prouti declaratur in Tract. de Matrim., in specie humana contractum postulat cum comparte ex se stabilem, immo perpetuum. Qui ergo actum completum absque istius contractus onere sibi procurat, sive solitarie sive cum complice, agit contra finem illius actus essentialem [2], cumque is finis tanti momenti sit, peccat graviter.

Atque id quidem, ut clarius patefiat, aliter exponi potest, consectaria nempe proponendo, quae e contraria hypothesi essent oritura. Da enim voluptatem completam extra legitimum congressum licere; iam nullo incitamento homines ad ferendas

---

1 Haec effusio humoris feminei saepe fit introrsum, ideoque foris non proditur.

2 Cum ratio allata non praecise in prole de facto obtinenda fundetur, sed in natura ipsa actus consummati seu in fine, cui de se ordinatur, ideo valet etiam pro individuis sterilibus, quibus nulla spes est consequendae prolis; etiam hi nequeunt actus naturam demutare, ei finem suum naturalem extra matrimonium consulto denegando, etsi finis per accidens ab aliis causis impediendus sit. Valet quoque, etsi fornicator prolis educationi aliter providere vellet: nam quamvis ita malum effectum arceret, non tamen actum poneret de se ordinatum ad finem, ad quem ex naturae humanae institutione ordinatus esse debet.

ingentes matrimonii molestias allicerentur, quaesitaque voluptate solitarie vel fornicarie, connubiales contractus refugerent, quod in gravissimum malum vergeret generationis vel educationis prolis.

Quaeri potest, an pollutio vel fornicatio licita evadere possit ad gravissimum malum vitandum, puta in summo vitae periculo [1]. Sed manifestum est non licere in ullo unquam casu. Nam profecto aliae leges naturales sunt (v. gr. non auferendi aliena), quae aliquando cessant; at cessant quando legis prosecutio naturae humanae, id est communi hominum generi, peior esset quam cessatio. Lex vero, de qua agimus, ea est, ut eius cessatio communi hominum generi peior semper esset quam ipsius prosecutio, etsi forte huic vel illi individuo esset melior; ideoque haec lex numquam cessat. Profecto finge legem naturalem aliquando illum actum concedere, v. gr. in periculo vitae evidenti; iam evidentissimum esset periculum, ne homines, tam ad venerem proclivi, vehementia libidinis excaecati, passim sibi persuaderent se causam illam iustam habere effundendi semen, atque inde fornicationes aliaque mala innumera pullularent contra bonum speciei humanae [2].

Consentiunt unanimiter theologi [3]. Cf. etiam prop. 48 et 49 damn. ab Inn. XI.

---

1 Hic casus, bene ait Gén. *S.*, n. 398 nota, inter chimericos recensendus est, quem veteres tractarunt falsa hypothesi ducti seminis corrupti periculique ex ipsius asservatione orituri. Utilis tamen eius tractatio est; sic enim melius patet, quam stricte voluptas completa illegitima a natura vetetur.

2 Sanctae huiusmodi leges certe hodie contemnuntur, et homines semen passim illegitime profundunt. Et nonne maximum speciei humanae malum obtingit? Quot abortus! quot hominum generationes impediuntur, qui secus nati essent! quot homines illegitime generantur, quorum educatio physica vel moralis aut prorsus deseritur aut ex parentum culpa manca est! Suppone omnes suo munere sancte fungi, et ex iis, quae acciderent, si naturae leges observarentur, melius dignosces mala, quae accidunt, propterea quod non observantur.

3 Sola haec constans theologorum unanimitas ad rem evincendam sufficeret (id animadvertamus semel pro semper), quamvis ratio concludens nondum inventa esset. Etenim multa sunt, quorum veritatem intellectus in actu directo evidenter percipit, cum tamen difficillimum sit reflexe illam evidentiam considerare, ut ipsius analysis instituatur et fundamentum distincte assignetur. Sic v. gr. soli peritissimi, et laboriose quidem, distinctionem explicare norunt vitae et mortis, fundamentum obligationis moralis, malitiam suicidii, exsistentiam mundi exterioris etc., cum tamen vel rusticis notum sit non omnia vivere, bonum faciendum esse malumque vitandum, suicidium vetari, alia esse extra nos obiecta etc. Numquid vero vita aut mundus exterior negari potuit, quamvis omnes ea assererent, aut suicidium patrare licuit, quamvis id omnes malum dicerent, donec sapientes rationem harum assertionum aut rationem huius malitiae invenissent? Ergo quamvis ratio

Delectationem incompletam venereamquamlibet, etsi 190
parvam, directe volitam extra matrimonium, esse de se mortalem, dubitarunt olim quidam[1] quorum tamen opinio hodie iam communiter deseritur. Et merito. Nam esse illicitam inde patet, quod quaevis delectatio venerea natura sua ordinatur ad matrimonium, aliis verbis, natura hanc delectationem ideo posuit in homine, ut propter eam matrimonium assumeret, adeoque ut eam nonnisi in matrimonio quaereret[2]. Deinde esse gravem probatur, tum ex magno sui finis momento; tum ex periculo proximo, quod affert saepissime[3], labendi in voluptatem completam[4]; tum ex deordinatione plusquam levi, quae apparet in homine, qui exclusive ad suam individualem satisfactionem vertit opus, quod augendae debetur speciei; tum denique ex sensu iamdiu concordi moralistarum. Cf. etiam prop. 40 damn. ab Alex. VII[5].

Grave est igitur delectationem venereamm, etsi minimam, extra matrimonium intendere seu quidquam facere, ut aiunt, ex affectu venereo, v. gr. vesci laute ob finem habendi nocturnam pollutionem, osculari puerum ob finem sentiendi forsan commotionem.

2. *Delectatio venerea, indirecte voluntaria, peccatum gra-* 191
ve vel leve est, iuxta influxum causae, quae sine sufficienti

---

analytica in casu non certo assignaretur (assignatur profecto), sola tamen theologorum unanimitas rem conficeret; nisi enim per evidentiam rei directe perspectae haec tam multorum unanimitas sufficienter non explicaretur; saltem unanimitas praesumptionem parit veritatis, donec aliter explicari possit. — De malitia intrinseca pollutionis voluntariae, cf. SANCHEZ, *De Matrim.*, l. 9, d. 17; PESCH, *Prael. dogm.*, t. 7, n. 694-697; VERMEERSCH, *De cast.*, n. 304 seqq., 323 seqq.; GÉN. S., n. 394, 397; ESCHBACH, *Disp. phys. theol.*, d. 5, c. 4.

1 Quos refert S. ALPH. n. 415.

2 Adverte: 1° Facile perspicitur agumentum valere tam de delectatione venerea deliberate *quaesita*, quam de sponte exsurgente deliberate *admissa*. — 2° Cum delectatio venerea quaevis de se, seu ex naturae institutione, ad matrimonium ordinata sit, nequit extra matrimonium captari etiam ab eo, v. gr. impubere vel eunucho, qui vel nondum vel prorsus non ad matrimonium aptus est; argumentum enim non fundatur in eiusmodi actuali aptitudine, sed in ipsa huius delectationis natura, quae proinde per se omnes naturam humanam habentes respicit, etsi per accidens in hoc vel illo privetur suo fine.

3 Non videtur hoc periculum proximum in quavis parva delectatione adesse semper, ut plerique hoc loco supponunt, qui aliunde contrarium tradunt alibi, ubi in coniugatis distinguunt actus illiusmodi periculum afferentes vel secus.

4 Est enim tanta hominis propensio in delectationem venereamm, ut si minorem procurare liceat, haud facile sit in eius potestate ibi sistere, magnoque periculo se committat labendi in maiorem et ita ulterius.

5 Cf. etiam VERM., op. cit., n. 353.

motivo ponitur. Hic applicanda est doctrina tradita n. 6-9. Et cum in hac materia id sit tractatu satis difficile, iuvat praesens principium in alia tria distinctius dispertiri.

Ad hoc adverte causam dici *natura sua* influere *graviter* in delectationem veneream, si eam ordinarie exsurgere faciat non in aliqua determinata persona, sed generatim apud omnes; sic cogitatio turpis causare solet pollutionem vel saltem commotionem. Si causa nunc provocat pravum effectum, nunc non provocat, dicitur influere *leviter;* nam signum est eam causam, nisi aliae concurrant, non sufficere. Denique causa, *natura sua* influens leviter, potest in aliqua determinata persona ob subiectivam dispositionem provocare ordinarie pravum effectum; tunc influit graviter *per accidens*.

192 *a*) **Ponere sine ratione sufficienti causam natura sua graviter influentem, peccatum grave est,** tunc enim qui vult causam vult effectum (cf. n. 102).

Causae g r a v i t e r influentes sunt, ac proinde ex se peccatum g r a v e :

1° *Tactus* in partibus i n h o n e s t i s alterius sexus; eiusdem sexus, si non fiant valde obiter et ex ioco; proprii corporis, si fiant morose aut repetitis vicibus. Tactus in partibus h o n e s t i s (a fortiori in minus honestis), praesertim diversi sexus, ita morosi, ut grave periculum inducant pravi effectus.

2° *Oscula* in partibus i n h o n e s t i s, praesertim diversi sexus. Oscula in partibus h o n e s t i s, praesertim diversi sexus, ita morosi, ut grave periculum inducant pravi effectus, maxime lingua in os introducta; ne tamen haec extendantur ad oscula matris aut nutricis in infantem.

3° *Aspectus* in partes i n h o n e s t a s alterius sexus[1] etsi obiter facti (nisi fiant e longinquo et per brevissimum tempus vel nisi aspectus feratur sine morositate in infantem); eiusdem sexus aut proprii corporis, si fiant morose. Aspectus in partes h o n e s t a s, praesertim diversi sexus, ita morosi, ut grave periculum inducant pravi effectus.

4° *Turpiloquia* valde obscena, praesertim inter personas diversi sexus.

NB. — 1° Potest dari ratio sufficiens permittendi ut exsurgat pravus effectus, v. gr. si medicus examinare debet pudenda feminae ad medendum.

2° Si causa notabilis quidem est, sed nondum videtur sufficiens, peccatum potest esse leve.

---

[1] Idem dic de aspectu coitus humani.

b) **Ponere sine ratione sufficienti causam natura sua leviter influentem, peccatum leve est.** Etenim ex una parte, qui ponit causam insufficientem non potest ex eo solum censeri velle effectum; ex alia vero nequit esse licitum dare sine motivo sufficienti occasionem pravo effectui. Adverte causam posse in se esse mortalem extra genus luxuriae [1], v. gr. inebriatio, ex qua orietur forsan pollutio. 193

Causae leviter influentes sunt ac proinde peccatum leve:

1° *Tactus* in partibus inhonestis cuiusvis sexus, facti super vestes, obiter et ex mero ioco; proprii corporis, facti obiter et ex mera curiositate. Tactus in partibus minus honestis aut etiam honestis facti ex ioco aut curiositate, v. gr. tangere absque mora digitos aut vultum personae diversi sexus.

2° *Oscula* aut *amplexus* in partibus minus honestis aut etiam honestis ex ioco, ut fit in nonnullis ludis (quod aliquando in partibus honestis, maxime inter personas eiusdem sexus, culpa vacare potest).

3° *Aspectus* in partes inhonestas personae eiusdem sexus (vel proprii corporis), facti obiter et ex mera curiositate, ut fit quandoque inter natantes aut simul se lavantes. Aspectus obiter et ex curiositate in picturas vel statuas personarum grandiorum nudarum; id levius erit, si pictura sit vetusta, multo levius, si agatur de infantibus depictis. Aspectus in partes minus honestas personae diversi sexus, praesertim mulieris, sed non diuturni. Aspectus in partes honestas personae diversi sexus cum aliqua morositate.

4° *Turpiloquia* de re non graviter obscena ex ioco aut vano solatio, ut fit a messoribus vel mulionibus. Levia etiam sunt tenera colloquia inter personas diversi sexus, sed crescit periculum seu influxus causae in effectum malum, si habentur inter solos aut noctu aut per longum tempus.

5° *Lectio* libri leviter obsceni, quales sunt multae comoediae et novellae.

c) **Ponere sine ratione sufficienti causam per accidens graviter influentem, peccatum grave est si causa natura sua influit leviter, veniale si valde leviter.** Nam sequentia videntur erui ex probatis auctoribus: 194

---

1 Pollutio non est mortalis, inquiunt communiter auctores, si oritur ex causa extra genus luxuriae. Sed huius rei ratio est, quia censent huiusmodi causas non posse influere nisi ad summum leviter (cf. S. Alph., n. 484 « Quarta sententia »). Nam si qua causa extra genus luxuriae influeret per se et graviter, non esset ratio admittendae exceptionis; semper enim valet illud: « qui vult causam, vult effectum sufficienter *in causa* praevisum ».

1° Si causa natura sua influit *omnino leviter*, id est si apud alios raro producit pravum effectum, non graviter peccabis ponens causam sine motivo, etsi in te influat graviter; quia effectus maxime tribuendus erit aliis causis, v. gr. si quis soleat pollui ex lectione leviter turpi, vel ex colloquio cum femina non diuturno aut leviter obsceno[1]; venialiter tamen peccabis, quia sine rationabili motivo permittis pollutionem. Adhuc facilius licebit agere, si causa ex se nullum aut vix ullum habet influxum, v. gr. si quis pollui soleat ex equitatione, vel aspiciens honeste et sine morositate personam, in quam forsan sentitur affectus, vel cubans aut sedens situ commodo et honesto[2]; tunc excusat quaedam utilitas aut convenientia.

195 2° Si causa natura sua influit *leviter* (id est, non valde leviter), obligatio a causa abstinendi erit generatim gravis, quia si quis scit se ob suam subiectivam dispositionem (v. gr. ob pravos habitus contractos vel ob ardentem affectum erga aliam personam) graviter commoveri ad venerem ab aliqua causa, quae de se iam satis commovet, et nihilominus vult sine motivo illam ponere, vix fieri potest, ut non agat ex intentione pravi effectus vel saltem habeat periculum proximum consensus, v. gr. si velit aspicere obiter verenda personae ardenter dilectae, vel habere diuturnum colloquium tenerum cum puella inordinate dilecta. Huiusmodi causae sunt lectio turpis ex curiositate[3], aspectus picturae obscenae, vel coitus animalium ex curiositate etc., quae cum pro aliis reputari possint leves, pro aliis graves, ideo a multis dicuntur *mediocriter influere*.

E contra si quis experientia didicit se ab aliqua causa nullatenus moveri (quod non facile admitti debet), non peccat peccato luxuriae, si illam ponat.

NB. — Principia data intelliguntur de causa, unde oriuntur sive pollutio sive turpes motus; intellige tamen quoad motus *notabiles;* nam si ageretur de motu *levi*, non excederet

---

1 S. Alph., n. 484.

2 In lecto quilibet situs eligi licet, nisi tam innaturalis sit, ut videatur intendi pollutio. Verm., *De cast.*, n. 377, 381. Si motus exsurgant, cf. n. 215.

3 Inter has causas natura sua influentes leviter, per accidens graviter, reponendum censemus studium innecessarium de anatomia sexuali. Nempe de mortali damnamus eum, cui plerumque causa esset pollutionis; de levi tantum eum, cui non frequenter, dummodo sincere ageret, id est nec insana duceretur intentione nec pravas colgitationes foveret, et periculum proximum non haberet consensus in delectationem insurgentem.

veniale ponere causam, ex qua ille praevideretur oriturus, dummodo motus non quaeratur. — Praeterea minor causa sufficit ad permittendos motus quam ad permittendam pollutionem.

3. *Grave est quidquam agere, unde quis scit sibi creari* **196**
periculum proximum consensus, etsi causa levissimum aut nullum habeat influxum, v. gr. ex curiositate legere librum honestum, si quis experientia reapse sciat se moraliter certo consensurum in pravam delectationem. Hoc tamen non est peculiare huius VI praecepti, sed cuivis convenit materiae.

Art. 1. Peccata consummata contra naturam.

Ea sunt, in quibus datur illa plena delectatio venerea, **197**
de qua in n. 187, 188, ita tamen, ut attenta natura ipsius actus sequi non possit generatio. Peccata consummata, quoniam naturam plene satiant et de se non ordinantur ad alium actum; ideo specie differunt ab actibus non consummatis[1]. Dubitarunt quidam an haec specifica distinctio exsistat in eunuchis et impuberibus, qui verum semen non emittunt; sed si hi nihilominus quamdam plenam voluptatem sibi procurare valent, affirmandum erit[2] cum S. Alph.[3].

Difficultas est, ut confessarius possit decenter et sine periculo scandali discrimen inter peccata consummata et inconsummata poenitentis percipere. Placet regula quorumdam[4]: nempe quando poenitens accusat tactus, si hos non ex curiositate aut levitate habuerit, sed cum plena voluntate se delectandi, praesumatur actus consummatus, ac proinde ab interrogantionibus de hac re, sive de viris agatur sive de feminis, abstineri potest. Nihil tamen prohibet quominus, si de viris agatur, in quibus nec ignorantia nec scandalum timeri possit, interrogentur num in tactibus acciderit effusio.

Peccata consummata contra naturam varia sunt specie diversa.

---

1 Vel paulo aliter: Malitia actus venerei pendet ab eius intrinseca relatione ad generationem (n. 189, 190), ideoque diversa malitia est, ubi diversa est haec relatio. Diversimode autem ad generationem referuntur actus completi et incompleti, quoniam illi per se et immediate, hi nonnisi ad illos et sic mediate tantum ad generationem referuntur. Ergo diversae sunt speciei moralis.

2 Hi saltem pollutionis reatum saepe contrahunt affective, quia cum verae pollutionis delectationem norint, eam quaerunt.

3 S. Alph., n. 476.

4 Quos citat et sequitur Gén. S., n. 398.

198 1. *Pollutio* (vocatur quoque mollities[1]) est plena delectatio venerea habita extra congressum, cum effusione seminis in masculis puberibus vel humoris vulvo-vaginalis in feminis (n. 187).

Pollutiones sunt eiusdem speciei, quocumque modo procurentur; quare a modo interrogando abstineat confessarius. Adiungi tamen potest malitia specie diversa, v. gr. si reus sit sacerdos vel coniugatus, si fiat imaginando concubitum cum mare, femina, coniugata etc., si fiat tangendo personam sexus eiusdem, diversi, coniugatam etc.

199 *Pollutio nocturna*, quando naturaliter evenit in somno, peccatum esse non potest, nisi quis eam intenderit in vigilia vel in ea sibi complaceat. Si quis, pollutione in somno eveniente vel iam coepta, protinus evigilet, eam quidem positive promovere non potest, immo optime aget si eam cohibeat, a manibus tamen prorsus abstinendo. At obligatio cohibendi non adest, quia homo nihil agit, sed mere patitur, dummodo absit periculum proximum sibi complacendi in delectatione. Cum autem hoc periculum generaliter adsit, nisi delectationi aliqua resistentia opponatur, ideo homo in his adiunctis signo crucis se muniat et ad Deum recurrat, vel saltem mentem ad aliquam piam cogitationem convertat.

Spontaneam emissionem desiderare vel de praeterita gaudere, unice ob bonum suum effectum, delectationem omnino non intendendo, peccatum non est (n. 66).

De distillatione, quae praevidetur futura cum delectatione venerea, idem dicendum est, quod de pollutione. Quod si distillatio praevidetur secutura sine delectatione, etsi cum aliqua commotione, non magis de ea curari debet, quam de sudoris emissione; qui tamen hanc distillationem studiose quaereret, delectationem sine dubio quaereret, proinde graviter peccaret.

200 2. *Sodomia* est plena delectatio venerea in congressu cum sexu indebito vel in vase indebito.

Horrendum hoc peccatum nunc dicitur perfectum, nunc imperfectum.

Sodomia perfecta dicitur, quando vir effundit semen in vase alterius viri.

Sodomia imperfecta habetur triplici modo: 1° si vir penetrat vas alterius viri, at seminat extra. Probabiliter non differt

---

[1] Pollutionem, quae voluntarie procuratur, medici frequentius appellant masturbationem vel onanismum.

specie a superiore. A superioribus et inter se specie differunt duo sequentes: 2° si femina congreditur cum femina; 3° si vir congrediatur in vase indebito feminae[1].

Non est necesse declarare, quis fuerit agens vel patiens; declaranda tamen est effusio seminis (haec facilius accidit in agente). Si non fit congressus in vase, non est sodomia, sed erit modus se polluendi, in quo tamen adesse poterit affectus malitiae affectivae, si nempe fiat cum affectu erga personam eiusdem sexus, vel malitia tactuum, si nempe fiat tactibus inhonestis alienis.

Si quando reservatur sodomia, intelligi debet de perfecta.

3. *Bestialitas* est congressus cum specie indebita seu cum bestia. Si non fit congressus in vase naturali vel praepostero, non est bestialitas, nisi forte affectiva. Non est necesse distinguere, cuiusnam sexus fuerit bestia.

Art. 2. Peccata consummata iuxta naturam.

Peccata consummata iuxta naturam, quatenus adversantur castitati, unum idemque sunt, nempe congressus illegitimus maris cum femina modo naturali. Distinguuntur tamen per adiectam malitiam contra aliam virtutem, v. gr. si congressus fiat cum persona sacra vel affini vel coniugata. Hae autem malitiae adiici etiam possunt aliis peccatis consummatis contra naturam vel non consummatis, v. gr. sodomia vel oscula cum consanguinea. **201**

1. *Fornicatio* est congressus naturalis soluti cum soluta ex mutuo consensu. Fornicatio habitualis (concubitus vel meretricium) non addit novam speciem, manifestandus tamen huiusmodi status confessario interroganti ad providendum pro remotione occasionis proximae. Fornicatio eunuchi, utpote impotentis, peccatum est contra naturam, ideoque specie diversum a fornicatione vulgari.

---

1 Si vir membrum immitat in os viri vel feminae (« irrumationem » id appellant), peccatum esse ab aliis specie distinctum sentit S. ALPH., l. 6, tr. 6, n. 935, alibi tamen idem S. ALPH., l. 3, tr. 4, n. 466, etsi inexactis (iuxta GAUDÉ) quibusdam ductus testimoniis illud ad sodomiam reducit. De hac re nihil sponte confessarius interrogare debet; sed si qua mulier id passa sit et ob difficultatem id exprimendi sit anxia et confessarius moraliter certus sit de hac re agi, tunc, ait LEHMK., II, n. 1069, quam castissime possit, interroget num « ore abusa sit ». Ceterum horrenda huius vitii consectaria habes apud ANTONELLI, *Med. past.*, II, 629 seqq.

202 *De onanismo.* Copula saepe ita peragitur, ut impossibilis fiat praegnatio, sive quia vir copulam abrumpit, ut extra effundat semen (mulier peccat si ad id virum inducat), sive quia copula peragitur cum instrumento, ad impediendum, ne semen retineatur a muliere (tunc vir et mulier aeque principaliter peccatum patrare possunt). Haec frustratio actus naturalis gravissimum est peccatum, quod reipsa non est fornicatio, sed est pollutio simul et attentatio fornicationis (in solutis) vel pollutio simul et frustratio actus coniugalis (in coniugatis) [1].

203 2. *Adulterium* habetur, si saltem unus concumbentium est ligatus matrimonio. Concumbens laedit ius exclusivum, quod coniux habet in corpus compartis, cui iuri non potest coniux valide cedere [2]. Quod si uterque est coniugatus, iniustitia duplex committitur, quae in confessione declaranda est.

204 3. *Incestus* est copula cum consanguinea vel affini intra gradus matrimonium prohibentes, ac proinde in praesenti disciplina usque ad tertium gradum. Incestus superaddit peccato luxuriae peccatum contra virtutem pietatis in propinquos. Incestus sunt probabiliter eiusdem speciei, sive persona sit consanguinea sive affinis, sive in hoc sive in illo gradu; excipiunt multi gradum primum tamquam a ceteris specie diversum, immo distinguunt inter incestum cum ascendente vel cum descendente; alii tamen [3] has exceptiones non admittunt. — Ab incestu inter consanguineos vel affines certe differt specie incestus inter ligatos cognatione spirituali.

---

[1] Quaeritur, an liceat fornicario copulam abrumpere, si ea durante peccati poeniteat. Resp. Putarunt aliqui non licere, eo quod peior sit pollutio quam fornicatio. Sed verius videtur licere, numquam enim tenetur homo actionem intrinsece malam protrahere, sed e contra tenetur quovis tempore ab ea desistere (propterea addit Sanchez, quod posita nova deliberatione novum peccatum videtur committi ab eo, qui copulam vult perficere). Ratio a contrariis adducta valet de pollutione voluntaria (vide tamen dicenda in n. 219, 14°), non autem de mere permissa ex causa sufficienti, qualis hic abunde habetur. Cf. Sanchez, *De Matrim.*, l. 9, d. 19, n. 7; Ball. P., t. 6, n. 384; Ferr., II, n. 1159, quaer. 10; Vermeersch, *De cast.*, n. 312. Qui ab initio statuunt onanistice copulari, manifeste peccatum patrant longe peius quam simplicem fornicationem. Et quoniam ii, qui peccatum patrant cum non meretricibus, saepius id faciant onanistice ad vitandas sequelas (nam ex commercio cum meretrice sequelae non timentur, quoniam vix unquam concipiunt quae cum multis miscentur viris), ideo bene faciet confessarius, si poenitentem actum sexualem accusantem de hac circumstantia interroget, discrete tamen (v. gr. « an ex modo, quo peregit actum, sequi numquam possit generatio), quia haec est circumstantia specialis.

[2] Cf. prop. 50 damn. ab Inn. XI.

[3] Apud Lugo, *De Poenit.*, d. 16, n. 143, et apud Ferr., II, n. 588.

4. *Sacrilegium* fit in peccatis luxuriae per violationem loci vel personae sacrae. Vide dicta in 1° praecepto. 205

5. *Stuprum* est congressus cum muliere invita; proinde in eo laeditur iustitia. Quod autem mulier fuerit virgo, non addit specialem malitiam luxuriae, potest tamen addere aliam, v. gr. ob infamiam.

6. *Raptus* est abductio violenta personae libidinis causa e loco tuto in non tutum. Violenta, id est per vim, metum, dolum aut fraudem. Violentia inferri potest vel ipsi mulieri vel, si ipsa consentit, saltem parentibus, tutoribus aut curatoribus. Peccatum iniustitiae iam adest, etsi postea actus libidinosus non sequatur: qui si sequitur, distincte in confessione exprimendus est. 206

Art. 3. Peccata non consummata.

Peccata non consummata, quae a multis vocantur impudicitia vel luxuria imperfecta, speciem desumunt a circumstantiis personae, sicut peccata consummata, ad quae de se ordinem dicunt: proinde distingui debet, utrum in se ipso patrata sint an in persona eiusdem vel diversi sexus, affini, sacra, coniugata, invita. Excipe aspectus, nam cum nequeant dici naturalis inchoatio copulae, speciem a persona non desumunt, si habeantur sine ullo desiderio erga illam: id pariter cense de turpiloquiis. 207

De peccatis impudicitiae plura diximus in n. 192-195; quare pauca nunc addenda.

1. *Tactus* quatenus graves aut leves sint, diximus ibid. Licet se fricare ad abigendum pruritum, etsi praevideatur levis motus oriturus (consulitur tamen, ut ex amore castitatis molestia toleretur); at non licet se fricare cum praevisione pollutionis, nisi pruritus sit magnus. Cavendum tamen, ne confundatur pruritus cum ardore libidinis, quae ad tactus provocat, ut per pollutionem sopiatur. Praeterea fricatio fiat potius intermedia veste; immo sic debet fieri, si ita vitari potest pollutio aut motus notabilis. Similiter licent tactus necessarii ad corporis munditiem: haec autem fiant cum panno, non confricando, sed pannum apponendo et leviter iteratis vicibus comprimendo. 208

Ad tactus reducuntur in feminis titillationes in papillis uberum, commotiones enim venereas excitant in vagina et utero et pollutionem [1].

[1] Propterea, si ubera iam ante partum praeparanda sunt, ut praescribi solet ob praevisam ariditatem, id ne fiat per contrec-

Tangere genitalia brutorum est *ex se* veniale; attamen provocare in eis pollutionem erit saepissime mortale ob periculum proprium.

2. *Oscula* iuxta morem patriae aut in signum amoris honesti peccata non sunt, etsi exsurgat delectatio libidinosa, dummodo consensus reprimatur.

3. *Aspectus* picturarum turpium, si res obscena vivide repraesentatur, fere idem periculum creat ac aspctus rei naturalis. Saepe tamen tantum veniale est, eo quod res minus vivide naturam imitatur, vel quia obiter aspicitur.

209 4. *Turpiloquia* non parum negotii confessario facessunt, quoniam non videtur decens petere a poenitente quid dixerit. Interroget potius confessarius, utrum sermones fuerint de rebus prorsus turpibus an tantum de quibusdam scurrilitatibus parum inhonestis. Si 1um, petat utrum sermo aliquamdiu protractus fuerit (id generatim censendum grave inter iuvenes, minus facile inter coniugatos), an tantum quaedam verba obiter prolata fuerint, ut fit aliquando inter laborandum (id facile erit grave inter personas diversi sexus; censetur autem leve inter personas eiusdem sexus, si poenitens asserat se non sibi complacuisse in cogitationibus turpibus). Si 2um, et poenitens asserat se non sibi complacuisse in cogitationibus, censeatur leve. — In omni casu quaerat confessarius, num alicui audientium grave scandalum dari potuerit.

Audiens turpiloquia peccat graviter, si turpiloquio causam dat, vel si in eo, quatenus turpi, sibi complacet. Subridere, ob ruborem non discedere vel aliquod verbum immiscere leve est. Hinc [1], non sunt severius tractandi, qui talia a sociis simul laborantibus vel itinerantibus audire moraliter coguntur, etsi quandoque verbum collcquio immiscent.

210 *NB.* — 1° Qui graves motus pati solet in colloquio diuturno cum persona inordinate dilecta vel ex osculis erga eam, ordinarie graviter peccat (cf. n. 195). Facilius leve dici potest, si motus exsurgant tantum leves, praesertim si ille in haec peccata labi non solet.

2° Inter eos, qui propositum habent nubendi, licent visitationes atque etiam oscula et amplexus tamquam benevolentiae signa, iuxta loci consuetudinem, etsi praevideatur pollutio, quae ex hac iusta causa excusatur, dummodo absit consensus. Profecto visitationes quandoque nimis frequentes habentur et

---

tationes manuales (« massage »), quamvis hae ob necessitatem excusarentur, sed per instrumentum, quo artificiales uberum succiones fiunt.

[1] Gén. S., n. 408.

nimis diuturnae, sed saepe tolerari debent ob consuetudinem regionis non satis rationabilem, quae sine gravi incommodo deseri non potest. Ad praecavenda peccata vitetur colloquium inter solos, maxime in loco secreto, et servetur moderatio in exhibendis supradictis amoris signis, ea praecipue vitando, quibus libido magis excitetur. — Aliquando sponsi tam crebro in peccata gravia labuntur, ut videantur in proxima versari occasione. Sed quoniam haec moraliter necessaria est, tolerari debebit; iubeantur tamen adhibere media, quibus fiat remota.

3° Demum operae pretium erit in memoriam confessariorum revocare sapientissimum S. Alphonsi [1] monitum: « Sedulo hic advertendum, quod in hac materia sexti praecepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem, cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat, et plures opiniones, quae speculative loquendo sunt probabiles, in praxi improbabiles evadunt. Hinc confessarius ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. Hoc medici animarum est, praesertim respectu eorum, qui in vitio turpi habitum in praeterito habuerunt; his enim non solum proximas occasiones vitare, sed etiam remotas opus erit; alias ob fragilitatem contractam semper in idem recident, cum in hac materia, ad quam homines naturaliter sunt proni, de facili a minoribus ad ulteriora mala ipsi progrediuntur ».

Art. 4. Quaestiones aliquot.

Quaestiones aliquot de rebus sat diversis confessario **211**
perutiles huc seorsum amandamus, quas suis in locis, ubi de materia simili agebatur, reponere noluimus, ne huius VI praecepti tractatio, de se sat implexa, impeditior evaderet. Ceterum denuo commendamus, ut eas rei moralis tirones nonnisi ex necessitate percurrant, ope purissimae Mariae Virginis implorata.

1° *Status caelibatus matrimonii statui comparatus*, si illum homo « propter regnum coelorum » (Matth., XIX, 12), id est pro amore Dei aut fine melioris boni, sive cum voto sive ex solo proposito, amplectatur, praestantior sane est; et quoniam status ille *per se* maiorem homini facultatem praebet divinis rebus vacandi et « sine impedimento Dominum obsecrandi » (1 Cor. VII, 35), id est potiorem opportunitatem sanc-

[1] S. Alph., *Homo apost.*, t. 9, n. 36.

tum illud propositum concipiendi et explendi, ideo coelibatus per se et simpliciter praestantior matrimonio dicendus est [1].

212 2° *De distinctione pollutionis puberum et impuberum, virilis et femineae* disputatur. Sed cum malitia actus completi in eius intrinseca relatione ad generationem reponenda sit (n. 189, 190), effusionem impuberum, senum et eunuchorum, utpote quae natura sua incapax est efficiendi generationem, a pollutione communi specifice diversam opinamur. [2]. Ob eamdem rationem pollutionem viri et feminae in specie *morali* opinamur non differre: eamdem enim sub respectu morali relationem prae se ferunt ad generationem [3].

---

1 Plura dabunt Vermeersch, *De cast.*, n. 135 seqq.; Eschbach, *Disp. phys. theol.*, d. 5, c. 1 et 2, et theologi de re dogmatica, Pesch, t. 7, n. 858 seqq. Nec caelibes incusare quis poterit *a*) eo quod a genitalium functione abstinendo naturam mutilent, nisi prius probetur genitalium usum esse singulis obligatorium, vel similis peccati fieri reum, qui nihil olfacere proponeret aut perpetuo nihil loqui. Et mirum, quod ita incusent ii, qui hodie ementitae nomine eugeneseos miseros innumeros in perpetuum a procreando interdictos vellent; vel non querantur tot viros a genitalium usu impediri in dissitis terris occupatos procul ab uxoribus in fodinis, industriis, aliisve negotiis; — *b*) vel eo quod voci naturae non obediant; nisi prius probent hanc naturae vocem esse mandatum, aut nisi impuberes similiter iubeant iam ab initio naturae stimulis parere, aut coniugatos alienas seducere, in quas naturae vocem sentiant; — *c*) vel eo quod societatem magno bono frustrent; quasi caelibes, etsi individuis quibusdam societatem privent, bonum ei multo praestantius non procurent impetratione apud Deum, virtutum publico exemplo, civilizatione barbarorum, educatione puerorum, cura debilium, aegrorum, senum, orphanorum, aliisque innumeris in societatis bonum collatis operis.

2 Contrarium tradit S. Alph., n. 476 et alii, ideoque diversitas in confessione aperienda necessario non est.

3 Si pollutionem impuberum et adultorum cum S. Alph., n. 476 in eadem specie reponas, tunc specificationem moralem non desumis nec a diversitate humoris, nec e diversa relatione actus ad generationem, nec ex utroque simul, ut patet, sed e delectatione, eo quod cum in utrisque completa sit, eam eiusdem putas esse qualitatis, quamvis forte non intensitatis. Atqui in hoc, credo, falleris. Nam valde probabiliter delectatio completa virilis et feminea diversae est qualitatis; diversae enim sensationum qualitates non a respectivis tantum centris cerebralibus pendere putandae sunt, sed etiam a diversitate organorum active concurrentium (De la Vaissière, *Phil. nat.*, I, thes. 29), vel a diversitate organorum simul et diverso eorum fine praesumendae sunt (Froebes, *Lehrb. der exp. Psych.*, v. I, p. 40); loca autem, ubi delectationes virilis et feminea resident, valde sunt diversa (Verm., op. cit., n. 9), finis etiam bene diversus. Ergo tunc pollutionem maris et feminae dices diversae esse speciei. Nec tamen inde inferimus obligationem poenitentis ad crates accedentis et accusantis pollutionem aperiendi suam viri vel feminae condicionem. Satis esse opinamur actum completum accusare, nec ex institutione Christi maiore subtilitate imponi obligationem accusandi « peccata »; de quo iam alibi n. 61 aliud exemplum habes.

3° *Actus luxuriae incompletae eiusdem esse speciei infimae* tradunt aliqui, saltem quoad actus externos[1]; contrarium docent alii. Priori sententiae adhaeremus, sed non omnino. Nam actus alii natura sua ad generationem relationem habent, quorum proinde delectatio incompleta extra matrimonium directe quaeri vel sine ratione sufficienti indirecte provocari non potest; huiusmodi sunt tactus, oscula, aspectus libidinosi[2]. Alii illliusmodi relationem ex se ipsis seu intrinsece non dicunt; huiusmodi sunt lectio, cogitatio, colloquium; sed eorum malitia in eo consistit, quod assumantur ut media directe aut indirecte[3] ciendi libidinem. Priores igitur eiusdem speciei esse iudicamus inter se, sicut et posteriores inter se, non vero priores cum posterioribus. Quare sufficienter confiteretur qui diceret: « actus graves imperfectae luxuriae mecum habui », non distinguens, tactusne fuerint an aspectus.

Nihilominus plures causae sunt, quae distinctionem fieri vel suadent vel postulant: *a*) Quia alia adiicitur circumstantia specifica, v. gr. si tactus exercentur in alio, si in cogitatione fovetur expresse delectatio circa obiectum specifice diversum (n. 64), si in colloquiis, ut pronum est, datur scandalum. *b*) Ne per « actus luxuriae » intelligat confessarius, ut pronum est, actus externos, si tantum cogitationes habitae sunt. *c*) Ut confessarius melius iudicet de gravitate vel levitate peccati; multo enim facilius tactus evadunt graves quam aspectus, colloquia quam lectio. *d*) Ut confessarius intelligat, utrum actus ipse externus imputandus sit an secus, aliis verbis, an agatur de delectatione directe vel indirecte quaesita, an de ea sponte exsurgente et interne admissa.

Ceterum poenitentes, nisi rudes sint, sufficienter solent haec omnia distinguere.

Haec intellige, si actus tantum imperfecti patrati fuerint; nam si actus imperfecti cum actu consummato coniuncti fuerint[4], hunc sufficit accusare (n. 60).

4° *Ut detegatur an in tactibus feminae acciderit pollutio*, **213**
poterit quidem confessarius, si mulier nupta est aut grandaeva, honeste interrogare « an actum perduxerit usque ad finem », quod quidem ipsa nosse potuit ex percepta completa voluptate, etsi effusionem forte non adverterit. Cum iunioribus cautius

---

1 Cf. VERM., *De cast.*, n. 356; GÉN. S., n. 406.

2 Aspectus libidinosi et oscula libidinosa, id est ex intentione directa vel indirecta sentiendi libidinem.

3 Indirecte, id est sine ratione sufficienti.

4 Si adfuit actus consummatus, is praesumendus omnino est coniunctus cum imperfectis praecedentibus et immediate sequentibus, nisi de contraria intentione revera constet (n. 60), quia ordinarie fiunt per modum unius.

est agendum, ne ipsis detur scandalum, vel ipsae suis amicis interrogationem cum scandalo narrent. Semper tamen huiusmodi interrogationes evitare potest confessarius idque decet; sufficit enim, ut sciat an tactus ex curiositate habiti sint vel ex intentione malitiosa[1]: nam si hoc ultimum affirmat poenitens, actus consummatus praesumi potest[2]; adde non deesse qui[3] actum perfectum feminae eiusdem censeat esse speciei cum imperfectis; qua tamen probabilitate, ipse viderit[4].

5° *Dari posse ignorantiam invincibilem circa malitiam, saltem gravem, pollutionis*, praesertim in adolescentibus in ignorantia venereorum educatis, aliqui admittunt[5], quibus assentimur. Aliunde communis sententia est[6] dari posse ignorantiam invincibilem circa conclusiones mediatas legis naturalis; porro malitiam gravem pollutionis non proxime in ea perspici coniici potest ex theologorum labore in ea assignanda.

214 6° *Cogitationes de re obscena*, si ex intentione delectationis turpis habentur, grave peccatum sunt iuxta principium I, n. 189; seclusa hac intentione, seu ut alii dicunt, ex curiositate eas breviter sibi praesentes facere leve peccatum erit, grave vero eas diutius fovere, si vividae sint et de rebus agunt practice ponendis: ita enim grave periculum inducunt excitandae delectationis[7].

7° *Delectatio carnalis* (hanc alii delectationem sensualem appellant, alii carnalem sensibilem) audit apud theologos ea delectatio, quae sentitur ex affectu circa pectus cum vehementiore motu cordis, exsurgitque v. gr. ex attrectatione vultus vel

---

1 Quod tamen ne facile interroges eos adolescentes, qui candidiores apparent, ne in hac instantia aliquid occultum celari suspicentur, quod ignorent, et deinceps peius peccent.

2 Placet enim regula, quam GÉN. S., n. 298 e BERARDI exscribit: « Dicente poenitente *me tetigi*, si constet quod vere *malitiose* se tetigerit, praesumendum est, quod actum ad finem suum naturalem perduxerit; unde (sive de viris sive de feminis agatur) interrogationes de re ista omitti posse dicerem. Verum est quod aliqui actum interrumpunt, etsi malitiose illum inceperint, sed exinde confessarii obligari nequeunt, ut omnibus et singulis, qui se tetigisse confiteantur, circa hanc ipsam interruptionem in confessionibus ordinariis interrogationes superaddant ».

3 NOLDIN, n. 29.

4 Cf. GÉN. S., n. 398; ANTONELLI, *Med. past.*, I, n. 608.

5 NOLDIN, n. 13 et MARC, n. 770. Cf. etiam S. ALPH., l. 3, tr. 1, n. 150.

6 S. ALPH., l. 1, n. 170.

7 Cf. dicta n. 63, 64 et VERM., n. 367. Adeo cogitationes pravae influxum exercent ad ciendam libidinem, ut in ipsis tactibus plus congitationes concomitantes commoveant quam ipse actus externus, ut ait GÉN. S., n. 409; VERM., n. 16.

manus personae dilectae, ex osculo, immo ex solo aspectu personae pulchrae. Haec delectatio valde idonea est ad delectationem venereamm excitandam; propterea generatim grave est illam studiose fovere seu directe quaerere [1], etsi venerea ipsa non intendatur; illam vero ortam tolerare seu non statim supprimere non est grave, praesertim si quis venereamm forte exorientem conatur retundere, mentem ad altiora extollendo [2].

Hinc *amicitiae sensuales*, quia appetitum carnalem fovent, prorsus improbandae sunt [3]; quae quidem aliter praecidi non possunt, nisi qualibet superflua consuetudine denegata atque importunam memoriam personae amatae avertendo. Facile isti amatores peccant graviter, si malitiosas attrectationes fovent, oscula diuturna etc. ad complacendum sensuali affectui, quia vix haec facient sine intentione turpi aut proximo periculo. Quod si amantes huiusmodi sint diversi sexus nec amores fovent cum relatione ad matrimonium, difficulter, ait S. Alph. [4], sunt extra occasionem proximam graviter peccandi, quia conversatio propendit in passionem, dein passio altas radices figit atque in crimina mille trudit; propterea si se accusant quod aliqua peccata gravia iam admiserint, amicitia, quae non fovetur cum intentione nubendi, ordinarie abrumpenda erit.

8° *Quaenam obligatio sit resistendi motibus impuris sponte exortis.* Generatim aliqua resistentia positiva adhibenda est, v. gr. animum ad alia avertendo, causam motuum tollendo, externam aliquam occupationem ad distractionem assumendo [5]. Positiva resistentia omitti potest, si quis experientia scit motus facilius disparere si contemnantur, vel si tentatio diu protrahitur nec causa tolli potest; tunc enim homo cum ex iusto motivo agat, bene sperare potest Dei auxilium ad superandum periculum [6]. 215

---

1 Cf. prop. 40 damn. ab Alex. VII.

2 Lehmk., n. 1027.

3 Magis adhuc improbandae inter religiosum et adolescentem alumnum, inter sacerdotem et piam feminam, ob scandalum alterius et diminutam existimationem status ecclesiastici. Influxus spiritualis tunc evadit nullus, quocirca procurandum, ait Verm., n. 390, ut relatio directionis spiritualis, si qua fuerit, abrumpatur.

4 S. Alph., *Prax. Conf.*, n. 65.

5 Si motus sunt leves, non excedit veniale se habere mere passive, quia facilius abest proximum consensus periculum.

6 Sunt qui in lecto vehementes carnis alterationes patiuntur, quibus si positive resistere volunt, somnum capere non possunt. His suadendum est, ut implorato Dei auxilio et elicito dissensu tuta conscientia passive se habeant, quidquid evenerit. Noldin, n. 37; S. Alph., l. 5, n. 9.

216 9° *Lotiones vaginales* valde solent a medicis indicari hygienes causa. Sed hodie, ait Vermeersch [1], earum fortuna inclinare coepit, quia cum vulgus non satis soleat observare praecepta asepsiae, saepe magis nocent quam prosunt. Lotiones vero uteri propter difficultatem pervadendi angustissimum eius collum plerumque opem reclamant personae peritae. Manifestum est tum has tum illas non posse fieri cum periculo frustrandi semen, vel provocandi abortum, nisi tam gravis causa sit lavandi cum aqua aut alio pharmaco ad fines medicinales, ut iuxta regulas supra n. 177 datas alius malus effectus, qui forte indirecte sequetur, permitti possit.

Hac igitur necessitatis hypothesi seclusa, lotiones *vaginales*, etiam cum sola aqua, interdicendae sunt per duodecim horas, iuxta alios per quattuor vel sex horas, post copulam; facta nimirum copula parietes vaginae fortiter invicem adhaerent et semen receptum retinent; sed exspectandum est, donec satis tuto censeri possit aliquam eius portionem in uterum ad fecundationem perficiendam iam transiisse.

Lotiones autem *uterinae* non possunt fieri, quamdiu periculum est vel expellendi ab utero semen ad fecundationem necessarium vel expellendi ovulum iam fecundatum; propterea nisi fiant statim vel brevi post copulam (liquidum ablutionis foras reiiciendo per fistulam instrumentariam, ne semen e vagina expellatur), prohibendae sunt primis duodecim horis; his transactis eas permitti posse, seclusa nimia vi, asserit Gén. S. [2]; difficillime tamen fient, quia uterus concepto semine tam fortiter occluditur, ut ne acus quidem transitum permittat [3].

Vide dicta n. 178 de muliere vi oppressa.

217 10° *Ineptitudo ad generandum* duplex esse potest, sterilitas et impotentia, quae bene distinguendae sunt, praesertim si de iis agitur in ordine ad contrahendum matrimonium. Sterilis est persona, quae potest quidem perficere copulam per se aptam ad generationem, generatio tamen ex ea persona non sequetur; impotens, quae ne copulam quidem perficere potest de se aptam ad generationem. Porro quaenam huiusmodi copula dicenda sit, non consentiunt auctores. Iuxta sententiam, quae relate ad impedimenta matrimonii benignior

---

1 *De cast.*, n. 45.

2 I, n. 378, II, n. 549.

3 Placet quod ait Verm., op. cit., n. 264: seposita fraudis intentione, et nisi raro coniuges matrimonio utantur, non teneri uxorem a consueta lotione abstinere propter proximitatem praecedentis copulae, quia si regularis usus fit coniugii, non tam sollicite curare tenetur, ne singularum copularum fructus deperdatur.

est, copula per se apta ad generationem constituitur per seminationem in vase debito; unde soli impotentes sunt, qui hanc copulam nequeunt perficere; ceteri ex quocumque alio defectu generare nequeant, dicuntur steriles.

Senes igitur ordinarie non sunt impotentes: possunt enim habere copulam, in qua vir seminat; sunt tamen steriles, quia semen viri nec habet aptitudinem procreativam... nec in ovariis mulieris germinant ovula. E contra eunuchi sunt impotentes, quia seminare non possunt: cum enim careant utroque testiculo, possunt quidem emittere humores aliarum glandularum, non autem verum semen [1].

Iuxta praedictam sententiam sterilitas potius occurrit in femina, impotentia in viro. Illius causa multiplex esse potest, v. gr. obstructio tubarum fallopianarum, vel specialis compositio humoris vulvo-vaginalis, qui commixtus semini spermatozoida enecat. Huius vero causa esse potest v. gr. carentia utriusque testis (eunuchi), vel quaedam apathia erga coitum, quae necessariam excitationem impedit (frigiditas).

Medicamen horum defectuum in coniugatis licitum est (excipe si v. gr. provocetur seminatio, quae praevideatur eventura extra legitimum congressum). Etiam in solutis licitum est, o m i s s i s m e d i i s i n h o n e s t i s (v. gr. provocatione pollutionis).

11° *Morbi venerei* possunt esse vel per defectum v. gr. **218**
frigiditas, vel per excessum, quando nimirum appetitus sexualis exaggeratur. Utriusque generis morbi accidere quidem possunt naturaliter, vel ex hereditate vel ex imprudenti usu medicaminis aphrodisiaci; nimis tamen frequenter proveniunt ex abusu delectationis venereae. Porro huius abusus causa frequentissime sunt lectiones eroticae, sermones turpes, spectacula obscena aliaque huiusmodi, quae appetitum sexualem vehementer excitant et systema nerveum perniciosissime exasperant, etiam usque ad amentiam vel mortem.

Hic non possumus non meminisse syphilidis, quae tantam hodie stragem facit. Haec consistit in quadam infectione virulenta, quae cum incipiat manifestari per ulcus quoddam purulentum, sensim sine sensu interiora organa pervadit, quibus paulatim putrescentibus supervenit mors [2]. Virus syphili-

---

1 Horum tamen terminorum sensus, nempe, sterilitatis et impotentiae non solent apud medicos iidem esse, qui apud theologos; non enim illi distinctionem sumunt ex absentia vel praesentia veri seminis, sed ex impotentia vel potentia coeundi. Sic medici eunuchos, quia feminam penetrare possunt, impotentes non vocant, sed tantum steriles, quia infecundi sunt.

2 Nam in huius morbi processu tres periodi distinguuntur, unde syphilis primaria, secundaria, tertiaria nomen traxit. Pri-

ticum suscipi potest hereditate, suscipi etiam potest per contactum (v. gr. tangis vestes syphilitici sanie maculatas vel bibis e vase, in quo labia syphilitici virus deposuerunt); quod certo accidit, si virus aliquam in cute reperit vel minimam fissuram. Contrahitur saepe quidem hic morbus in commercio cum meretrice syphilitica; potest tamen habere, ut apparet ex dictis, originem inculpabilem [1].

12° *Horrendum pollutionis vitium*, quo tam multi irretiuntur, omnino debellandum est enixe fusis precibus ad Deum, qui orationem recte factam, proindeque cum mediis, quibus quis se iuvare potest, coniunctam exaudire promisit. Hac igitur Dei promissione fretus homo firmiterque de victoria assequenda persuasus, ad Deum crebra oratione recurrat ac purissimae Deiparae Virginis opem frequenter imploret. Renovet etiam quotidie mane firmum debellandae consuetudinis propositum, praemissa brevi aliqua meditatione Christi crucifixi vel novissimorum, ex qua efficaces ad vitandum peccatum hauriet vires. Deinde media necessaria adhibeat, haec nimirum: *a*) Firma voluntate ab initio aures cuilibet suggestioni occludat, brevi facto recursu ad Deum et mente statim alio aversa (a cogitatione enim tentatio exorditur), etsi statim id facere molestum ipsi sit, nullam tamen faciat capiti violentiam; cupiatque omnia venerea nescire ac perpetuae oblivioni tradere [2]. *b*) Omnia removeat incitamenta libidinis, lectiones, colloquia, spectacula quamvis leviter turpia. — Diligenter surgat hora consueta seu ab instanti, quo evigilat, sobrius sit in cibo et potu, animum distrahat, laborem intensum assumat, vitam mollem vitet. Iuvant vellicationes (v. gr. brachii) instante tentatione, gestatio cilicii in femore, inter spirituales personas satis pervulgati [3]. Addi potest nonnihil medicaminis anaphrodisiaci, cuius dosis praescribenda est a medico.

Confessarius huiusmodi hominis animum semper erigat, etsi relabatur, culpam tamen ne extenuet; et postquam bis

---

maria revelatur 2 - 5 hebdomadis post infectionem per parvum ulcus (cancrum) in loco, ubi virus susceptum fuit; secundaria, quae valde contagiosa est, totum organismum lente (per 2 - 5 annos pervadit; tertiaria manifestationes habet potius locales, at valde graviores, et generatim censetur insanabilis.

1 Attamen longe maior pars syphiliticorum luem contraxerunt in coitu licito vel illicito; communius in commercio cum meretrice. Cf. Dr. Blanc, *La sifilis*, p. 13 - 14; Verm., n. 381.

2 Firmiter praesertim abnuat huic suggestioni, quae huiusmodi hominibus identidem recurrit: « Iam me tentatio vincit, peccatum ergo consummabo ».

3 A gestatione cilicii convenit abstinere per aliquot horas post prandium, ut valetudini consulatur; ob eamdem causam cilicium circa cincturam non expedit gestari.

terve ad se venerit, causam mali habitus et tentationum postulet, otiumne sit an colloquia, melancholia, vita mollis, distractionum carentia, familiaritas cum femina, pigritia in lecto, libri, spectacula, potus vini largior, oculorum protervitas etc., ut quid agere debeat, quaenam media ipsi assumenda sint, non generalibus verbis sed bene determinate praescribat.

13° *Luxuriam exerceri fucate* sapienter monet Vermeersch, **219**
qui[1], « luxuriam larvatam » vocat « actus vere a libidine profectos, ac proin directe luxuriosos, sed honestiore quadam specie dissimulatos », qua peccans se ipse decipit praetextu studii scientifici, curae corporis, opem ferendi proximo eumque spiritualiter iuvandi etc.; vera autem causa libido est, quae omnia tentat ut sibi satisfiat, et conscientiam obcaecat. Oportet ergo firmum habere propositum sincere, quod agendum sit, agendi[2] nullique praetextui obsecundandi, et prudentem confessarium consulendi, si videatur aliquid agendum, quod honestiores personae agere non soleant.

14° *Fornicationem habituato in pollutionibus suadere* solent quidam medici conscientiae moralis parum excultae, eum ad meretrices remittendo, immo nec confessarius deest unus alterve, qui idem suadeat, insigniter deceptus illa theoria (n. 96) circa suasionem minoris mali[3]. Vehementer hi errant. Etenim imprimis illa theoria supponit proximum voluntate prorsus determinata ad malum et non posse ullis aliis mediis a malo retrahi; haec autem in casu non verificantur. Praeterea suasio non esset ad minus malum. Nam etsi fornicatio minus peccatum sit quam pollutio, abstracte in malitia « luxuriae », non tamen concrete quoad totam suam malitiam, sive eam obiective consideres sive subiective. Obiective enim fornica-

---

1 *De cast.*, n. 388.

2 Haec propositi sinceritas in eo consistit, quod quis neque inanes timiditates foveat neque fucatis rationibus quidquam concedat. Modestiam colat, sed sine scrupulo; v. gr. si aliquid leviter turpe in lectione offendat, id obiter et impavide percurrat, librum tamen ex intentione talia reperiendi ne arripiat; si aliquid minus pudicum in via oculos offendat, tranquillo animo id ferat viamque prosequatur, ex intento tamen ne immoretur. Immo (Verm., n. 185) si quis in aetate satis iam adulta inquiete torqueatur, quod adhuc ignoret ea, quae ceteri non ignorant, id ex libro scientifico vel ex statua publica, seclusa libidinosa intentione, discat; idem ex alia persona petat numquam.

3 Confessarii isti denuntiandi sunt, prouti eruetur e dicendis de sollicitatione in Sacram. Poenitentiae. Nec excusat quod supponi possit bona fides; de se enim bona fides est mera circumstantia interna, quae nisi ex aliis specialibus adiunctis externis colligatur, attendi non debet; secus, quoniam haec suppositio ordinarie fieri possit, casus dicendus esset ordinarie, ideoque per se non denuntiandus, quod certe falsum est.

tionis luxuria patratur cum alia persona; singulae igitur non suum luxuriae crimen tantum committunt, sed etiam rei fiunt gravis cooperationis ad crimen alterius. Subiective quoque maius peccatum est in intensitate; intensius enim voluntas huic peccato adhaeret quam actui solitario. Praeterea cum homo maiorem iam sentiat excitationem ad libidinem et pudorem magis exuerit, certius relabitur et castitas fit ei in dies magis impossibilis [1].

15° *Pollutionem moralem et physiologicam distinguere* conantur medici quidam omni sensu morali vacui, quasi prior ad voluptatem procurata reprobanda esset, altera sanitatis causa esset licita; videlicet pari modo homicidium distinguere eis liceret morale et scientificum, illud reprobando quod fiat ex odio in inimicum, istud admittendo si fiat scientifici experimenti causa. Nempe non licet ad bonum finem assumere media aliunde mala, quando non obstante fine pergit vera esse ratio, cur dicuntur mala. — Aliunde inanem esse illam distinctionem satis patet ex dictis n. 189, et constat communi asserto theologorum, qui expresse docuerunt pollutionem non licere ne ad servandam quidem vitam, si forte ad vitam necessaria esset, nedum licere merae hygienes causa.

Et mirum valde est medicos exsistere, qui hygienem aut sanitatem memorent ad cohonestandam masturbationem, cum masturbationis effectus quam funesti sint, pleni sint libri [2]. Et quamvis scriptores saepe de masturbationis « habitu » intelligendi sint, manifestum tamen est, quidquid in hac materia concedatur, ad habitum cito ducere, ex quo tam funesta oriuntur consectaria. Immo actum huiusmodi vel unum ex se non posse sanitati prodesse, sed obesse patet ex intrinseca ipsius consideratione. Nam 1° deperditur humor, quem natura non ad procreationem tantum reservat, sed etiam ad promovendam individui evolutionem [3], ad dandum corpori robur et vigorem,

---

[1] Cf. Sanchez, *De Matrim.*, l. 7, d. 11, n. 21; Lehmk., n. 1037. Nimis cito aliqui quemlibet incontinentiae vitio irretitum ad matrimonium pellunt. Nam praeterquam quod plures huiusmodi homines peculiaribus morbis infecti sunt, propter quos a matrimonio, saltem hic et nunc, non raro prohibentur (vide dicenda in Tract. de Matrim. circa impedimenta impedientia late dicta), non raro etiam moralem sensum et affectus adeo hebetarunt, ut non sibi solum, sed etiam comparti et proli infelicissima pernicies futuri sint. Facilius ergo consuli potest matrimonium, nisi specialis causa obstet, cum nondum malus habitus altas radices fixit vel iam exstirpari coeptus est. At ubi inveteravit, non inconsiderate procedendum. Cf. Vermeersch, *De cast.*, n. 207.

[2] Antonelli, *Med. past.*, I, n. 594 seqq.; Capellmann, *Med. past.*, de 6° praec.; Blanc, *La modér. de la libid.*, c. 4; Janet, *Les obsess.*, II, p. 307, 343; Weygandt, *Atlas de Psychiatr.*, p. 123, 231.

[3] Keith, *Human body*, p. 155.

intellectui perspicuitatem [1]. 2° Unus ex praecipuis et vehementioribus instinctis adigitur violenter ad exercitium cum defraudatione sui obiecti cogiturque energias disperdere quasi in vacuum, fere tamquam si famen excitares et deinde eam expleres traiiciendo sphaerulas vitreas. 3° Processus naturalis est sequens: Praeludit actus psycho-cerebralis (v. gr. imaginatio lubrica in somno, sensatio olfactiva, visio alterius sexus); hinc imagines oriuntur in aestimativa, quibus instinctus obiectum recognoscit ut proprium; dein systema nerveum cerebrale (quod immediate subiicitur dominio imaginationis) agit in centrum medullare; tandem reflexus medullaris resolvit organa peripherica [2]. Iam vero masturbator naturalem ordinem prorsus invertit, nam initium quaerit ab excitatione organi, ut iuxta legem reversibilitatis, quae in plerisque complexis phaenomenis psycho-physiologicis invenitur, evocentur ordine inverso ceterae physiologicae phases; unde iam non cerebrum regit reflexum, sed contra eius violentam aggressionem patitur.

16° *Continentiam esse nocivam* dicunt quidam; quod si illi medici sunt, aut imperiti sunt aut mentiuntur. In nullo enim opere medico, ait Prof. Duval [3], reperitur Tractatus « De Pathologia continentiae », haud alia profecto de causa, nisi quia continentia morbos non gignit. Fuere quidem qui in graves nervorum affectiones putati fuerint incidisse ob continentiam; sed hi rari fuere, atque individua erant, ait ipse Duval, in quibus iam prius morbosa stigmata et degeneratio observata fuerant [4]. 220

Age ergo, continentiam per se valetudini non nocere hic nunc nonnullorum testimonio fulciamus praeclarorum medicorum, qui de hac re scripsere. Dr. Feré, « L' inst. sex. », p. 26: « Qui mentem castam servare possunt, hi contineant sese, quin quidquam detrimenti timeant circa testiculorum fecunditatem aut corporis valetudinem ». Et paulo inferius: « Medici periti, qui de Hygiene egerunt, nullum movent dubium de innocuitate continentiae ». Et p. 316: « Cum in Societate medica Lugdunensi ageretur de quodam libro ad apologiam conscripto caelibatus ecclesiastici, huius caelibatus osores nihil obiiciendum habuerunt huic asserto: continentiae nullum morbum esse tribuendum ». — Dr. Blanc, « La modér. de la libid. », p. 12: « Periculosam esse continentiam! Ecquis id credat? etc. ». Dr. Lobedank, (ap. Eschbach d. 5, c. 1): « Dicitur vulgo con-

1 Féré, *L' instinct sex.*, p. 235.
2 Cf. etiam Dr. Blanc, *La modér. de la libid.*, p. 45 sub finem.
3 Ap. Eschbach, *Disp. phys. mor.*, d. 5, c. 1.
4 Idem habes apud Féré, op. cit., p. 27, quoad feminas hystericas.

tinentia sanitati post diuturnum tempus plus minusve obesse. De sententia omnium medicorum, qui huic rei studuerunt, id est omnino falsum ». Prof. londinensis Beale (ap. Féré, p. 26): « Id iterum iterumque proclamandum est, continentiam absolutam cum legibus physiologicis omnino cohaerere ». Inter acta « Conferentiae Internationalis ad prophyllaxim syphilidis etc. » a 150 praeclarissimis medicis habitae Bruxellis 1 - 6 Sept. anno 1902, haec conclusio reperitur *unanimiter* approbata: « Sedulo adolescentibus inculcandum est, castitatem et continentiam non modo non nocere, sed etiam sub respectu medicali esse maxime commendandam ».

Ob continentiam atrophiam induci testiculorum et fecunditatem paulatim exstingui, ut quidam ferunt, falsum omnino est, prout ex allatis testimoniis clare infertur (ea relege), idemque expresse negat Féré, op. cit., p. 25: « Sophistae quidam dicunt nutritionem organorum sexualium pendere ab ipsorum exercitio... Inanis affirmatio... Haec organa aptitudinem suam conservant independenter ab exercitio, et nemo atrophiari vidit testiculos in iis, qui continentiam colunt »; idemque repetit p. 317. Corral y Maestro ap. Blanc, p. 20. « Qui casti sunt, hi omnium optimi patres sunt, hi optimi mariti ».

17° *Continentiam esse impossibilem* dicunt multi, humanarum virium tantum memores et innumerae clericorum atque utriusque sexus religiosorum turbae omnis obliti, quorum etsi non defuerunt qui laberentur, plerique tamen continentiam sancte servaverunt. Utique non potest homo suis viribus relictus diu concupiscentiae luctam sustinere sine clade, atque haec constans fuit doctrina theologorum [1], sed victoria ipsi tantum possibilis est adiuvante gratia, quae profecto obtineri potest [2].

Aliunde illud vulgarium medicorum placitum, homini continentiam esse impossibilem, nequit se scientiae nomine et quasi auctoritate tutari. Contrarium enim diserte asserunt clarissimorum medicorum testimonia [3], quorum pauca adduxisse sufficiat. Dr. Blanc, op. cit., p. 26: « Cuilibet sanae mentis et cordis id (continentiam esse possibilem) nulli dubio subest ». Dr. Fonsagrives (ap. Blanc, ibid.): « Otiosis et helluonibus continentia sane est difficilis; iis vero, qui sacrificium volun-

---

1 Cf. Pesch, *Prael. dogm.*, t. V, prop. XII et XIII.

2 Cf. Pesch, ibid., n. 183, 184, 210, 226, 227, 291 seqq.

3 Non tamen intendimus omnes, quorum testimonia adducimus, significare voluisse continentiam « perpetuam » (cf. v. gr. Féré, loc. cit.). Sed certe possibilem affirmant saltem continentiam diuturnam, v. gr. usque ad matrimonium, idque nobis sufficit in praesenti; nam qui continentiam impossibilem dicunt, significare intendunt eam non posse servari diu, immo immoralem vitam iuvenum tam multorum excusare intendunt.

tarium quaerunt et praemia vigoris psychici et intellectualis, est facilis». Dr. Loewenfeld, (ap. Verm., *De cast.*, n. 42): «Homo normalis, si vitam ducat satis activam et hygienicam, potest in abstinentia sine notabili molestia perseverare». Dr. Féré, op. cit., p. 24: «Nullum dubium quin multi possint absolute abstinere». Dr. Goy, *Dict. d' Apol.* a. Chasteté col. 506: «Nulla homini necessitas physiologica copulae. Castus erit corpore, qui castus esse velit mente. Appetitus venereus expergiscitur per cogitationem et dein erronee interpretamur vocem esse *necessitatis*, quae mera est manifestatio *aptitudinis*. Nulla unquam necessitas exonerandi corpus, at certe necessitas exonerandi phantasiam ab impuris imaginationibus». Plura dedimus in n. 16°, qui enim continentiam dicunt innocuam, eo ipso dicunt possibilem. Nec memoria excidere debet conclusio, quam ibidem n. 16° meminimus, a medicis 150 subscripta inter omnis nationis eminentissimos.

18° *De instructione sexuali filiorum*, opportuna sit an noxia, qualis, qua aetate, quomodo tradenda sit, his praesertim temporibus quaesitum est. Perpensis sententiis praeclarissimorum catholicorum virorum, qui de hoc argumento scripserunt, quid nobis magis probandum videatur, in sequentes conclusiones colligimus: 1° Suprema regula est haec: Filius in ignorantia rei alicuius relinquendus est, si magis noceret cognitio, et quamdiu magis noceret. Proinde: — 2° Quoad tempus. Generatim ignorantia protrahatur, donec ex ea damnum impendeat, quod magis formidandum sit quam periculum, quod ex instructione timeri possit. Instruatur ergo adolescens, qui timetur edocendus a pravis sociis, a quibus seiungi non potest; instruatur iuvenis, qui Universitatem est ingressurus, tum ob imminentia iam pericula, tum ne ob candorem a sociis irrideatur; pariter de legitimi amoris fine et sanctitate edoceatur puella e convictorio egressa, quae ad vanitatem videatur prona et scurrilitatibus iuvenum illaqueanda[1]. — 3° A quo instruendus. Instructionem dare debent ipsi parentes[2], non autem confessarius, nisi in aperta necessitate, ne parentes iuste conquerantur de arrepto sibi iure et forte etiam confessarium calumnientur. Remittendus ergo filius parentibus, in eorum defectu viro vel matronae gravi[3]. — 4° Quomodo instruendus. Non in communi (v. gr. per **221**

---

1 Ruiz, *Educ. de la cast.*, (edit. 1908) p. 49, 110; Gén. S., n. 388 bis; Verm., op. cit., n. 193, 198.

2 Lehmk., n. 942; Ruiz, p. 160; Ernst, Renault et Manjón ap. Ruiz, p. 129 - 135.

3 Consonat Ferr., II, n. 1145 IV *e*.

instructiones scholares), sed privatim [1]. Non modo mysterioso, sed simplici [2]. Sat aperte, sed digne [3]. Sobrie et breviter [4]. Declaratio adiuvetur, ne noceat, seria hortatione ad timorem Dei, ad amorem puritatis e Sanctorum exemplis et SS. Eucharistiae frequentia hauriendum [5]. — 5° Quantum edocendus. Edocendus gradatim seu quantum necesse sit, non amplius. Hinc instructio *circa minus periculosa*, v. gr. circa originem a matre, dari potest pueris plenum rationis usum iam adeptis, si huiusmodi curiositate torqueri videantur [6]. *Circa rem veneream*, v. gr. circa generationem instructio differatur, donec grave periculum immineat, v. gr. si adolescens moraliter a pravis sociis praeveniendus erit [7]. *Circa vitium solitarium* nulla verba fiant, donec ob peculiaria adiuncta valde timeatur lapsus vel seductio aliorum vel prava alicuius instructio, et monitioni addatur gravis sermo de timore Dei [8]. *Circa morbos venereos*, si illicta commercia timenda sunt.

Negotium facessere solent parentibus quaedam filiorum interrogationes, ad quas non semper in promptu est responsio opportuna. Sic puero de origine infantium importune interroganti respondeant Deum cum filium concedere vult, magnum amorem parentibus infundere et tunc filium e matre evolvi sicut florem e planta, nulla tamen facta anatomica mentione [9]. Puellae miranti de menstruo fluxu indicari potest eius finis [10]. Filio interroganti de effusione nocturna id naturale esse dicatur atque iterentur monita, ut, etiam ad vires integras servandas, a tactibus parum modestis abstineat, et si quae dubia occurrant, parentes aut confessarium interroget [11].

Denique cum Cardinalis Episcopus Barcinonensis a S. Congr. Indicis quaereret, quid sentiendum de libris Sylvani Stall « Scienda a puero » et Wood Allen « Scienda a puella », Sanctitas Sua respondit 18 ian. 1908 pueros in Hispania non esse iuxta horum auctorum normas educandos, memoratos libros esse e fidelium, praesertim e puerorum manibus removendos, iniunxitque eidem Cardinali, ut eadem auctoritate S. Congr. Indicis omnibus linguae hispanicae fidelibus communicaret.

---

1 Gén. S., loc. cit.; Ruiz, p. 159.
2 Gén. S., ibid.; Rehm ap. Ruiz, p. 149.
3 Gén. S., ibid.; Ruiz, p. 163 seqq.
4 Lehmk., n. 942.
5 Ruiz, p. 62, 65 seqq.
6 Gén. S., l. c.; Lehmk., l. c.
7 Gén. S., l. c.; Ruiz, p. 153 - 156.
8 Ruiz, p. 118 - 120.
9 Ernst ap. Ruiz, p. 161.
10 Verm., n. 195.
11 Verm., ibid.

Caput 7. DE VII° PRAECEPTO

Praevia quaedam dare oportet initio huius tractatus de VII Dec. praecepto, qui « de Iustitia et Iure in bona fortunae » inscribi quoque posset. 222

Iustitia est virtus inclinans ad suum cuique reddendum. Eius species recensentur *commutativa*, *distributiva* et *legalis*, pro diversitate subiecti habentis et reddentis ius. Nam prior respicit iura privatorum inter se [1]; secunda ordinat communitatem erga eius membra exigitque, ut commoda et onera recte inter eadem distribuantur [2]; tertia ordinat membra erga communitatem qua talem exigitque ut privati ei tribuant, quae ipsi debentur ob motivum boni communis. Adiungunt multi aliam iustitiae speciem, scilicet *vindicativam*, quae delicta convenienter punit per publicam auctoritatem; haec tamen quatenus est in iudice, reducitur ad distributivam, si is consideratur ut agens nomine communitatis, vel ad commutativam, si ut adimplens suum munus ex contractu; quatenus autem est in reo, reducitur ad legalem, quia is praestat aliquid, quod exigit bonum commune.

Cum igitur iustitia, ut infertur ex dictis, sit virtus ad alterum, ideo strictissime prae omnibus iustitiae nomen meretur commutativa, quoniam respicit alterum non moraliter, sed physice, non inadaequate, sed adaequate distinctum; commutativa autem nomen traxit a commutationibus, quia per has solet ius privatorum acquiri, transferri, laedi.

Ius proprietatis est facultas disponendi de re aliqua immediate in proprium commodum. Rem hic intellige latissimo sensu, sive obiecta materialia, sive actiones, omissiones etc. A iure igitur proprietatis distinguitur ius iurisdictionis; nam etsi Superior sua utens facultate forsan aliquando intendat bonum proprium, tamen iussio natura sua respicit immediate commodum subditi vel communitatis, cuius interest ut ab alio regatur, nec iussio valida est, nisi ex se in hoc bonum principaliter ordinetur.

---

1 Potest tamen privatus habere ius contra communitatem eam considerando non quasi totum, cuius ipse est pars, sed quasi privatum a se omnino distinctum, et sic v. gr. pecunias communitati commodare, quod tunc pertinet ad iustitiam commutativam.

2 Saepe aliquis actus ad iustitiam distributivam et simul ad commutativam pertinet, v. gr. si dux milites conducat inito contractu praedam eis distribuendi cum proportione ad cuiusque labores.

223 Ius proprietatis dividitur in *ius in re* et *ius ad rem*.

Ius in re, quod vocatur quoque *ius reale* vel *dominium*, respicit immediate rem ipsam, ita ut qui tale ius habet, possit vi huius iuris seu dominii rem, ubicumque et a quocumque detineatur, sibi vindicare et in quoscumque usus adhibere. Hoc tamen est *ius reale perfectum* seu *dominium perfectum*. Potest enim esse *imperfectum*, duplici praesertim modo: 1° si respiciat solam rei proprietatem, et tunc vocatur *dominium directum* vel *dominium nudum*, quale habet dominus agri, qui hunc alii locavit. — 2° si facultas est ad percipiendam solam rei utilitatem, et tunc vocatur *dominium indirectum* vel *dominium utile;* quae facultas, si data est ad acquirendos fructus rei, vocatur *ususfructus;* proinde usufructuarius potest fructus pomarii vendere, sui enim sunt, non autem pomarium [1]; si vero data ad mere utendum fructibus, vocatur *usus;* proinde usuarius agri potest quidem fructus ad quotidianum usum percipere, non autem eos vendere vel donare.

Potest dominium haberi imperfectum aliis modis, quos nunc omittimus, ut accidit in iure pignoris aut depositi; pignoratarius enim vel depositarius nec dominium rei directum nec utile habent. Possunt item in dominio imperfecto dari gradus, v. gr. si ius utendi non sit stabile, sed ad nutum revocabile, quale habent religiosi circa res, quae in eorum usum conceduntur.

Ius ad rem, quod vocatur quoque *ius personale*, respicit immediate actionem personae; hinc vi huius iuris nondum homo potest rem sibi vindicare, sed tantum personam determinatam obligare, ut v. gr. rem tradat; quare nequit rem repetere, si v. gr. res alteri vendita est; datur tamen ei actio in personam, id est ius exigendi etiam iudicialiter, ut vel rem ab alio emat et tibi tradat, vel ut compenset, quanti tua intererat rem alteri non fuisse venditam. Pariter ius personale est, quod habet dominus in operarios conductos.

Servitus est onus rei immobilis impositum in utilitatem alterius; is dicitur tunc habere ius servitutis activum, rei vero inhaerere servitutem passivam. Servitutes distinguuntur continuae, v. gr. servitus ut rivulus per hunc fundum defluat; vel non continuae, v. gr. ut transitus per fundum pateat sive omnibus sive alicui determinato; item distinguuntur legales, si a lege impositae, conventionales, si ortae ex pacto etc. [2].

---

[1] Usufructuario incumbunt expensae, si modicae sint, ut res in bono statu conservetur; ipse quoque facere debet sumptus ad naturales fructus e re percipiendos et solvere onera ordinaria, quibus res gravatur, v. gr. tributa annua. Usufructuarius potest ius suum vendere, locare, donare; id facere non potest usuarius.

[2] Dominus praedii servientis nihil facere potest ad servitutis

An hodiernae leges civiles in materia iustitiae obligent in conscientia ante sententiam iudicis, quaestio est magni momenti pro theologo, quae haud simplicem patitur responsionem. Solutioni, quam dabimus, sequentia praemittere oportet: 224

Leges in materia iustitiae obligare in conscientia sicut ceteras leges civiles in qualibet materia, nemo est qui ambigat, atque otiosum esset in hoc immorari. Sed obligant quatenus sunt lex, id est eo sensu, quo imponuntur a legislatore. Atque in hoc praecise tota quaestio consistit, quo sensu legislator leges de iustitia condiderit, utrum scilicet iura et obligationes regulando intenderit, ut ea vim exserant in conscientia inter privatos, nullo etiam habito recursu ad iudicem, an vero tantum voluerit regulas dare, iuxta quas quaerelae in foro dirimerentur.

Qua super re opinamur:

1° Legislatores recentiores in huiusmodi legibus condendis respectum ad effectus in conscientia non habuisse expresse, sed fere unice ad forum respexisse. Atque haec videtur etiam esse auctorum praeclarorum sententia[1].

2° Neque tamen legislatores recentiores dicendi sunt nullam in conscientia obligationem producere voluisse. Nam etsi ad huiusmodi obligationem non attenderint expresse, etsi eam neglexerint, immo etsi eam forte ob impia sua praeiudicia irriserint, si tamen leges validas, ad bonum commune et pacem civium atque ad tranquillam iurium compositionem vere utiles, condere voluerunt, implicite in illam conscientiae obligationem, quoties ad bonum commune necessaria est, consenserunt. Hanc enim saepe boni communis procuratio ideoque et legum validitas postulat, hanc civium tranquillitas, quae aliter saepe obtineri non posset. Si leges solum pro foro externo essent[2], non fuisset bene provisum bono communi, potius ad illaqueandas conscientias deservirent.

3° Cum igitur legislator obligationem conscientiae explicite non intenderit, sed tantum implicite, quatenus ad effica-

---

usum minuendum, et vicissim alter nihil facere potest, unde servitus illi fiat gravior. Ut ius servitutis acquiratur praescriptione, opus est ut actus positivi exerceantur, et quidem cum bona fide, id est cum persuasione, quod ad hos exercendos habetur ius.

1 « Hodiernus legislator civilis magis negligere et despicere solet, quid in foro conscientiae obtineat » (Verm., n. 329); « Civiles legislatores ab omni obligatione in conscientia abstrahunt » (Gén. S., n. 128); « Es wird das Naturrecht seinem eigenen Schicksale überlassen », id est, Ius naturale suae sorti relinquitur, ait de Cod. germ. Lehmk., *Das bürg. Gesetzb.*, p. 34.

2 Sic ait Lugo, d. 7, n. 6.

ciam legis pro bono communi procurando requiratur, sequitur non maiorem legibus tribuendam esse vim in conscientia, quam exigat boni communis procuratio per talem legem. Leges igitur hoc sensu sunt strictae interpretationis, omnisque disputatio de efficacia in conscientia pro legibus particularibus, deficiente expressa legislatoris declaratione, in id recidere debet, utrum bonum commune postulet, ut talis lex ante sententiam iudicis vim habeat an secus.

225 Quaestioni igitur propositae, quoties legislator, ut ordinarie evenit, mentem suam aperte non declaraverit, sic erit respondendum:

1° *Post sententiam iudicis* quaelibet lex, sive translativa dominii sive iuris alicuius annullativa etc., vim sortitur in conscientia. Si enim iudicis sententia vere non obligaret essetque mera formula, quam cuilibet pro lubitu transgredi liceret coram Deo, donec ad exsecutionem per vim et arma adigeretur, manifeste publica tranquillitas, ad quam procurandam in societate potestas iudicialis exsistit, non obtineretur. Patet contrarium esse dicendum, si lex bono publico noceret.

2° *Leges, quae directe adscribunt huic aut illi proprietatem*, obligare dicuntur in conscientia ante iudicis sententiam. Putamus tamen opus esse distinctione:

a) *Si proprietatem adiudicant alicui, quasi sanciendo id, quod iure naturae erat valde congruum*, obligant in conscientia ante sententiam iudicis. Huiusmodi sunt leges, quae inventori cedunt dimidiam partem thesauri, patri usumfructum super quibusdam bonis filii, auctori proprietatem litterariam etc.[1].

b) *Si proprietatem ab uno, cuius certo erat, in alium transfert* (v. gr. leges de praescriptione, vel quae fructus adhuc exstantes adiudicant possessori bonae fidei), lex, utpote iuri naturali magis minusve derogativa, stricte est interpretanda, ideoque vis ei concedi non debet, nisi favor iudicis invocetur. Aliunde vero videtur bonum commune postulare, ut vis ei tribuatur ante recursum ad iudicem. Utrumque putamus posse probabiliter sustineri, prouti fusius dicemus ubi de praescriptione. Adverte interim, eo magis probabiliter posse censeri legem vi carere ante sententiam iudicis, quo magis videatur iuribus naturaliter acquisitis opponi; ita v. gr. magis probabiliter censeri poterit vi destitui ante sententiam

---

[1] Aliquando ex ipsa materia, de qua lex agit, aut ex communi timoratorum persuasione constare potest legem esse mere poenalem, v. gr. quae domino tribuit totum thesaurum, si ab alio quaesitus fuit de industria.

iudicis praescriptio brevis, ceteris paribus[1], quam praescriptio longi temporis.

Excipe, si lex (quod raro accidet) iuri naturali prorsus sit contraria, ut puta si vel ipsis furibus praescribere permitteret, sic enim patrocinaretur fraudibus; vel si contraria sit legibus canonicis circa materiam Ecclesiae iure nativo pertinentem, cuiusmodi sunt quae Ecclesiam a bonorum possessione exspoliant vel impediunt, nulla conventione facta cum S. Sede. Huiusmodi leges sunt invalidae.

3° *Leges, quae directe respiciunt actus translativos dominii*, aliae translationem impedire intendunt ob incapacitatem legalem, aliae ob defectum formalitatum. Quaenam autem sit earum vis in conscientia, pendet a voluntate legislatoris; de qua quidem non propterea iam constare putandum est, quod actum contra legem positum appellet « nullum, effectu carentem, nullum ipso iure, invalidum », aut etiam « nullum nullitate absoluta »[2]; quia iuxta plurimorum opinionem non constat de qua nullitate verba intelligenda sint, utrum de civili tantum an etiam pro foro conscientiae[3]. Cum igitur actus, si 226

---

1 Id est nisi specialis ratio accedat, v. gr. necessaria securitas commercii in venditionibus quotidianis.

2 Cf. circa hanc appellationem De Smet, *De spons. et matrim.* n. 478 nota 6.

3 Manifestum est, quod validitatem actus in conscientia Codices non tollunt, donec rescissio vel annullatio invocetur, quando (ut saepe) actus quosdam (v. gr. contractus a minorennibus initos vel ab uxore sine consensu mariti, contractus ex errore, metu, fraude etc.) vocant his appellationibus: « rescindibiles », « annullabiles », « nullos nullitate relativa », « nullos, sed non ipso iure », etc. Clarius C. C. *br.* a. 152: « As nullidades do art. 147 (nempe ob incapacitatem minorennis inter 16 et 20 aetatis annum, vel uxoris ad contrahendum sine consensu mariti, nullitates contractuum ex errore, dolo, fraude etc.) nao tém effeito antes de julgadas por sentença ». Quando tamen bonum commune postulat, ut actus iam ab initio nullus sit in conscientia, hunc sensum intendisse leges censendae sunt. Propterea ex. gr. absolute irritantes habendae sunt leges, quae nullam declarant renuntiationem iuris rescissionis, quam faceret minorennis ab alio coactus; vel renuntiationem aut translationem iuris ad alimenta; vel contractum de patranda re turpi (saltem antequam actus illicitus positus sit); vel conventiones, quibus derogatur aliorum iuri, etsi per solam legem civilem concesso; qualia essent pacta disconformia cum legibus regulantibus iura coniugum, successiones hereditarias etc., si per huiusmodi pactiones laedantur iura filiis a legibus concessa.

NB. — Locos C. C. *arg.* a. 549, *chil.* a. 1470 et *col.* a. 1527, ubi dicitur: « Hay obligaciones que no confieren derecho para exigir su cumplimiento, pero que cumplidas autorizan para retener lo que se ha dado o pagado en razón de ellas », ita debes interpretari: « Istae obligationes non concedunt actionem civilem, ut exigantur (id est, non poterit obtineri sententia iudicialis ad obtinendam

omnia essentialia habent, quibus de iure naturali validi sunt, non debeant censeri a iure positivo invalidati, nisi id clare constet, cumque praeterea homines, etiam probi et timorati, illam legis nullitatem interpretentur in favorem alterius partis concedi esseque illi a iudice obtinendam: ideo in praxi, nisi aliud constet de mente legislatoris, sequentia teneri poterunt:

a) Si actus de iure naturae validus nullus dicatur a lege *ob incapacitatem legalem* alicuius contrahentium, haberi potest ut validus in conscientia, donec nullitas vel rescissio ab altera parte invocetur.

Quare 1°, si quis minorennem vicit in ludo, poterit soluta ab eo retinere, solutionem habens ut validam, nisi tutor re-

---

adimpletionem huiusmodi obligationum, ut manifestum est, quia agitur de civiliter incapaci ad se obligandum vel de contractu carente formis legalibus), sed si incapax vel ligatus obligatione informi solverit voluntarie (id est, nulla vi, dolo aut metu adactus), non prohibebitur alter, ut solutum retineat. Quaenam autem istae obligationes sint, valde oportet accuratius persequi. Propterea integrum locum transcribemus ex C. C. *arg.* a. 549: « Las obligaciones son civiles o meramente naturales. Civiles son aquellas que dan derecho a exigir su cumplimiento. Naturales son las que, fundadas sólo en el derecho natural y en la equidad, no confieren acción para exigir su cumplimiento, pero que, cumplidas por el deudor, autorizan para retener lo que se ha dado por razón de ellas; tales son: 1° Las contraídas por personas que, teniendo suficiente juicio y discernimiento, son sin embargo incapaces por derecho para obligarse, como son la mujer casada, en los casos en que necesita la autorización del marido, y los menores adultos. 2° Las obligaciones que principian por ser obligaciones civiles y que se hallan extinguidas por la prescripción. 3° Las que proceden de actos jurídicos, a los cuales faltan las solemnidades que la ley exige para que produzcan efectos civiles; como es la obligación de pagar un legado dejado en un testamento, al cual faltan formas substanciales. 4° Las que no han sido reconocidas en juicio por falta de prueba, o cuando el pleito se ha perdido, por error o malicia del juez. 5° Las que se derivan de una convención que reúne las condiciones generales requeridas en materia de contratos, pero a las cuales la ley, por razones de utilidad social, les ha denegado toda acción; tales son las deudas de juego ». Et a. 550: « El efecto de las obligaciones naturales es que no puede reclamarse lo pagado, cuando el pago de ellas se ha hecho voluntariamente por el que tenía capacidad legal para hacerlo ». — C. C. *chil.* a. 1470 et *col.* a. 1527 eadem omnino dicunt, quae habentur in nuper transcripto a. 549 Codicis *arg.*, usque ad dimidiam partem incisi 4ⁱ, omissa altera parte huius incisi et inciso 5°. Haec confirmant iidem C. C. *chil.* a. 2296 et *col.* a. 2314, ubi aiunt: « No se podrá repetir lo que se ha pagado para cumplir una obligación puramente natural, de las enumeradas en el art. 1470 (vel respective 1527) ». Quando autem addunt C. C. *chil.* a 1471 et *col.* a. 1528: « La sentencia judicial que rechaza la acción intentada contra el naturalmente obligado, no extingue la obligación natural », id intellige praesuppositive, seu supposita huiusmodi obligationis exsistentia in conscientia, non autem definiunt an reipsa exsistat. — Eadem fere

scissionem obtineat a iudice[1]. 2° Minorennis victus in ludo poterit (si bona fide egit)[2] solutionem denegare, nixus sua incapacitate legali ad contrahendum[3]. 3° Si minorennis solvit, non poterit quidem soluta occulte auferre, quoniam solutio probabiliter fuit valida[4]; poterit tamen tutor incapacitatem minoris invocare, prout lex tutoribus concedit, et rescissionem petere. Obtenta sententia favorabili huic omnino standum erit in conscientia ab altera parte; quod si soluta reddere recuset, licebit occulta compensatio.

b) Si actus de iure naturae validus nullus dicatur a lege *ob defectum formalitatum*, poterit actus, ante sententiam iudicis et antequam solutio peragatur, haberi validus vel invalidus, **227**

---

continent sequentes articuli C. C. *gall.* a. 1235: « Tout payement suppose une dette: ce qui a été payé sans être dû, est sujet a répétition. La répétition n' est pas admise à l' égard des obligations naturelles qui ont été volontairement acquittées »; a. 1340: « La confirmation ou ratification, ou exécution volontaire d' une donation par les héritiers ou ayants cause du donateur, après son décès, emporte leur renontiation à opposer soit les vices de forme, soit toute autre exception »; a. 1967: « Dans aucun cas, le perdant ne peut répéter ce qu' il a volontairement payé, à moins qu' il n' y ait eu, de la part du gagnant, dol, supercherie ou escroquerie ». Cf. etiam a. 1186. — Cum his congruit C. C. *br.* a. 970: « Nâo se pode repetir o que se pagou para solver divida prescripta, ou cumprir obrigaçâo natural ». — Denique C. C. *mex.* a. 1679: « La ratificación y el cumplimiento voluntario de una obligación, nula por falta de forma o solemnidad, en cualquier tiempo en que se hagan, extinguen la acción de nulidad; exceptuándose los casos en que la ley expresamente dispone lo contrario ».

Ex hucusque dictis apparet clare, quod saepe Codices, cum multas obligationes vocant « nullas », non intendunt loqui nisi de nullitate civili, quin obligationem naturalem, si qua est, auferre intendant.

1 Sed si tutor repetit, quod minorennis solverat, et videtur certo iudicem aditurus certoque obtenturus rescissionem, exspectari non debet, donec sententiam reapse obtineat; nam caritas tunc iubebit eum ad molestias iudicii inutiliter non adigere; praeterquam quod, qui ita inutiliter alium ad iudicium adigeret, quando lex ei adeo clare favet, ad utriusque partis expensas damnaretur.

2 Id est, dummodo contractum non inierit cum mala fide seu cum intentione invocandi postea nullitatem cum alterius damno.

3 In Brasilia minorennis, 16 aetatis anno iam expleto, et uxor contrahens sine consensu mariti videntur non posse denegare solutionem, quia lex nullitatem in casu non vult sortiri effectum ante sententiam iudicis, iuxta C. C. *br.* a. 152 supra citatum. Quia tamen possunt rescissionem invocare tutor vel alii, quibus lex concedit, facile poterunt obligationem solvendi declinare.

4 Iuxta C. C. *arg.* a. 549, *br.* a. 970, *chil.* a. 1470, *col.* a. 1527, *gall.* a. 1235, *mex.* a. 1679, fuit certo valida, ut deducitur ex dictis supra circa hos Codicum Civilium articulos; poterit tamen tutor rescissionem petere.

prout cuiuslibet intersit, propter sententias probabiles auctorum[1]. Peracta autem solutione[2] non licet se compensare, si alter quod solutum iam fuerat reddere non vult[3].

Quare 1° Heres potest legatum informe habere ut invalidum in conscientia illudque non solvere. 2° Poterit legatarius illud habere ut validum in conscientia, etiam ante sententiam iudicis, ideoque licebit solutionem petere ab herede, etsi favoris legis ignaro[4]. 3° Si heres legatum solvat, non poterit deinde, favoris legalis iam conscius, solutum repetere, quia favor legis erat tantum, ut liceret non solvere; at peracta solutione favor legis cessat.

Art. 1. De subiecto dominii.

228 I. **Filiifamilias,** iuxta leges fere ubique vigentes. intelliguntur non solum qui e legitimo toro nati sunt, verum etiam qui per subsequens matrimonium sunt legitimati, dummodo in statu subiectionis adhuc maneant. Status autem subiectionis cessat, si filius ad maiorem pervenit aetatem (hanc determinat lex civilis)[5], vel si matrimonium contrahit, vel si a parentibus emancipatur, vel si parentibus orbatur ea aetate, qua iam emancipatio concedi potuit. Num ad effectum, de quo agimus, requiratur ut matrimonium ineatur ex consensu parentum, vel ut emancipatio fiat scriptura publica, e iure cuiusque regionis hauriendum est.

---

1 Inter quos magnum fuit dissidium in interpretando Iure antiquo. Cff. Molina l. 1, d. 81; Lugo, d. 22, s. 9; Sanchez, *Cons. mor.*, l. 4, c. 1, d. 14; Lessius, l. 2, c. 19, n. 32. Horum opiniones modernis Iuribus adaptantur plene. Ball. P., tr. 8, p. 3, c. 1, n. 24-44; Lehmk., *Das bürg. Gesetzb.*, p. 29, seqq.; Vermeersch, *De Iustitia*, n. 329; Gén. S., n. 594; Ferr., n. 648.

2 Peracta solutione actionem repetitoriam denegant C. C. *arg.* a. 549, *chil.* a. 1470, *col.* a. 1527, *gall.* a. 1340, *mex.* a. 1679, prout citavimus supra.

3 An vero is, cui defunctus reliquit legatum informe, possit occulte se compensare ab herede legatum solvere renuente, est quaestio valde diversa, de qua vide in n. 247 nota.

4 An eo solvere renuente liceat occulta compensatio, vide n. 247 nota.

5 Ad maiorem aetatem requiruntur iure *arg.* anni 22 expleti, *br.* 21 expl., *chil.* 25 expl., *col.* 21 expl., *gall.* 21 expl., *hisp.* 23 expl. (in diversis tamen Hispaniae regionibus viget ius forale haec et alia multa satis immutans; sic in Aragonia ad maioritatem exiguntur tantum 20 anni, in Cathalaunia, Navarra et Vasconia 25), *lus.* 21 expl., *mex.* 21 expl., *ur.* 21 expl. (lex tamen *ur.* feminis ante 30. annum discessum prohibet a paterna domo absque parentum consensu, nisi in casibus, de quibus cf. a. 258).

Iure canonico persona, quae vicesimum primum aetatis annum explevit, maior est; infra hanc aetatem minor (can 88).

Quaenam iura filiifamilias habeant in sua bona, ex iure vigente itidem discendum est, cuius dispositiones in conscientia observari debent. Pleraque iura administrationem omnium bonorum parentibus concedunt, immo et quoad bona, quae filio aut intuitu filii dantur, etiam usumfructum [1].

Generatim quaestiones a confessario solvendae spectant ad *ius, quod filii familias sibi usurpant in lucrum laboris sui.* Circa quae haec teneto:

1° *Filii, qui extra domum laborant*, v. gr. in fabrica, generatim totum lucrum parentibus debent, idque duabus de causis, vel quia iis resarcire debent (ex iustitia) expensas, quas subeunt in illis alendis, vestiendis etc., vel quia subvenire debent (ex pietate) parentum fratrumque necessitatibus. Quomodo autem peccet filius, qui aliquid retineat, postquam his duabus obligationibus satisfecerit (v. gr. si salarium lucretur valde pingue, vel si talis sit condicionis, ut pater talem laborem ab eo rationabiliter non possit exigere, et ipse nihilominus voluntarie laboret, vel, quod in idem recidit, si laborem assumat plane extraordinarium, puta laborando ultra horas consuetas vel die festo nuntios deferendo), pendet a dispositionibus Iuris civilis. Generatim, quoniam in haec bona filio dominium agnoscitur [2], peccatum provenit tantum ex eo, quod parentibus defraudatur ius administrationis aut etiam ususfructus [3]; ex sola tamen defraudata administratione difficile pervenitur ad mortale.

Videndum tamen an parentes filio indulgeant, ut salarii aliquid retineat.

---

1 Haec tamen pro variis regionum legibus non parum diversa sunt. Cf. C. C. *arg.* a. 321-324, 327-329, 331, 332; *br.* a. 385, 386, 389-391; *chil.* a. 243-256, 256, 268; *col.* a. 291, 292, 294, seqq.; *gall.* a 384, 387, 389 (lex 6 apr. 1910 et 2 iul. 1907); *hisp.* a. 159-162, 164 ad 166; *lus.* a. 137, 144-147, 150; *mex.* C. C. a. 374-380, 382 et a. 247-250, 252 Legis de Rel. fam.; *ur.* a. 244-247, 249.

2 Ita agnoscitur implicite a iure *arg.* a. 321, *br.* a. 391 (quoad bona acquisita a filio in servitio militari, magisterio aut quovis alio officio publico), *chil.* a. 243, *col.* a. 291, *gall.* a. 387, *hisp.* a. 160, *lus.* a. 145, explicite *mex.* a. 378, *ur.* 244.

3 In haec bona industrialia utrumque (usumfructum et administrationem) concedit parentibus ius *hisp.* a. 160, nisi filius de eorum consensu independenter vivat, vel sit tantum recognitus vel adoptivus. Ius *lus.* a. 145 usumfructum parentibus cedit; si tamen filius seorsum a parentibus vivit de isporum consensu, vel si agitur de lucro ex exercitio armorum, litterarum aliusve artis liberalis, non administratio solum sed etiam usufructus pertinet ad filium, ex a. 147. Parentibus administrationem tribuunt, usumfructum filio ius *arg.* a. 321, 322, 327, *gall.* a. 387, 389 (lex 6 apr. 1910). Denique ipsi filio tum usufructum tum administrationem *br.* a. 391, *chil.* a. 243, 247, *col.* a. 294, *mex.* a. 378, *ur.* a. 244, 245.

2° *Filius domi laborans aut aliter negotia patris gerens* lucrum totum patri acquirit. Attamen iuxta sententiam probabilem potest (si gratis id facere nolit) sibi pretium vindicare laboris sui, quasi famuli cuiuslibet, sed *a*) debet ex hoc pretio compensare expensas parentum pro se alendo etc. et subvenire familiae necessitatibus, ut supra diximus; *b*) generatim non potest in minoritate vindicare sibi quod, illis expensis deductis, supersit, quia, ut diximus, laederet ius paternum ad administrationem vel etiam usumfructum; *c*) nihil potest sibi vindicare, vel non tantam quantitatem, si pater negotium gessisset per se vel si alium invenisset, qui gratis vel minoris operam praestitisset; *d*) videndum, ne filius bis mercedem recipiat, si nimirum pater in testamento remunerationem laboris ei relinquat.

Filius qui clam patre cum eius bonis proprio nomine negotiatur, illicite agit, tum quia bona aliena usurpat, tum quia ordinarie non habet unde respondeat pro periculo sortis. Lucrum tamen negotiationis suum facit, sed *a*) debet patri compensare expensas sustentationis, quoniam pater non intendit gratis alere filium bona propria habentem; *b*) debet, si pecunia apud patrem mansura non erat otiosa, ei compensare reditus aliave damna secuta; *c*) debet patri cedere ius administrationis vel etiam usumfructum, iuxta leges.

229 II. **Uxor** et maritus ea iura habent in bona sua, quae ante matrimonium ex pacto constituerint[1].

Quod si nullum speciale pactum inierunt, lex supplet constituitque quoddam « regimen societatis legalis coniugalis », distincte statuto quid iuris tunc cuique competat[2]. Ad hoc

---

1 Ita statuunt quoad substantialia omnia Iura; nam coniuges ante matrimonium permittuntur, maiore vel minore amplitudine, conventiones seu capitulationes inire circa modum, quo regantur; C. C. *arg.* (qui tamen hanc paciscendi facultatem valde coarctat) a. 1251, 1260, *br.* a. 256, *chil.* a. 1715, *col.* a. 1771, *gall.* a. 1387-1390, *hisp.* a. 1315, *lus.* a. 1096, *mex.* a. 1968, *ur.* a. 1912-1914.

Huiusmodi tamen conventiones post matrimonium reformari nequeunt: C. C. *arg.* a. 1253, *br.* a. 256, *chil.* a. 1722, *col.* a. 1778, *gall.* a. 1394, *hisp.* a. 1319, *lus.* a. 1105, *ur.* a. 1916. Circa Ius *mex.* vide mox dicenda.

2 Ita reperire est in modernis Iuribus. Nam quoad ea, super quibus speciales conventiones non sunt factae, eo ipso lex coniuges subiicit speciali regimini, quod vocat « societatis coniugalis, legalis, lucrorum, iuxta morem nationis etc. »: ita C. C. *br.* a. 258, *chil.* a. 1718, *col.* a. 1774, *gall.* a. 1387, 1393, *hisp.* a. 1315, *lus.* a. 1098, *ur.* a. 1915. Sed C. C. *arg.* omnia matrimonia subiicit eidem regimini « societatis coniugalis »; coniugibus enim facultatem concedit ineundi capitulationes matrimoniales tantum circa pauca, ut nuper diximus.

autem « societatis legalis » regimen constituendum generatim Codices Civiles, antiqui Iuris Romani vestigia prementes, tria bonorum genera distinguunt[1]: 1° *Dotalia*, quae mulier coniugio affert, ut eorum fructibus matrimonii onera ferantur. Dota-

---

Porro, quibusnam regulis subdatur istud regimen legale, tradit C. C. *arg.* a. 1295 seqq., *br.* a. 262 seqq., *chil.* a. 1725 seqq., *col.* a. 1781 seqq., *gall.* a. 1399 seqq., *hisp.* a. 1392, *lus.* a. 1108 seqq., *ur.* a. 1924 seqq.

[1] Iure *arg.* nulla bona « paraphernalia » dicuntur, sed omnia uxoris bona considerantur « dotalia » eorumque administratio penes maritum est (a. 1310). Permittitur tamen, a. 1251-1260, ut mulier in pactis, quae ineat ante matrimonium, sibi reservet administrationem alicuius partis suorum bonorum.

Ius *chil.* et *col.* hanc triplicem bonorum distinctionem per se non faciunt, quia dotem in « societate coniugali » non praescribunt (*chil.* a. 1725, *col.* a. 1781), dotem tamen constitui permittunt (*chil.* a. 1786, *col.* a. 1842) eamque sub nomine « donationum matrimonii causa » seu sub condicione ineundi matrimonii iisdem regulis, quibus ceteras similis indolis donationes, subiiciunt (*chil.* a. 1789, *col.* a. 1845).

Iure *hisp.* ex obligatione a parentibus constituenda est dos, quae saltem dimidiam partem attingat legitimae praesumptae (vel annui reditus quantitati aequivalenti respondentes), nisi filia minor nubat sine illorum consensu (a. 1340-1342). Si tamen filia propria bona habeat, dotem parentes tantum usque ad quantitatem praedictam supplere debent; dos uxori restituenda est soluto connubio (a. 1365).

Iura *br.*, *gall.*, *lus.*, in pluribus similia sunt. Nam iure *br.* coniuges, si capitulationes antematrimoniales non iniverunt, subiiciuntur regimini «communionis universalis»; integrum tamen illis erat elegisse regimen « communionis partialis », vel « separationis bonorum », vel « regimen dotale », quorum singulorum statuta dat Codex a. 269-311; tantum in hoc postremo fit distinctio dotis et bonorum paraphernalium; illa administratur a marito (a. 289), haec ab uxore (a. 310). Similiter ius *gall.* deficientibus pactis antematrimonialibus coniuges subiicit regimini « communitatis legalis », qui tamen eligere potuissent regimen « communitatis conventionalis » (seu « legalis » cum quibusdam modificationibus, quarum praecipuas recenset a. 1497), vel potuissent « communitatem excludere », vel eligere « separationem bonorum », vel « regimen dotale »; quibus autem regulis singula huiusmodi regimina subiicienda sint, constituit Codex a. 1497-1581; sub « regimine dotali » dotis administrationem et usumfructum tradit marito a. 1549, paraphernalium bonorum administrationem et usumfructum uxori, a. 1576, quae tamen nequit ea alienare sine consensu mariti vel, eo recusante, iudicis.

Pariter iure *lus.* matrimonia, quae speciales conventiones non inierunt, consideratur contracta « iuxta morem regionis », potuissent tamen coniuges eligere « regimen separationis bonorum », sub quo tamen non intelligitur, nisi expresse id dixerint, separatio lucrorum, vel « regimen communitatis solum lucrorum »; vel « regimen dotale »: horum statuta dat Codex a. 1125-1165; mobilium dotalium administrationem cedit marito (a. 1148), paraphermnalium bonorum uxori, horum tamen ususfructus est coniugibus communis (a. 1153).

libus accensent nonnullae leges bona quaedam, quae uxori durante matrimonio obveniunt. Dotalium administratio marito datur, sed soluto connubio haec bona ad uxorem redeunt. 2° *Paraphernalia*, quae uxor sibi reservat, quin doti adiungat. 3° *Communia*, quae quasi in communem acervum iaciuntur ad domus sustentationem. Haec constituere solent salaria, lucra etc. durante matrimonio obvenientia. Deficiente pacto speciali statuere solent leges, ut durante matrimonio communium bonorum administratio sit penes maritum, dissoluto autem matrimonio per partes aequales ea ambobus dividantur[1].

Ad praxim sequentia teneri poterunt:

1° Ius habet uxor ad honestam sustentationem iuxta condicionem suam, id est ad alimenta, vestitum, moderatas eleemosynas, donationes et recreationes. Quare denegante marito ea sibi comparare potest intra terminos apud timoratas mulie-

---

Ius *ur.* dotem admittit, quae ante vel post matrimonium constitui potest, non ex obligatione, a. 1999, 2001; dotis administratio est penes maritum, a. 2007.

C. C. *mex.* facultatem quidem dat coniugibus ad ineundas matrimoniales conventiones ante vel post contractum coniugium, hasque reformare possunt de consensu omnium, quorum interest, (a. 1979, 1982); his deficientibus coniuges regendi erunt iuxta statuta « societatis legalis » (a. 1968), quae traduntur in a. 1999 seqq., nisi coniuges malint eligere « regimen separationis bonorum », cuius statuta habentur in a. 2072 seqq.; dos constitui potest sive ante sive post matrimonium (a. 2120) eiusque administrationem et usumfructum maritus habet (a. 2137). Verum haec omnia Codicis statuta sustulit Lex de Rel. fam., in cuius a. 270 decernitur, ut in omnibus matrimoniis quisque coniugum propriorum bonorum, quae in actu celebrationis matrimonii habet, non proprietatem solum, sed etiam administrationem et usumfructum retineat, itemque, a. 271, ut ad unumquemque pertineant salaria, honoraria, lucra ex fungendis servitiis, professione, commercio etc. obtinenda; facultas tamen datur, ut coniuges, sive ante sive post contractum matrimonium haec omnia reforment, iuxta regulas tamen, quae a. 272 seqq. traduntur.

[1] Ita profecto de lucris, salarii etc., salva speciali conventione coniugum, statuitur iure *arg.* a. 1306, 1310, 1349, *br.* a. 262, 266, 271, 274, *chil.* a. 1725, 1749, 1774, *col.* a. 1781, 1805, 1830, *gall.* a. 1401, 1421 (soluto tamen convictu per divortium, vel per corporum et bonorum separationem, vel obtenta bonorum tantum separatione, facultas fit acceptandi regimen « communitatis » vel ei renuntiandi (a. 1453); si acceptetur, partitio tum bonorum tum debitorum fit iuxta statuta in a. 1467 seqq.), *hisp.* a. 1401, 1412, 1392, *lus.* a. 1108, 1117, 1123, *ur.* a. 1929, 1944, 1945, 1984. Item C. C. *mex.* a. 2008; maritus tamen non potest immobilia communia alienare vel obligare, nisi de consensu uxoris, aut ea irrationabiliter renuente iudicis, a. 2024-2026; communia tamen uxor administrare potest de consensu aut in absentia mariti, a. 2031. Sed haec Codicis *mex.* statuta sublata sunt per Legem de Rel. fam., iuxta quam, ut diximus, lucra omnia sunt lucrantis, nisi aliud stipulatum fuerit.

res paris condicionis usitatos. Immo nec ea tenetur semper a marito petere, quoniam non est eius serva sed socia.

2° Potest, si maritus bona communia profundit, necessaria abscondere, ut sibi et filiis provideat. Potest quoque maritum supplere in iis, quae ille negligit, v. gr. pecuniam transmittere ad filium, qui de consensu patris extra domum studet nec satis a patre accipit.

3° In casu gravis necessitatis parentum, filiorum prioris matrimonii et (probabiliter) fratrum aut sororum debet uxor (nisi leges aliud statuant) [1] eis subvenire ex propriis bonis, si quorum habeat liberam administrationem; eis tamen applicare potest consuetas eleemosynas, quae ex bonis communibus facere potest. Si nullorum bonorum liberam administrationem habet, potest eisdem succurrere ex bonis communibus, sed tunc ab aliis eleemosynis faciendis abstinere debebit.

4° Maritus bona paraphernalia uxoris dissipans vel eius dotem laedit sane iustitiam commutativam atque ad restitutionem obligatur. Idem dic, si bona communia modo a lege prohibito alienat. Sin autem aliter bona communia laedat, laedit quidem caritatem; utrum autem et iustitiam commutativam, pendet ex praescripto legis, vi cuius uxor vel statim acquirat condominium cum marito vel dimidiae bonorum partis dominium non habeat ante solutum matrimonium.

III. **Clericus** si beneficiarius sit, « etsi alia bona non bene- **230**
ficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus, qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis » (can. 1473).

Igitur clerici libere quidem disponere possunt, sicut alius quivis, de bonis suis, sed obligatione tenentur expendendi in

---

1 Iure *arg.* a. 1309, *chil.* a. 1740, *col.* a. 1796, *hisp.* a. 1408, *ur.* a. 1939, si coniuges reguntur iuxta statuta illius regiminis legalis, quo Ius supplet defectum specialium conventionum antematrimonialium, filii legitimi alterutrius coniugis sustentandi sunt ex bonis communibus, ideoque id potest facere coniux, etiamsi bona propria habeat. In aliis casibus, id est quando lex de hac re silet (ut accidit in iure *br.*, *gall.* et *lus.*), uxor ex propriis bonis eos sustentare debet, nisi aliud de hac re cum marito pactum fuerit; sin autem bona propria non habet aut administrare non potest, tunc licet in hunc finem impendere consuetas eleemosynas, quas ex bonis communibus facere potest, ut supra diximus, nec tenetur defuncto marito id detrahere de dote, quam recuperat, aut de parte bonorum communium, quae ipsi obtingunt, nisi consuetas eleemosynas notabiliter excesserit. — Iuxta C. C. *mex.* a. 2044 filii prioris matrimonii ex bonis communibus quoque sustentandi sunt, sed Lex de Rel. fam., ut diximus, haec abolevit et bona communia, seclusa speciali conventione, non agnoscit. — Cf. dicta n. 168, 2°.

pauperes aut pias causas, quod ipsis supersit, honesta sustentatione detracta, de reditibus beneficialibus [1].

Ut autem haec obligatio recte intelligatur, adverte:

1° Quae dicuntur de reditibus beneficii, intelligenda sunt pariter de reditibus, quae illorum locum tenent; huiusmodi sunt reditus, qui a Gubernio Hispaniae solvuntur parochis aliisque beneficiatis; bonis enim ecclesiasticis olim direptis subrogantur [2]. At non sunt reditus beneficiales ii, qui a Gubernio solvuntur parochorum coadiutoribus, quoniam hi beneficiati non sunt nec antea fuerunt. Bona ecclesiastica esse desinunt pensiones ex alieno beneficio perceptae, quia pensionario applicatae iam in pium usum, cui destinabantur, impensae sunt. Denique bona ecclesiastica sunt distributiones chori, iura stolae [3] intra fines taxae dioecesanae (can. 1410) [4], non autem spontaneae fidelium oblationes, stipendia Missarum etc.

2° Clericus etsi aliunde opulentum habeat patrimonium, ius habet procurandi sibi e bonis proprie ecclesiasticis honestam sustentationem, cuius nomine comprehenduntur etiam honestae recreationes, moderatae donationes etc. iuxta suam dignitatem.

3° Quidquid clericus de praedictis bonis detrahit parcius vivendo, in libera eius potestate manet [5].

4° Superfluum illorum bonorum tenetur erogare in pauperes aut alia pia opera, ut constat ex iure canonico. Quae obligatio censenda est, ex can. 6, 2°, eiusdem esse naturae ac in iure veteri, ideoque probabilius non ex motivo iustitiae imposita, sed solum adimplenda ex obedientia erga praeceptum grave Ecclesiae: talis enim erat opinio probabilior in iure ve-

---

1 Bona clericorum quadruplicis generis distingui solent:
1° *Patrimonialia*, quae clericus possidet ut persona privata v. gr. ex hereditate, donatione, officio docendi etc.
2° *Quasi-patrimonialia*, quae ipsi obveniunt occasione sacrarum functionum, v. gr. stipendia pro Missis.
3° *Ecclesiastica* seu reditus beneficii.
4° *Parsimonialia*, seu quae clericus parce vivendo seponit e reditibus beneficii, quos honeste vivendo consumere potuisset.

2 Idem declaraverat S. Poenit. 19 aug. 1821 pro pensionibus, quas olim Gubernium Galliae solvebat pastoribus et canonicis. Similem declarationem protulit *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 843: « Pensiones, quae a guberniis solvuntur beneficiariis, rationem redituum beneficialium habent ».

3 Iura stolae dicuntur ea, quae parocho ut parocho ex funeribus etc. solvuntur, etsi iis non adstiterit.

4 Verm., Creus. II, n. 743.

5 S. Alph., n. 491.

teri, quam tenebant multi [1] auctoritate nixi Conc. Trid. [2], e cuius verbis deducebant beneficiatos facere fructus beneficii suos, proindeque reditus in eorum dominium transire. Si igitur in sola obedientia obligatio nititur, ad eius transgressionem gravem quantitas requiritur multo maior quam in furto, nec ad restitutionem tenetur clericus, qui ea bona male impendisset, nisi ea retineret in aequivalenti.

5° Clericus expensas faciens superfluas censetur, nisi aliud constet, ea facere velle ex bonis propriis.

Ceterum cum hodierna beneficia tam exiguos habeant reditus, praedicta obligatio vix iam in praxi locum reperit. Clericus autem si aliunde abundat bonis, videat ut ea eo modo expendat, qui in aedificationem fidelium cedat.

IV. **Auctor** ius habet in partum ingenii sui (librum, pic- **231**
turam, rhythmum musicum etc.) atque in emolumentum, quod ex eius divulgatione parari potest. Laedit igitur iustitiam, qui inventoris secretum propalat aut manuscriptum sine auctoris consensu aut magistri lectiones publicas typis edit eique tenetur damna quae secuta fuerint, compensare.

Ad restitutionem quoque teneretur, qui auctoris opus denuo typis committeret sine consensu auctoris aut eorum (heredum vel bibliopolae), quibus editionis ius quaesitum est. Leges enim positivae, quae determinant ius proprietatis in opera, quae evulgantur sive in propria natione [3] sive (per conventum internationalem) in extera [4], in conscientia ante sen-

---

1 VÁZQUEZ, MOLINA, LUGO etc.

2 Conc. Trid. sess. 23 c. 1, de ref. et sess. 24 c. 1.

3 Fere ubique leges tuentur iura proprietatis in partus litterarios vel artisticos, qui intra sui territorii fines eduntur. Iure *arg.* art. 5° legis n. 7092 die 23 sept. 1910, auctori agnoscitur ius proprietatis per totam eius vitam, post eius vero mortem eius successoribus seu ius habentibus per 10 annos, pro operibus autem posthumis per 20 annos; iure *br.* a. 649 ius auctoris est vitalitium et eo mortuo perdurat adhuc 60 annis; iure *col.* Const. tit. III, a. 35 et *hisp.* lege 14 ian. 1879, ius est quoque vitalitium subsistitque post mortem auctoris 80 annis; iure *gall.* lege 14 iul. 1866 et *lus.* a. 576 579, ius auctoris durat post eius mortem adhuc 50 annis; iure *mex.* a. 1138, 1139, 1192 ius auctoris transit eo mortuo in eius heredes vel subsistit in iis, quibus translatum fuerat.

4 Nationes, quae iura litteraria tuentur suorum subditorum in proprio territorio, curant generatim, ut ea quoque tuta sint extra illud. Ad hoc pacta inire solent cum nationibus finitimis vel cum iis, quibuscum frequentior communicatio est. Sit in exemplum: Hispania *pactum huiusmodi* iniit cum Lusitania, Hollandia, Rep. Argentina, Colomb., Mexic. etc., praetereaque *mutuam pactionem* inierunt Anglia, Belgium, Gallia, Germania, Hispania, Italia, Status Fed. Americae Sept. Iuxta hanc pactionem mutuam duratio iuris auctoris in opus editum ante 13 nov. 1908 non potest esse

tentiam iudicis servandae sunt (n. 225, 2°). An vero deficiente lege positiva similis obligatio vigeat de iure naturali, affirmant Ball. P. et Lehmk.; id tamen dici potest minus certum, saltem quando auctor conveniens lucrum iam perceperit ex prima editione [1].

Leges positivae solent quoque tueri iura versionis et in conscientia servandae sunt. Illis deficientibus magis dubia esset obligatio de iure naturae, saltem si lucrum a translatore perceptum non superasset aestimationem sui laboris.

Art. 2. De acquisitione dominii.

232 Dominium variis titulis acquiri potest, qui ad quatuor revocari possunt, nempe occupatione, accessione, praescriptione, contractu. Postremus fusiorem tractationem inferius obtinebit.

I. **Occupatio** est effectiva rei apprehensio cum animo eam faciendi suam. Porro bona, quae occupantur, vel domino carent (vocantur «bona nullius», et haec sunt, quae vel nondum occupata fuerunt vel derelicta sunt a domino cum animo ea non amplius possidendi, vel sunt ab heredibus vacantia) vel dominum quidem habere praesumuntur, sed is ignoratur (bona amissa) [2].

1. *Bona, quae domino carent*, fiunt primi occupantis, bona tamen vacantia a legibus civilibus solent certis finibus destinari. Speciatim quaedam dicenda de occupatione animalium et thesauri.

Animalia mansueta seu domestica, ut gallinae, equi, oves etc., ad dominum pertinere non desinunt, quamvis aberrent, ideoque non possunt ab alio occupari; habent enim se sicut libri, vestes aliave domini mobilia.

Animalia mansuefacta, seu quae hominis industria naturalem feritatem abiecerunt, ut aves cicuratae, columbae, apes etc. nequeunt ab alio occupari, nisi deserta custodia consuetudinem revertendi ad dominum amiserint; tunc enim viderentur amisisse id, per quod censebantur esse sub illius dominio. —

---

maior quam in ea natione, in qua editum fuit, vel (si in pluribus fuit editum) quam in natione, in qua minor fuerit; quoad opera vero edita ante 13 nov. 1908 ius post mortem auctoris perdurat 50 annis, nisi haec duratio fuerit minor in loco, ubi opus in lucem prodiit.

[1] Hanc quaestionem fuse et bene versat Verm., *De Iust.*, n. 246 seqq. Cf. etiam Waffelaert, *De Iust.*, I, n. 171 seqq.

[2] Igitur bona amissa non sunt, quae post naufragium mare reiicit in litus, sed noto domino reddi debent.

Non licet ergo columbas alienas fraude attrahere, v. gr. apposito cibo valde exquisito, nec licet eas occidere, nisi inferant grave damnum et facile abigi non possint[1].

Animalia silvestria, seu quae naturali gaudent libertate, ut lepores, cervi, pisces, aves etc. semel occupata pertinent ad dominum, donec naturalem libertatem recuperaverint, id est donec ita effugerint, ut non possint a domino sine magna difficultate apprehendi. — Animalia laqueo capta sunt eius, qui laqueum posuit; pisces capti sunt eius, qui posuit rete; similiter animalia laesa sunt vulnerantis. Nihilominus si quis laqueum posuit in fundo alterius sine consensu domini, potest is iuxta plurium opinionem praeda viva potiri, quoniam posset eam e laqueo extrahere et libertate donare. Secus debet praeda venatori tradi; potest tamen dominus reparationem damni postulare. — Leges prohibitivae venationis aut piscationis probabiliter sunt mere poenales[2]; peccare tamen possunt ii, qui crebro contra legem venantur, vel quia gravi periculo se familiamque exponunt, si deprehendantur, vel quia animum habent se per vim contra custodes tuendi. — Non peccant qui venantur aut piscantur in fundo non clauso; cum enim animalia facile aufugere possint, sub domino non manent. Secus vero, si fundus clausus est ibique facile capi possunt. — Peccat contra iustitiam, qui piscatur in flumine, cuius ius exclusivum emit alius, si tantam capit piscium multitudinem, ut ius illud censeatur minui; id autem non accidit, quando pisces non adeo multi capiuntur, praesertim quia hi facile exire possunt nec certo forent capiendi.

Thesaurus etsi paululum diverso modo in codicibus civilibus definiatur, solet tamen intelligi res pretiosa abscondita, cuius memoria non exstat. Solent leges[3] thesaurum inventori

---

1 Amissionem dominii in huiusmodi animalia specialioribus statutis determinare solent Iura civilia. Sic v. gr. examen apum, quod ad alienum fundum evolavit, censetur sub dominio prioris domini amplius non esse iure *arg.* a. 2579, *gall.* a. 9 Legis 4 april. 1889 et *lus.* a. 402, si in aliena arbore sedem fixerit, nisi dominus illud persequatur; *br.* a. 593, si dominus statim non reclamat; *chil.* a. 620 et *col.* a. 696, ex eo solum quod in aliena arbore sedem fixerit; *hisp.* a. 612, si dominus per duos dies continuos illud non sit persecutus; *mex.* a. 756 et *ur.* a. 689, nisi dominus illud in conspectu habeat et persequatur.

2 S. Alph. l. 1, n. 5.

3 Quae hic dicimus, statuuntur iure *arg.* a. 2584, 2590, 2595, *br.* a. 607, 608, *chil.* a. 626, *col.* a. 701, *gall.* a. 716 (lex tamen verba nulla facit de thesauro quaesito ex industria, quia thesaurus ipse tamquam res casu reperta definitur), *hisp.* a. 351, *mex.* a. 759, 760, 762, 764, *ur.* a. 696. Sed iure *lus.* a. 423-425, si non certo dignoscitur thesaurum esse 30 annis antiquiorem, inventio publici iuris facienda est, per media a lege statuta, et post duos annos domino

totum dare, si is illum repperit in suo fundo; dimidiam partem inventori, dimidiam domino fundi[1], si in alineo fundo casu repertus fuit[2]; si vero de industria repertus, totus ceditur domino fundi. Atque haec quidem legum statuta valida sunt in conscientia ante sententiam iudicis (n. 224, 1°), saltem quoad ea, quae tribuunt inventori; quatenus autem dimidiam partem iubent ab eo cedi domino fundi, eamdem vim ante iudicis sententiam agnoscunt moralistae communiter: id tamen nobis non ita liquet[3]; quatenus denique alteram quoque partem domino iubent cedi, si thesaurus de industria fuit quaesitus, id communis sententia pro poenali habet[4], ideoque non obligat nisi post sententiam iudicis.

233 2. *Bona amissa* tenetur inventor ex caritate suscipere, si ita facilius ad dominum perventura et secus ei peritura praevidentur; suscepta autem tenetur ex iustitia, tamquam bonus negotiorum gestor, convenienter loco domini curare et hunc adhibitis mediis, quae pro qualitate rei suadet prudentia, diligenter inquirere; secus tenetur de damnis erga dominum.

Dum autem attentis circumstantiis rei, loci etc. spes aliqua rationabiliter affulget inveniendi dominum, res ad hunc clamat eique comparenti tradi debet, manente tamen inventori iure resarciendi sibi expensas, quas in conservatione rei subierit.

---

non comparente fit inventoris; si certo apparet esse 30 annis antiquiorem, totus cedit inventori, si ipse est fundi dominus, secus sola tertia pars inventori cedit, reliquum domino fundi; qui tamen illum de industria quaesivit in fundo alieno, poenam subibit tradendi totum domino.

1 Sive is privata persona sit, sive Status, Municipium, Ecclesia etc.

2 Ex iure tamen *arg.* a. 2373-2377, *chil.* a. 589, *gall.* a. 538, *hisp.* a. 338, 339, *lus.* a. 380, *mex.* a. 697, 702, *ur.* 430, 431 infertur inventorem posse sibi thesaurum totum adscribere si illum reperit in loco publicis usibus destinato, v. gr. in platea, via publica, flumine etc. Idem generatim censeri potest in omni iure, cf. WAFFELAERT, *De Iust.*, I, n. 190; GÉN. S., n. 484, 2°.

3 Id iam GÉN. S. n. 484 ait « non ita certum videri, ut sub gravi imponatur ». Profecto ratio dubitandi nobis haec apparet: Thesaurus, quoniam res nullius est, de iure naturae totus inventori cedit (LUGO, d. 6, n. 112; WAFFELAERT, n. 187); proinde lex, quatenus aliquid de eo inventori adscribit, se iuri naturae accommodat, quatenus vero aliquid de eo detrahit, ut alteri adiudicet, a iure naturae secedit; pronum ergo est, ut id non ob iustitiae motivum (n. 59 nota), sed tantum « in eius gratiam seu favorem » censeatur facere. Quod si ita est, iam alteri nihil stricte debetur, donec ipse legis favorem invocet (n. 225, 2°).

4 Nec desunt C. C., qui id satis *expresse* poenale esse dicant: ita C. C. *lus.* a. 425.

Quando vero facta sufficienti diligentia nulla iam spes affulget inveniendi dominum, inventor iuxta sententiam probabiliorem [1], rem sibi adiudicare potest ac proinde libere de ea disponere [2], quoniam res, quae non potest a domino recupe-

---

1 Immo S. Alph., n. 603 eam vocat «veriorem et sequendam».

2 Tunc quoque, quoniam incipit bona fides, incipi potest praescriptio, ut statim dicetur; sed dicamus antea, quid de iure positivo statutum sit. Iuxta omnes C. C. res tradenda est auctoritati publicae; haec debebit inventionem evulgare et, domino non comparente, post certum tempus a lege statutum inventori dare retributionem legalem, nimirum: iure *arg.* a. 2568-2570 et *br.* 603 ad 606, post sex menses ab ultima publicatione res venditur in publica licitatione et ex pretio accepto solvuntur inventori expensae et retributio conveniens, reliquum autem adiudicatur Municipio; iure *chil.* a. 629-634 post annum ab ultima proclamatione res venditur in publica licitatione, et solutis expensis conservationis dimidium pretii remanentis datur inventori, dimidium Municipio; *col.* a. 704 ad 712 publica auctoritas aget iuxta statuta Codicis Iudicialis a. 1390, 1398 et solutis inventori expensis ipsi adiiciet praemium conveniens; *hisp.* a. 615-616 post duos annos ab ultima publicatione, res adiudicatur inventori; *lus.* a. 413-420, res fit inventoris transacto tempore a lege assignato, quod diversum est, a mense et dimidio usque ad integrum annum, iuxta valorem rei amissae; tantummodo, si res excedit valorem 12.000 «reis», tertia pars tribuenda est Consilio Beneficentiae; *mex.* a. 709-721, 726, post tempus diversum, ab uno ad sex menses iuxta rei valorem, res vendetur in licitatione publica et quarta pretii pars dabitur inventori, reliquum ad beneficentiae opera destinabitur a Gubernio; *ur.* a. 700-704, post annum res in publica licitatione venditur et pretium in partes aequales distribuitur inventori et Officio Oeconomico-Administrativo Departamentali. — Circa haec autem adverte:

1° In conscientia nulla est obligatio denuntiandi rem auctoritati publicae aliasve diligentias peragendi a lege statutas, sed hae tantum sub condicione necessariae sunt, nempe si quis frui vult beneficio legis. Nec obstat, quod lex eum, qui aliter agat, declaret furti reum (v. gr. C. C. *arg.* a. 2573); haec est enim mera « praesumptio » legis, cuius verba in hac re sensum habent mere poenalem, idque clarius adhuc apparet ex terminis, quibus quidam C. C. utuntur (v. gr. *chil.* a. 635, *lus* a. 420, *mex.* a. 727, *ur.* a. 705). Licet igitur legalibus diligentiis praetermissis alias adhibere, quae aeque vel magis idoneae sint ad detegendum dominum et postea, ubi nulla iam spes affulget eum inveniendi, rem sibi adiudicare seu tamquam suam censere, ut supra diximus. Et quoniam tunc incipit persuasio, qua quis bona fide rem censet suam, incipit quoque praescriptio trium vel plurium annorum statuta a diversis iuribus (cf. mox in n. 238), ita ut dein, transacto praescriptionis tempore et comparente domino, nihil ei restituere debeas, non minus ac si diligentias legales fecisses et rem tibi auctoritas publica decrevisset.

NB. a) Iure *arg.* non datur praescriptio ordinaria mobilium, ideoque qui legales diligentias praetermiserit, non potest rem alia via suam facere, nisi vel per praescriptionem extraordinariam 30 annorum, vel prout de iure naturae exponitur supra, vi cuius iuxta supra dicta semper tenebitur erga comparentem dominum. — *b*) Iure *gall.* a. 713 omnia quidem « bona nullius »

rari, desinit esse sub illius dominio. Quantum autem temporis exspectari debeat, ut iam nulla spes remaneat comperiendi dominum, perdifficile est assignatu, quippe quod e rei, loci, consuetudinis etc. circumstantiis prudenter colligendum est[1].

Porro evenire potest, ut hoc tempore transacto dominus praeter omnem exspectationem compareat vel detegatur. Tunc vel res comsumpta fuit (v. gr. distributa in pauperes), vel

---

declarantur pertinere ad Statum; sed haec dispositio, bene ait Gén. S., n. 486, iuxta usum receptum et multorum iurisperitorum interpretationem non spectat ad bona mobilia amissa, sed tantum ad immobilia derelicta et ad bona « vacantia ».

2° Attamen qui de industria auctoritatem publicam monere praetermiserit, ut dominus non tam facile inveniretur, is bona fide careret proindeque praescribere non posset, et de re erga dominum quocumque tempore teneretur. At si diligentias legales praetermittit, eo quod eas inutiles aut pro vili rei valore nimias existimat, is mala fide non agit, dummodo aliter dominum diligenter indaget, ideoque suo tempore, id est quando omnis spes eum reperiendi evanuit, praescriptionem incipere potest.

Idem dic, si ideo auctoritatem non monet, ut per praescriptionem possit totam rem acquirere, cum secus aliquam tantum partem acciperet, nisi rei momentum suadeat dominum inquiri per media auctoritatis publicae forte efficaciora. — Cf. Lehmk., *Das bürg. Gesetzb.*, p. 267.

1 Generatim videtur illud tempus sufficere, quo transacto auctoritas publica post servatas solemnes publicationes rem fere ubique solet cedere; hinc enim discimus, quantum temporis ex iudicio prudentum censeri possit sufficiens ad abiiciendam omnem spem reperiendi dominum. Propterea duos annos sufficere ait Ball. P., III, p. 1, n. 169, quem sequitur Ferr., n. 174, nixus ille praecipue Codice italo, hic hispano, qui rem cedunt post biennium. Nec tamen obiicias, quod alii Codices in America rem adiudicant post tempus multo brevius; nam ii praesertim (v. gr. C. C. *br.*), qui ad id sex tantum menses assignant, nobis quidem magis videntur propria facultate usi fuisse disponendi circa rerum proprietatem quam tempus exspectasse, quo omnis spes reperiendi dominum evanuisset. Quare praedictis auctoribus Ball. P. et Ferr. assentimur quidem, in hoc tamen sensu, quod duo anni *plerumque* sufficientes nobis videntur, ut homo *praesumatur* spem omnem abiecisse et rem suam esse censuisse. Dicimus *plerumque*, quia id potius pendet ab ipsa re inventa et a loco aliisque circumstantiis inventionis, ita ut saepe multo antea de inveniendo domino desperari possit (v. gr. de moneta reperta in platea, ubi nuper fuerat magna multitudo congregata, statim desperare potes), aliquando etiam iuxta circumstantias post duos, immo forte post tres annos, nondum omnis spes extincta sit. Dicimus praeterea id non fundare nisi *praesumptionem;* nam praescriptio tunc revera incipit, quando bona fides de facto incipit; iam vero tunc quisque bonam fidem habere incipit, quando de facto de domino reperiendo iam desperat et rem in proprium dominium transiisse credit; porro id quisque sponte facit, quando de re et circumstantiis inventionis et de tempore iam transacto recordatur; potestque aliquis etiam post quinque annos bonam fidem nondum incepisse, v. gr. si valde scrupulosus sit et rem numquam ut suam consideret.

adhuc exstat in se aut in aequivalenti (v. gr. si fuit vendita). In 1° casu, si consumpta fuit post transactum illud tempus, in bona fide consumpta fuit, ac proinde nihil debetur; si vero ante illud tempus, inventor, utpote qui egit mala fide, damna compensare debet. In 2° casu, si tempus praescriptionis iam effluxit, nihil debetur; si vero nondum effluxit, generatim res vel aequivalens (sc. quoad id, quo inventor factus est ditior) domino videtur reddenda; generatim enim eventus censebitur ostendere nondum domino impossibile fuisse recuperare rem, ideoque erronee iudicatum fuisse rem dominio illius excidisse.

II. **Accessio** est titulus acquirendi incrementum, quod rei nostrae adiungitur. Occurrit autem variis modis: 234

1° *Rei productione*. Sic ad dominum agri vel pecuniae vel animalium pertinent fructus agri sive sponte nati, sive cultura producti, pecuniae faenus, animalium foetus. Hinc axioma: « Res fructificat domino ». Quod si animal tuum conceperit ex masculo alieno, foetus ad te pertinet, unde effatum: « Partus sequitur ventrem ».

2° *Alluvione*, seu quando aquis paulatim recedentibus ager tuus tractu temporis augetur.

3° *Inaedificatione aut plantatione*, quando dominus soli et dominus materiae aedificatae aut plantatae diversi sunt. Leges civiles varia statuunt pro variis casibus, adscribentes generatim totam rem domino soli, ita tamen ut alter, si bona fide egit, compensetur, si mala fide, damnum, quod vitari nequeat, subeat.

4° *Adiunctione*, quando res duorum in unam coalescunt, v gr.: si gemma aliena aureo anulo adiungatur. Generatim totum obvenit domino rei potioris, qui tamen alterum indemnem facere debet. Hinc effatum: « Accessorium sequitur principale ».

5° *Specificatione*, quando ex aliena materia res nova conficitur, v. gr. ex lana vestis, ex ligno navis, e coloribus pictura. Plerumque res artifici assignatur, cum obligatione tamen dominum materiae servandi indemnem.

6° *Commixtione* duarum rerum aeque principalium. Si nequeunt dignosci et separari, cumulus vendi debet pretiumque dividi pro rata, vel dominus partis praestantioris cumulum retinere potest, alterum servans indemnem reddendo materiam commixtae aequivalentem vel valorem.

In omnibus tamen casibus supradictis peculiares regionis leges consulendae sunt[1].

---

1 De his cf. C. C. *arg.* a. 2601-2634, *br.* a. 536-549, *chil.* a. 643 ad 669, *col.* a. 713-739, *gall.* a. 546-577, *hisp.* a. 353-383, *lus.* a. 2289-2308, *mex.* a. 773-821, *ur.* a. 706-732.

235 III. **Praescriptio** est acquisitio dominii vel iuris (praescriptio acquisitiva seu usucapio) vel liberatio ab aliquo onere (praescriptio liberativa), expleto tempore aliisque condicionibus a lege requisitis.

Communis theologorum sententia tenet legem constitutivam praescriptionis non in eo tantum sensu accipiendam esse, quod transacto legali tempore, si eius exceptio opponatur, *actionem adversarii in rem iudicio repetentis deneget*, sed quod *dominium rei valide ab uno in alium transferat*, etiam in foro conscientiae. Profecto si lex civilis dominia aliave iura per praescriptionem transferens effectum non haberet in foro conscientiae, sed effectum mere civilem, finem suum primarium bono communi plane necessarium, nempe ne dominia et iura maneant diu incerta, non posset obtinere, immo huiusmodi lex potius ad anxietatem quam ad pacem conscientiarum inserviret[1]. Praeterea iniusta nequit dici lex, quae ante omnem eventum lata parem omnibus lucri damnive sortem offert.

Theologi communiter, cum suam sententiam supra relatam tradunt (nempe, quod lex praescriptionis non mere actionem denegat, sed vere dominium transfert in conscientia), in eo sensu videntur loqui, ut translatio valida habeatur sine ullo interventu iudicis. Attamen posito etiam, quod huiusmodi lex non sit mere denegativa, sed dominii translativa (quod verum est), adhuc quaeri potest, utrum huiusmodi translatio valida in conscientia a lege fiat per sententiam iudicis an eam lex faciat ante quamlibet sententiam iudicialem. Nempe:

Quaestio est, utrum praescriptio tantum favere incipiat in conscientia, postquam quis eam invocaverit tamquam exceptionem in iudicio, seu postquam recurrerit ad iudicem, ut rem alteri repetenti deneget; an e contra lex translationem dominii in conscientia operetur ante quamlibet sententiam iudicis, etsi praescribens favorem legis ignoret; ita ut si alter, qui rem possidet, transacto legali tempore detegat rem fuisse tuam et ignorans praescriptionem rem tibi restituat, tenearis ei reddere.

Primam partem, id est praescriptionem non favere nisi eam invocanti, tuetur DELAMA (quem citat PALMIERI in nota ad BALL. P., n. 272) nixus tum hac ratione generali: quod « in iuribus, quae a sola lege civili constituuntur, si is, cui leges favent, ad illas non provocet, pars altera, cui eaedem nocent, non tenetur earumdem rationem habere, et eo minus compartem forte legis ignaram de suo errore admonere », tum particulari loco Digesti romani: « Leges allegantem tantum iuvant ». Possent quoque, ut nobis

---

[1] Aliis verbis: si expleto tempore praescriptionis rei dominium non acquireretur in conscientia, nec in conscientia exstinguerentur debita, hominesque probi deberent res bona fide emptas vel acceptas comperto domino restituere et debita eodem modo persolvere, ac si lex praescriptionis non exsisteret: tunc dicenda esset haec lex posita tantum in favorem iniquitatis, ut ad eam homines malae fidei confugere possent.

videtur, et aliae rationes a priori afferri; nempe: 2. Lex satis finem suum obtineret evitandi diuturnam incertitudinem iurium, etiamsi praescriptio non prodesset nisi eam invocantibus; atque lex, si in hoc sensu satis finem suum obtinet, ita accipienda est, quia leges huiusmodi, magis minusve derogativae iuris naturalis, in suo minimo sensu intelligendae sunt, nisi aliud clare exprimant. 3. Si lex prodesset ignorantibus, ad anxietatem potius quam ad pacem conscientiarum inserviret; iudex enim, quoniam ordinarie a lege vetatur praescriptionem supplere, si haec non invocetur, rem adiudicaret actori seu rem repetenti contra eum, qui ex ignorantia ius suum non allegat, et tamen res vere huius esset ipsiusque esse in conscientia non desineret.

Partem alteram expresse docet pro Iure romano SCHMALZGRUEBER, p. 1, tit. 26, n. 15 (quem sequitur BALL. P., n. 272, et GÉN. S., n. 489 not.) nulla tamen directe data ratione, contentus dicere quod si, qui praescriptionem complevit, per errorem et sui iuris ignorantiam, nullo adactus metu aut dolo, rem ratus eam esse alienam restituisset, non posset alter rem ita praescriptam servare, sed teneretur eam praescribenti reddere (per ignorantiam, inquam, nam si dominium in se translatum scivit et restituit, rem donasse aut praescriptionis iure cessisse censetur, quod etiam expresse advertunt quidam C. C., v. gr. *chil.* a. 2494, *ur.* a. 1163). Posset tamen haec sententia, ut credimus, sequentibus rationibus fundari: 1. Lex potuit ob bonum commune transferre dominium etiam inscio praescribente, de facto autem verba Iuris romani id significare videntur; sic enim definitur praescriptio: « Dominii acquisitio per continuationem temporis etc. ». (Nequit tamen negari, quod illa verba intelligi etiam possunt in sensu contrariae sententiae, etsi minus obvio). 2. Si praescriptio non prodesset nisi eam invocanti, lex non satis obtineret suum finem dominia rerum reddendi magis certa, lites innumeras praecidendi, securitati pactionum prospiciendi etc.; res enim tuta conscientia a suis dominis, etsi consciis praescriptionis ab alio iam expletae, iudicialiter repeti possent quovis tempore, quamvis res iam ad alium per donationes aut pactiones intermedias transiisset; quamplurimi enim sunt, qui praescriptionis favorem putari possunt non invocaturi, vel quia nimis timorati vel quia legem omnino ignorant; aliunde vero actio illiusmodi repetitoria numquam denegari posset a iudice, quoniam iudex a legibus vetatur praescriptionem supplere ex officio. 3. Nusquam leges dicunt ad complendam praescriptionem, sive acquisitivam sive liberativam, necessarium esse interventum iudicis, nec alium usum iudicialis praescriptionis memorant, nisi quod possessor eam possit ut exceptionem opponere contra actorem. Iam vero nequit imprimis dici, quod oppositio huius exceptionis *alium effectum non habeat, nisi* quod actio iam ex eo momento denegetur: tum quia, si ita esset, omnis praescriptionis vis mere esset in foro externo, (quod adversarii non concedunt post sententiam iudicis), tum quia, si ita esset, omnis praescriptio vocanda esset mere liberativa, quod aperte esset contra leges, quae praeterea aliam agnoscunt acquisitivam. Deinde dici nequit, quod praescriptionis vis in conscientia exsurgat per hanc invocationem exceptionis, quia invocatio non est quaedam imploratio legum, quae suum favorem

obtulerint ad se confugientibus, sed est assertio rei verae et validae, per quam excludatur intentio actoris. Atqui cum id ita sit, exceptio praescriptionis opponi non posset, nisi praescriptio iam valida esset. Ergo praescriptio antequam invocetur, iam habet valorem legalem. Atqui si habet vim legalem, habet etiam vim in conscientia, prouti probant rationes generales supra allatae. 4. Etsi rationes, quibus veteres Doctores probant praescriptionem vim habere in conscientia, etiam in sententia Delamae suum sensum omnino conservent, negari tamen non potest, quod iidem tali modo loquuntur, ut videantur hanc alteram sententiam Delamae contrariam supponere; et profecto, si praescriptio (saltem quoad Ius romanum, de quo illi agunt) non favet nisi invocetur, mirum est quod in re tam practica ususque tam frequentis ii Doctores, qui ut Lugo quaestiones circa hanc materiam fuse versarunt, de necessitate invocationis nullibi admonuerint.

Utrinque, ut vides, rationes adsunt probabiles, atque utraeque possunt modernis Codicibus Civilibus applicari, nisi legislator suam voluntatem, id est quo pacto dominium transferre intendat, clare expresserit. Etenim aliae sunt rationes a priori, quae mentem legislatoris coniiciunt ex ipsius fine, aliae quae Ius romanum interpretantur, eaeque etiam ad sensum capiendum iuvant modernorum Iurium, quae praescriptionem generatim e Iure romano desumpserunt.

C. C. *arg.* a. 3981, 3982, *chil.* a. 2492, *col.* a. 2512, *gall.* a. 2219, *mex.* a. 1059, *ur.* a. 1162 secundae sententiae favent; quando enim praescriptionem definiunt: « medium acquirendi per possessionem etc. », condiciones recensent, per quas fit acquisitio, invocationem autem partis, cuius intersit, nullibi meminerunt; magis adhuc favet C. C. *hisp.* a. 1930 et *lus.* a. 505, qui absolute dicunt quod dominium, positis illis condicionibus, « acquiritur » (attamen nullum dubium, quin sub his locutionibus posset id, quod ait Delama, ex ipsa legis natura subintelligi). Iterum secundae sententiae favent C. C. *chil.* a. 2494, *col.* a. 2514, *lus.* a. 508, cum aiunt praescriptioni fas non esse renuntiare, nisi postquam fuit iam « acquisita », C. C. *gall.* a. 2220, « adimpleta », C. C. *br.* a. 161, *mex.* a. 1066, *ur.* a. 1163, « consummata », quae locutiones supponunt ius acquisitum fuisse *ipso facto* post lapsum temporis, secus nihil esset quod renuntiari posset; immo C. C. *mex.* ait huiusmodi renuntiationem « aestimandam esse tamquam veram iuris donationem atque ut talem esse tractandam » (attamen huiusmodi locutiones accipi etiam possent in sensu tantum fori externi, nimirum Codices ita loquerentur, quia in foro externo praescriptio post lapsum temporis completum praesumi deberet omni ex parte consummata, revera autem dominium in conscientia nondum fuisset acquisitum, si nulla praecessisset voluntas utendi favore legis; etenim in foro externo legis ignorantia non praesumitur nec de interna voluntate iudicari potest). E contra primae sententiae favere prima fronte videtur C. C. *col.* a. 2513 aiens « praescriptionem non prodesse nisi eam alleganti », sed omnino accipi potest eo sensu, ut non prosit in iudicio, et hic sensus magis proditur ex C. C. *chil.* a. 2493, clarius adhuc ex *lus.* a. 515.

Quibus positis ut sensum nostrum aperiamus, admittimus

quidem a priori id, quod ait Delama, eiusque sententiam probabilem habemus, sed attento iugi modo loquendi tum Iurium modernorum tum auctorum probabilius censemus Codices Civiles de facto priorem sententiam excludere et dominium absolute, etiam cum favoris legalis ignorantia, transferre.

Nec dicas: Si ad obtinendum in conscientia praescriptionis favorem non requiritur interventus iudicis, at saltem requiri posset, ut praescribens velit legis favore uti, ideoque praescriptio non proderit possessori eam prorsus ignoranti. Nam imprimis non satis apparet, quo fundamento requiri possit haec positiva voluntas obtinendi favorem legis, ut legis favor possit realiter exsistere; deinde cum ad praescribendum necessaria sit *possessio* (non utique mera rei detentio sive mala fide sive cum rei ignorantia, prout accideret v. gr. si fur, ne deprehenderetur, rem abscondisset in angulo arcae meae, ibique res relicta esset me ignorante per aliquot annos; sed detentio rei cum animo eam habendi ut suam), iam necessaria fuit aliqua voluntas rem habendi ut suam, ideoque implicite voluntas obtinendi favorem legis, si eius favor necessarius esset. Instabis forsan: Animus, quo possessor bonae fidei rem vult habere ut suam, potius est iudicium, quo erronee credit esse suam. Resp.: Qui iudicat, etsi erronee, aliquid esse suum, eo ipso id vult habere ut suum; ita saltem evenit ordinarie; quod si casus evenerit, quo quis mere speculative iudicaret id, quod v. gr. inter res suas deprehendit, esse suum, quin ullam voluntatem conciperet illud habendi ut suum, tunc libenter concedimus eum praescriptionem non potuisse inchoare, quia reapse nondum rem *possedisset.* Praeterea haec dicimus de casu, quo titulus abesset: generatim enim adest titulus, id est possessor bonae fidei rem acquisivit donatione, emptione, legato, in ludo etc., ideoque tunc positivam voluntatem habuit rem accipiendi ut suam. Certe saltem locum habere non potest haec difficultas in praescriptione rei inventae; inventor enim conscientiam habet rem fuisse alienam et nunc, abiecta omni spe reperiendi dominum, eam positive vult facere suam quantum possit, quod est implicite velle uti etiam praescriptione.

Ad finem bene adverte quod rationes, quas pro secunda sententia probabiliore allegavimus, tantum probant pro praescriptione acquisitiva, pro liberativa vero quatenus liberat *a solvendo*, non autem quatenus ius concedatur *repetendi solutum.* Aliis verbis: 1° Iuxta secundam sententiam probabilius proprietas ita *trasfertur* in conscientia ante sententiam iudicis, ut si is, qui rem tuam praescripsit, eam tibi ex ignorantia praescriptionis tradat, rem ante sententiam iudicis tenearis ei restituere, quia sua est. 2° Probabiliter ita *liberaris a debito solvendo*, transacto tempore cum bona fide, ut ante quamlibet sententiam iudicis iam possis illud creditori denegare. Sed an, si ex ignorantia favoris legis debitum solvisses, lex tibi adhuc ita faveat, ut possis solutum repetere, rationes allatae id non evincunt, ideoque repetere non posses. Cohaerent Codices Civiles; plerique enim dicunt, etiam expresse, actioni repetitoriae in casu locum non esse. Cf. C. C. *arg.* 549 incis. 2, *br.* a. 970, *chil.* a. 1470 incis. 2, *col.* a. 1527 incis. 2, *gall.* a. 1235, supra citatos in n. 226 nota N.B. — Cf. etiam dicenda de praescriptione liberativa in n. 238 nota, ad litt. D, N.B. 1° *a*).

Ad praescriptionem sequentes requiruntur condiciones:

a) *Res praescriptibilis*, nam v. gr. pons aut via publica nequeunt praescribi a persona privata. Item praescribi nequeunt, quae a lege possideri prohibentur [1].

b) *Possessio* rei, scilicet animo proprietarii (non v. gr. animo depositarii); possessio enim, quae ius fundat, definitur: « Detentio rei (per se vel alium) animo domini » [2].

c) *Titulus* iustus, scilicet causa, quae ex se idonea sit ad acquirendam rem ut propriam, v. gr. emptio, donatio etc. Non requiritur titulus verus, secus enim res iam esset propria, sed sufficit coloratus, id est ob occultum vitium invalidus, vel praesumptus, id est, qui ob diuturnitatem temporis a lege supponitur praecessisse, etsi allegari non possit.

Ratio cur in praescriptione acquisitiva requiratur aliquis titulus est, quia sine eo nequit haberi bona fides.

236 *d*) *Bona fides*, quae in genere definiri potest: « sincera existimatio, qua quis iudicat se nihil agere contra ius alienum ». Haec theologica esse potest vel iuridica, rursusque illa vel stricta vel minus stricta.

---

1 Praeterea Iure *chil.* a. 2505, *col.* a. 2526 contra titulum inscriptum in Regesto proprietatis nulla res immobilis vel actio realis in eam acquiri potest per praescriptionem nisi vi alius tituli pariter inscripti, tempore computato a die secundae inscriptionis. Pariter Iure *hisp.* a. 1948 contra titulum quemvis (ideoque rei immobilis sive mobilis) inscriptum in Regesto numquam valere potest praescriptio ordinaria (id est, pro qua exigitur a lege titulus et bona fides) in praeiudicium tertii nisi vi alius tituli inscripti, tempore computato a die secundae inscriptionis. Iure *gall.*, iuxta legem 31 dec. 1913 a. 12 et 18 (cf. adnotationes ad a. 2279 Codicis Civilis) bona inscripta, sive immobilia sint sive mobilia, sunt impraescriptibilia.

2 De possessione vide, sis, Lugonem, d. 2, n. 59 seqq.; Verm., *De Iust.*, n. 255 seqq.; Waffelaert, n. 220, 221.

Leges requirere solent ad valide praescribendum, ut possessio fuerit etiam *pacifica*, id est quae incepta non fuerit per actus violentos (v. gr. rem auferendo); at violentia non obstaret in *decursu* possessionis, v. gr. si possessor bona fide dominum vim inferentem repulerit.

Ita C. C. *arg.* a. 2398 seqq., 3993, *br.* a. 497, 552, 619, *chil.* a. 709-712, 2492, 2498, *col.* a. 771-774, 2512, 2518, *gall.* a. 2229, 2233, *hisp.* a. 441, 444, 1941, *lus.* a. 487, 517, 521, *mex.* a. 857, 1079, 1083, *ur.* a. 624-627, 1170, 1172.

Requirere etiam solent, ut fuerit *publica* (id est ut possessor v. gr. non intentaverit per aliqua media rem subtrahere notitiae domini). Ita C. C. *arg.* a. 2403-2405, *br.* a. 497, *chil.* a. 709, 713, 2498, *col.* a. 771, 774, 2518, *gall.* a. 2229, *hisp.* a. 1941, *lus.* a. 517, 523, *mex.* a. 1079, 1085, *ur.* a. 1170.

Bona fides *theologica* est, cum de usucapione seu praescriptione acquisitiva agitur, firma persuasio, qua quis prudenter iudicat rem, quam possidet, esse suam (bona fides *stricte* dicta), vel [1] saltem iudicium practicum dictans rem licite possideri posse (bona fides *minus stricta*) [2].

Cum autem agitur de praescriptione liberativa, est firma persuasio, qua quis prudenter iudicat nulla se teneri obligatione, vel simpliciter est ignorantia debiti, vel etiam consistit in hoc, ut nullum impedimentum ponatur, quominus alter iure suo uti valeat; atque haec bona fides, ut vides, ad minus strictam semper pertinet.

Bona fides *iuridica* seu *civilis* ea est, quae condiciones habet a lege civili requisitas. Sic v. gr. leges aliquando strictam bonam fidem requirunt vel eam respuunt, quae nitatur errore circa ius.

Iure naturae omnino necessaria est ad valide in conscientia praescribendum bona fides theologica, sive de usucapione agatur, sive de praescriptione liberativa, etiam in casu, quo leges civiles eam forte non exigerent. Et sane si bona fides theologica ad usucapiendum non requireretur, lex praescriptionis bono communi summe nociva esset, quippe quae magnum incitamentum omnibus daret ad furta et omnis generis fraudes, ideoque esset invalida; non enim potest publica potestas auctoritatem suam praestare fraudibus et spoliationibus [3]. Similiter si bona fides non requireretur ad praescriptionem liberativam [4], lex magnus esset rixarum fons atque iniuriarum fomes, quippe quod homines spe praescribendi allecti passim sibi iura denegarent » [5].

---

1 Lugo, d. 7, n. 18.

2 Locum habet bona fides minus stricta, cum quis v. gr. bona fide stricta inceperit possessionem, deinde vero, superveniente dubio insolubili an res sit aliena, iudicat meliorem saltem esse condicionem possidentis ideoque licite in possessione se prosequi posse; is, ut vides, non iam iudicat rem esse suam, sed tantum se eam licite posse animo domini retinere.

3 Cf. etiam Conc. Later. IV, can. 41.

4 Propterea debitor numquam praescribere potest, conscius enim semper est suae obligationis. Quod si eam forte adimplere diu omisit legitime excusatus ob impotentiam, id tamen facere non potuit, nisi obligationem assumendo in futurum; secus mala fide omitteret debiti solutionem.

5 Etiam ad praescribendam servitutem passivam, v. gr. patiendi transitum per fundum, bona fides necessaria est, quatenus nempe nihil fiat, quo alter impediatur iure suo uti si velit. Solet quidem dici ad praescribendam servitutem passivam opus non esse bona fide, sed id provenit ex minus exacto conceptu bonae fidei, quasi haec stare non posset cum scientia iuris alieni.

Sufficere bonam fidem, prout definita est, ad praescriptionem liberativam [1], immo cum bona fide minus stricta posse continuari acquisitivam, nullum dubium est, nisi plus lex civilis exigat, quod non solet; an autem minus stricta etiam sufficiat iure naturae ad praescriptionem acquisitivam inchoandam, patebit ex statim dicendis de eo, qui possidere incepit dubia fide.

Certe plura Iura civilia bonam fidem strictam exigunt ad usucapionem inchoandam, et tunc non potest res aliter in conscientia acquiri; nam cum tota vis praescriptionis a lege civili pendeat, patet bonam fidem theologicam non sufficere, ubi plus exigat lex civilis [2].

---

1 Propterea putamus saltem probabile, cum Verm., n. 278 et Gén. S., n. 493 II, scientiam debiti non obesse ad praescribendum, ubi debitor, sive ex consuetudine sive ex declaratione legis, non teneatur solvere, nisi requisitus; is enim, qui non requisitus solutionem toto tempore praescriptionis omittit, se nulla teneri obligatione iudicat et pecuniam retinere posse, ideoque bona fide agit. Quod tamen patet non valere, quando debitor intelligit creditorem ex quadam humanitate solutionem non exposcere, vel verecundia aliove impedimento legitime detineri, vel si partes in contrahendo expresse id se aliter quam consuetudinem aut legem, intellecturos declaraverint.

2 Ius *arg.* etsi a. 2390 ad possessionem bonae fidei postulet solum persuasionem possessionis legitimae (legitima proprie dicitur possessio Codicis dispositionibus conformis, a. 2389), quod videtur non amplius exigere quam bonam fidem minus strictam, tamen ad praescriptionem rerum immobilium (horum enim tantum usucapionis meminit), aliquid amplius postulat a. 4040, scilicet persuasionem « quod res sit sua », quam « nullum dubium comitetur », sed a. 4042 et 4043 declarat huiusmodi persuasionem non requiri nisi in actu acquisitionis. Ius *br.* a. 490 ad bonam fidem exigit ignorantiam rei alienae, illamque a. 491, 618 dicit non amitti nisi per conscientiam rei alienae. Iura *chil.* a. 706 et *col.* a. 768 requirunt conscientiam legitime factae acquisitionis. Ius *gall.* a. 550 bonam fidem strictam videtur exigere, sed a. 2269 declarat non requiri nisi in momento acquisitionis. Ius *hisp.* a. 433, 1950 et *ur.* a. 668, 1181, ignorantiam volunt rei alienae et persuasionem, quod res legitime acquiritur, hancque bonam fidem ait *hisp.* a. 435, virtualiter etiam *ur.* a. 668, non amitti nisi per scientiam rei alienae. Ius *lus.* a. 476 bonam fidem vocat ignorantiam rei alienae, malam fidem eius scientiam. Iure *mex.* a. 830, 831 bonam fidem habet, quicumque vel persuasionem habet legitimae acquisitionis vel ignorantiam rei alienae, aliunde a. 1082 bona fides ad praescribendum requiritur tantum in actu acquisitionis.

Igitur iuxta Iura *arg.* (quoad immobilia), *gall.*, *ur.*, necessaria est in actu acquisitionis bona fides stricta, sed cum hanc restringant ad acquisitionis momentum, bene praescribere poterit in conscientia, qui dein superveniente dubio de acquisitionis legitimitate possessionem continuaverit cum bona fide minus stricta, nixus tantum principio reflexo de privilegio possidentis. — Nec dicas legem supponere, quod toto tempore bona fides non desierit, ideoque illam strictam permansisse, quam lex definit. Nam

Qui dubitat de bona fide eius, a quo res procedit, et veritatem non potest detegere, efformare sibi conscientiam poterit ex aliquo principio, v. gr.: « Melior est condicio possidentis », si ipse iam possidere incepit bona fide; vel: « Nemo malus nisi probetur », si initio rem accipit cum dubia fide, ideoque continuari poterit, vel inchoari, praescriptio »[1]. Nam, quamvis bonam fidem, ideoque praescriptionem, impediat dubium practicum, non tamen dubium speculativum, quando, cum debita veritatis investigatione tolli non possit, ulterius ope alicuius principii reflexi deponi possit et reapse deponatur, tunc enim iam habetur iudicium, quod res licite possideri potest. Quod si initio tales adsint rationes dubitandi, aut talis sit casus (cf. n. 132 de possessore dubiae fidei), ut nequeat hoc iudicium efformari, praescriptio inchoari non potest, cum desit bona fides.

An ignorantia invincibilis iuris impediat praescriptionem etiam in foro conscientiae, quando leges cum tali ignorantia praescriptionem prohibent?[2] Nam tunc, etsi bona

---

imprimis leges ita loquuntur, ut potius dicendae sint supponere, quod non supervenerit mala fides; haec autem non supervenit ex eo solum, quod bonae fidei strictae succedat minus stricta. Deinde nihil dicendae sunt leges humanae praeter legem naturalem exigere, nisi id aperte significent; atqui in casu lex civilis bonam fidem strictam exigens actus acquisitionis tantum meminit, ergo sufficit in continuatione possessionis ea fides, quae de iure naturali est sufficiens. Iure autem *hisp.* (similiter *chil.* a. 706 et *col.* a. 768) videtur potius requiri toto tempore possessionis bona fides stricta, tum quia hanc, de qua in a. 1950, nullibi dicit necessariam tantum esse in actu translationis dominii, tum quia ibid. bonam fidem ad praescribendum reponit « in persuasione, quod persona, a qua res accepta *fuit*, dominium transferre *poterat* », quod ad tempus acquisitionem subsequens referri videtur; forte tamen lex praeterito utitur, quia actum acquisitionis respicit ut praeteritum respectu continuationis possessionis vel respectu iudicis, qui leges applicare debet. Res igitur non liquet, praesertim cum agatur de valore in conscientia, in cuius foro absque liquidis legis verbis in contrarium nihil amplius est exigendum ad continuandam bonam fidem praeter illud iuris naturalis principium: « Melior est condicio possidentis ».

Denique iure *br.*, *lus.* et *mex.* praescriptio inchoari etiam poterit cum bona fide minus stricta.

1 Etenim omnino sententiae astipulamur Wirceb., t. 6 *De iure et iust.* diss. 4, c. 2, a. 3, n. 398, Vazquez et aliorum sustinentium nec ad praescriptionem inchoandam requiri de iure naturali bonam fidem strictam. Certe tamen de iure civili requiritur in quibusdam nationibus, ut monuimus in nota praecedenti.

2 V. gr. rem acquisivisti ex contractu, quem nesciebas esse lege invalidum, et aliunde lex alia impedit praescriptionem, quando bona fides possessoris fundatur in ignorantia legum. Quaeritur ergo an iste possessor bonae fidei impediatur praescribere saltem in foro conscientiae.

fides theologica adsit, abest tamen iuridica, sine qua praescriptio vim suam retinere nequit. Resp. Valde hac de re litigarunt auctores, Ius Romanum et Canonicum vetus interpretantes, aliis [1] putantibus leges in casu malam fidem non tam praesumere quam fingere, ideoque hac fictione iuris posita praescriptionem absolute denegare, aliis vero [2] leges praescriptionem ideo tantum denegare, quia malam fidem praesumunt, ideoque etsi illam denegent in foro externo, non tamen in interno, in quo praesumptio cedere debet veritati. Porro cum Civiles Codices moderni non soleant magis categorice loqui quam aliqui textus, quos e Iure Romano allegabant auctores sententiae rigidioris, hinc potest etiam iisdem sententia benignior applicari [3].

Circa ignorantiam facti non fit quaestio, quia propter hanc non solent leges praescriptionem prohibere, immo errorem circa factum veri domini necessario semper supponunt. Quod si alicubi (v. gr. C. C. *ur.* a. 1182) leges praescriptionem infirmarent ob ignorantiam certi alicuius facti, quaestio agitari posset eodem modo ac supra circa ignorantiam iuris.

1 Molina ap. Lugonem, Wirceb., l. c., 395.

2 Lugo, d. 7, n. 32 - 35; Ball. P., n. 302 - 304; Wernz, t. 3, n. 308.

3 Profecto ordinarie Codices non tam aperte loquuntur, ut dicant: « non fit praescriptio »; id autem aiebat Ius Romanum, l. 15, § 15 seqq., *pro emptore:* « Quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere etc., *non usucapies*, quia iuris error *nulli prodest* », et tamen probabile putarunt Medina et Lugo id pro foro conscientiae non esse accipiendum.

Igitur in benigniore sensu accipi possunt Iura *arg.* a. 4041 (huic omnino applicantur rationes allatae a Lugo d. 7, n. 33 et n. 35 « Confirmatur »), 4043 (ubi expresse ait titulum recusari ob vitium formae, quia praesumitur mala fides), 4044 (ubi nulla occurrit nova difficultas), sed pro a. 4046 vide mox dicenda, *chil.* a. 706, *col.* a. 768 (hi C. C. expresse aiunt se malam fidem « praesumere »; quod autem addunt « contra hanc malam fidem non admitti probationem in contrarium », id accipi debet de foro externo).

Iura *br.*, *lus.* et *mex.* difficultatem non habent, quoniam exceptionem propter iuris ignorantiam non faciunt.

E contra haud modicam difficultatem movent Ius *arg.* a. 4046 et *gall.* a. 2267 aperte aientes « titulum ex formae defectu nullum non posse locum dare praescriptioni » (et propterea Waffelaert, n. 237 putat nullatenus eum praescribere, qui validum titulum se habere putet per errorem iuris); pariter *hisp.* a. 1952, 1953 et *ur.* a. 1182, ubi ad praescriptionem requirunt titulum « validum », utique lege validum, ideoque respuunt titulum, qui ob ignorantiam legis validus existimetur, reapse autem sit lege invalidus. Nihilominus non sunt harum legum verba magis aperta quam quaedam alia Iuris Romani, quae tamen, ut vidimus, Lugo et alii pro solo foro externo probabiliter accipiebant. Nempe illiusmodi legum dispositiones forte dantur tantum ad reddenda iudicia magis expedita vel ob praesumptionem malae fidei in possessore tituli iure invalidi; in utraque hypothesi pro foro tantum

Mala fides auctoris[1] **successorem a praescribendo non impedit,** nisi leges aliud expresse statuant, quia mala fides est vitium personale, quod ad successorem non transit, ideoque non impedit quominus huic propria bona fides prodesse idemque praescriptionem inchoare possit. 237

Exceptio tamen fit in nonnullis Codicibus Civilibus quoad sucessorem universalem; quia enim heredem fictione iuris considerant eamdem esse personam defuncti, eum a praescribendo arcent. Hoc autem legis statutum in conscientia observandum est[2].

Haec tamen exceptio consideratur communiter non tam fictione iuris fieri quam exigi ex ipsa natura rei, quoniam per se heres defuncto succedit in omnes obligationes et onera. Propterea sententia communis est heredem possessoris malae fidei a praescribendo ubique impediri, *nisi leges expresse id concedant;* probabilis tamen est sententia contraria[3], nempe

---

externo possunt accipi. Profecto enim durum est (nisi verba omnino nequeant aliam pati interpretationem), asserere, quod leges, saltem pro foro interno, nolint admittere illam ignorantiam invincibilem, quae a conscientia excludit malam fidem; idque est argumentum, si bene intelligis, quod invocat Medina et approbatur a Lugone, d. 7, n. 29, 32.

Certe omnis tollitur difficultas in praescriptionibus, ad quas leges non requirunt titulum, idque expresse habetur in C. C. *arg.* a. 4050; pariter quoad illas personas, in quibus forte iura facilius admittant ignorantiam iuris, sicut olim Ius Romanum in militibus, minorennibus etc.

1 *Auctor* in hac materia idem sonat ac antecessor, scilicet ille, a quo res transit in alium, qui dicitur *successor.* Porro is dicitur successor *universalis,* si succedit tamquam heres proprie dictus, aut quovis alio titulo universali, seu quo universum ius bonorum antecessoris accipitur; *particularis* vero seu singularis, qui in re aliqua particulari succedit vel titulo singulari, ut emptor, donatarius, legatarius.

2 Hanc exceptionem habet C. C. *arg.* a. 3452, 4038, eamdem continet C. C. *br.* a. 495, 496, et forte idem putandum est ex C. C. *lus.* a. 483. Igitur iuxta haec Iura heres antecessoris malae fidei praescriptionem, quamvis ipse in bona fide sit, inchoare non potest. Animadverte tamen: 1° C. C. heredem non prohibere a praescriptione liberativa; 2° neque a praescriptione acquisitiva longi temporis quia ad hanc non exigunt bonam fidem *arg.* a. 4409, *br.* a. 550, 619, *lus.* a. 529, 532; 3°.neque heredem prohibere a praescriptione inchoanda, si defunctus in mala fide quidem fuit, sed bona fide inceperat, dummodo Iura tunc defunctum habilem fuisse habeant ad praescribendum, ut accidit in Iure *arg.* a. 4042 et *lus.* a. 520.

3 Waffelaert, n. 238; Gén. S., n. 491, resp. 3°.

Revera si ex ipsa natura rei heres considerandus est veluti persona defuncti, non intelligitur, cur patroni sententiae communis: 1° heredi defuncti malae fidei praescriptionem acquisitivam tantum recusent, concedant liberativam; 2° immo cur praescriptionem acquisitivam ordinariam seu brevioris temporis tantum recu-

praescriptionem, si ipse in bona fide sit, inchoari posse, non obstante mala fide antecessoris, *nisi leges expresse repugnent*[1].

Potest successor, sive universalis sive singularis, nisi leges contrarium statuant[2], ad praescriptionem computare tempus auctoris bonae fidei; porro bona fides praesumitur, nisi aliud constet[3]. Ratio est, quia auctor nisi a lege impediatur, vult in successorem transferre cum possessione omnia iura ipsi adnexa, ideoque et ius continuandi praescriptionem coeptam bona fide.

238 *e) Tempus a lege requisitum.* Quantum autem temporis requirant leges, discendum est e Codice propriae nationis.

Praecipua hic dabimus, quae decernuntur a Juribus, quorum dispositiones singulatim persequi solemus, sed uberior cognitio ex ipsis Codicibus haurienda est.

A. QUOAD BONA IMMOBILIA.

1. *Sine titulo et quin requiratur bona fides*, proindeque per solam possessionem (id est per rei detentionem cum animo eam habendi ut propriam), bona immobilia praescribuntur 30 annis iuxta C. C. *arg.* a. 4049, 4050, *br.* a. 550, *chil.* a. 2510, 2511, *col.* a. 2531, 2532, *gall.* a. 2262 (articulus iste agit quidem generalissimis verbis de praescriptione cuiusvis actionis personalis vel realis, puta iuris emphyteuseos, iuris ad hereditatem, ad censum etc., et communis interpretatio est valere eum quoque de acquisitione dominii, cf. WAFFELAERT, n. 240, 244; VERM., n. 277; GÉN. S., n. 491, resp. 3° et n. 492), *hisp.* a. 1959, *ur.* a. 1185. Iuxta C. C. *lus.* a. 529 praescribuntur quoque 30 annis sine titulo nec bona fide; attamen ex a. 526, 527 possunt sine titulo nec bona fide praescribi per possessionem 15 annorum, si possessio inscripta fuerit et a die

---

sent, concedant acquisitivam extraordinariam seu longi temporis; ratio enim quod lex ad praescriptionem extraordinariam non exigat bonam fidem, est ratio negativa, non concessio positiva, quae quoad forum conscientiae naturam rei valeat mutare.

1 Illiusmodi exceptionem diserte respuunt C. C. *chil.* a. 717, 2500, *col.* a. 778, 2521, *hisp.* a. 442, *ur.* a. 1180; iuxta hos igitur Codices poterit certo heres praescriptionem incipere. Exceptionis nullam mentionem faciunt Ius *gall.* et *mex.;* igitur his sententia benignior probabilis poterit applicari.

2 Immo, expresse id admittunt C. C. *arg.* a. 3452, 4039, *br.* a. 495, 496, 552, 619, *chil.* a. 717, 2500, *col.* a. 778, *gall.* a. 2235, *hisp.* a. 440, 1960, *lus.* a. 483 (loquitur de successore defuncti, de ceteris nihil dicit in contrarium), *mex.* a. 1077, *ur.* a. 1180.

3 Ita expresse C. C. *arg.* a. 4042, *br.* a. 490, *chil.* a. 707, *col.* a. 769, *gall.* a. 2268, *hisp.* a. 434, *mex.* a. 833, 1089, *ur.* a. 1181. Ceterum deberi auctorem praesumi in bona fide, quando aut nulla aut insufficiens ratio habetur in contrarium, est principium iuris naturalis, iuxta illud: « Nemo malus nisi probetur ».

inscriptionis effluxerint saltem 5 anni, possunt etiam praescribi 20 annis absque bona fide, si inscriptus fuit titulus acquisitionis, et ab huius inscriptionis die effluxerint saltem 10 anni. Iuxta C. C. *mex.* a. 1086 acquisitio immobilium absque titulo nec bona fide requirit 20 annos.

N. B. a) Idem lapsus temporis computatur inter absentes ac inter praesentes. Id quidem diserte exprimunt C. C. *arg.* a. 4049, *chil.* a. 2511, *col.* a. 2532, *hisp.* a. 1959, *ur.* a. 1185. Ceteri C. C. id quidem non exprimunt, sed eo ipso quod distinctionem non faciunt, in eodem sensu sunt accipiendi.

b) Etsi leges bonam fidem non exigant, certum tamen est eam theologicam exigi in conscientia, ut possessor rem ut suam habere possit.

c) Nec tamen idcirco iniquae existimandae sunt leges, quae sine respectu bonae fidei actionem domino vero denegant; rationem enim universaliorem respiciunt boni communis, scilicet ut ad expediendas forenses lites possit de rerum dominiis, saltem post longum temporis lapsum, aliqua certa regula haberi in foro externo, praesertim cum in eo probatio fidei semper sit difficilis. Verm., n. 273, 283.

2. *Cum titulo et bona fide* bona immobilia praescribuntur 10 annis, si verus dominus sit praesens, eo autem absente *anni* absentiae duplicantur iuxta C. C. *arg.* a. 4033, 4036, *br.* a. 551, *chil.* a. 2507, 702, 2508 (duplicantur *dies* absentiae), *col.* a. 2528, 764, 2529 (duplicantur dies absentiae), *gall.* a. 2265, 2266, *hisp.* a. 1957, 1958, *ur.* a. 1178. Iuxta C. C. *lus.* a. 528, 517, praescribuntur 15 annis; praescriptio eget tantum 5 annis, si inscripta fuit possessio, 10 annis, si acquisitio, semper a die inscriptionis computandis. Iuxta C. C. *mex.* a. 1086 praescribuntur 10 annis. Iure *lus.* et *mex.* nulla fit distinctio praesentium atque absentium.

NB. a) Absens dicitur Iure *arg.* a. 4033, qui domicilium habet extra provinciam, in qua sita res immobilis, *br.* a. 551 absentes sunt inter se personae degentes in diversis municipiis, *chil.* a. 2508. *col.* a. 2529 et *ur.* a. 1179 absens est qui degit extra territorium Reipublicae, *gall.* a. 2265 qui domicilium habet extra iurisdictionem Curiae Appellationis, in cuius territorio bonum immobile situm est, *hisp.* a. 1958 qui residet extra Nationem Hispanam.

b) Bona fides iuridica requiritur tantum in rei acquisitione iuxta C. C. *arg.* a. 4042, *gall.* a. 2269, *ur.* a. 1181; forte etiam in sola acquisitione ex *chil.* a. 706, *col.* a. 768 et *hisp.* a. 1950; semper tamen bona fides theologica necessaria est de iure naturali in possessionis continuatione, atque haec fides, etiam in actu acquisitionis, sufficit ad praescriptionem de Iure *br.*, *lus.* et *mex.*

c) Bona fides iuridica, nisi probationes in contrarium afferantur, praesumitur de Iure *arg.* a. 4042, *chil.* a. 707, *col.* a. 769, *gall.* a. 2268, *hisp.* a. 434, *ur.* a. 1181, itemque bona fides theologica, coincidens cum iuridica, praesumitur ex C. C. *br.* a. 490, *mex.* a. 833. Ceterum de iure naturali bona fides theologica, etiam stricte dicta, semper praesumi debet.

B. QUOAD BONA MOBILIA.

1. *Sine titulo et quin requiratur bona fides*, bona mobilia praescribuntur 30 annis, sicut immobilia iuxta C. C. *arg.* a. 4049, 4050 (verba enim a. 4049 non minus generalia sunt quam eadem Iuris *gall.* a. 2262, quae etiam de acquisitione *dominii* accipiuntur; immo a. 4050, nisi de acquisitione dominii rei *mobilis* loqueretur, plane esset supervacaneus), *chil.* a. 2510, 2511, *col.* a. 2531, 2532 *gall.* a. 2262 (ita diximus communiter intelligi). Praescribuntur 10 annis iuxta C. C. *br.* a. 619, *lus.* a. 532. Praescribuntur 6 annis iuxta C. C. *hisp.* a. 1955, *ur.* a. 1188 (hac lege *ur.* expresse a praescribendo excluduntur fur et complices, idemque fit lege *hisp.* a. 1956, nisi delictum vel eius poena praescripserit; numquam tamen hi praescribere possunt in conscientia).

NB. — Pro repetitis habe hic animadversiones *a*) *b*) *c*) factas supra quoad praescriptionem immobilium sine titulo.

2. *Cum titulo et bona fide* bona mobilia praescribuntur 3 annis iuxta C. C. *br.* a. 618, *chil.* a. 2508, 2507, 702, *col.* a. 2529, 2528, 764 (tum ex C. C. *chil.* tum ex *col.* dies duplicandi sunt inter absentes, ut supra de immobilibus), *hisp.* a. 1955, 1940, *lus.* a. 532, *mex.* a. 1088 (si res tamen fuit inventa vel cum delicto obtenta, et eam tertius quidam acceperit bona fide, is ad praescriptionem egebit 6 annis ex Iure *lus.* a. 533, 4 annis ex *mex* a. 1090), *ur.* a. 1186.

NB. — C. C. *br.*, *hisp.*, *lus.*, *mex.*, et *ur.* nullam inter praesentes et absentes distinctionem faciunt.

C. C. *gall.* a. 2279 ait: « Quoad mobilia possessio aequivalet titulo. Attamen qui rem amiserit, aut cui res furto ablata fuerit, potest eam per tres annos a die amissionis vel furti computandos repetere a quovis, penes quem actu sit, salvo huius iure adversus eum, a quo rem acceperat ».

Obscura sunt per se sola illa verba: « Quoad mobilia possessio aequivalet titulo », sed quoniam subsequitur exceptio de quibusdam rebus, ut repeti possint, intelligimus sensum verborum praecedentium esse, quod mobilia repeti non possint. Nihil ergo mirum, quod auctores communiter ibi translationem dominii intellexerint contineri. Nihilominus adverte: 1° possessio requiritur iuridica, id est ut saepe diximus, animo domini, non v. gr. titulo precario (C. C. a. 2229), et insuper pro foro conscientiae bona fides. — 2° Res mobiles intellige hic res corporales et quidem *singulas*, itemque schedas mensarias innominatas, id est *exhibenti solubiles*, (titres au porteur, quibus aequiparandae sunt v. gr. schedae loteriae) non vero mobilium universitatem (v. gr. successionem mobiliariam, bibliothecam, armentum), vel credita et census exhibenti non solubilia; nam ex legis tenore satis apparet, eius finem esse magis secura reddendi dominia rerum, quae facile de manu ad manum transmittuntur, proindeque lex ad haec, quae excipimus, non respicit. WAFFELAERT, n. 243, 248; VERM., n. 285; D'ANNIBALE II, n. 122; COLIN et CAPITANT, *Droit civ. franç.* I, p. 714 et 915. — 3° Igitur praedictae res mobiles iuxta a. 2279 transeunt statim in dominium eius, qui earum possessionem bona fine inchoat. Quum igitur heic nullus decursus temporis requiratur, non de praescriptione proprie agitur (ut erronee putarunt

aliqui, Ball. P., n. 435 et Gousset), sed de instantanea translatione dominii, Waffelaert, n. 245, 246; Verm., 285; Marres, n. 144; Lehmk., *Das bürg. Gesetzb.*, p. 254; D' Annib., n. 122; Gén. S., n. 492; Colin et Capitant, op. cit., p. 914 et 918. — 4° Excipiuntur tamen res amissae vel furto ablatae (ideoque in regula generali vix aliae res comprehensae remanent, nisi quae volente domino ab eius manibus excidunt, v. gr. si dominus rem alii commodaverit vel apud alium deposuerit, qui vicissim rem tertio vendiderit, vel si dominus fraudulenter deceptus rem alii tradiderit). Hanc exceptionem quidem (Gury - Ferr., n. 722; Ball. P., l. c.) ita intellexerunt, ut res furtivae et amissae triennali spatio praescribendae sint; alii vero (*Verm.*, n. 286; Aubry *et* Rau ap. Waffelaert, n. 247; D'Annib., n. 122; Colin et Capitant, l. c.) negant hic agi de ulla praescriptione, sed tantum de suspensione acquisitionis per tres annos. Hanc postremam interpretationem putamus omnino veram; ideoque possessor, in cuius manus bona fide pervenerit res furto ablata vel inventa, 1° per triennium a die furti vel inventionis computandum tenetur domino, si eum comperiat, rem reddere (si tamen rem emerat in publica venditione, pretium solutum exigere potest, ut dicetur inferius, ex a. 2280), quia huius dominium non acquisivit; 2° si res per triennium praeter unum diem penes furem mansisset, et ipse bona fide tunc acquisivit, die sequenti eius dominium in conscientia acquisivit, ita ut domino quamvis reclamanti iam nihil debeat; hoc autem falsum esset, si prout omnino erronee putarunt quidam, lex concederet pro rebus furtivis et inventis *praescriptionem;* non enim post furis possessionem sufficeret possessio unius diei in bona fide, sed possessor bonae fidei exspectare teneretur adhuc integrum triennium, ut posset tuta conscientia praescribere. — 5° Ex praedictis infertur quod inventor, transacto tempore prudentiali et omni spe iam exstincta reperiendi dominum, incipere potest eam possidere ut propriam, eiusque dominium acquirit tunc quidem titulo naturalis occupationis, et elapso triennio a die inventionis, etiam favore legis; atque ex hoc legis favore fit, ut si casu post triennium praedictum notitiam habeat prioris domini, rem ei tradere non teneatur (ad id teneretur autem ante completam praescriptionem 30 annorum, si solum titulum haberet naturalis occupationis, cf. supra n. 233) quia lex dominium ei transtulit absolute. Scimus sane huius legis favorem a iurisconsultis non admitti pro persona ipsius inventoris; sed nituntur erroneo motivo, nempe quod inventor sicut fur utpote consciens rei alienae, sit in mala fide, quod tempore exspectationis transacto non est verum; aliunde nihil reperitur in lege, quo persona inventoris clare excludatur. — 6° Probabilius opinamur legem, quam a. 2279 exhibet, iustam esse vimque sicut alias praescriptionis leges exercere in conscientia; nam *a*) securitati contractuum, quam bonum commune postulat, et necessariae tranquillitati possessionum bonae fidei prospicit, nec bonum domini aliunde negligit, quoniam rationabile tempus 3 annorum praebet, ut eam reclamare possit; deinde, *b*) si tandem aliquod dominis praeiudicium infert, id ex gravi motivo boni publici facit, proinde cautiores sint domini in suis rebus servandis, non enim inculpari debet lex, quae aliquod privatorum bonum sacrificat bono communi; *c*) immo si res bene perspicitur,

lex praeiudicium privatis non infert; nam damnum, quod posita hac lege passurus est dominus, idem ablata hac lege passurus esset possessor bonae fidei, qui rem ab alio emerat et eam priori domino reddere deberet; quod si dicis possessorem posse pretium sibi vindicare a fure, idem dicimus posse facere dominum, si possessorem non invenit.

Quaestio fieri posset, an non plus mali quam boni lex huiusmodi creet societati, nempe an bono communi non magis noceat ansa, quam facile inde arripient fures, ob spem vendendi rem v. gr. publico mercatori, qui scit se a lege non fore perturbandum. Sed resp.: mercatori malae fidei non prodest lex in conscientia; nec prodest in foro externo, nam si res probatur esse aliena, mercator reclamante domino cogetur eam tradere, et furi, in quem actionem servat, delictum non proderit; quod si ob malas artes aliave de causa res non probetur esse aliena, et mercatori prosit, id non fit ob ullam causam a lege datam, siquidem sine lege idem fieri posset. Huius igitur legis validitatem in conscientia docent Waffelaert; Verm.; D'Annib.; Marres., n. 144; Gén. S., n. 492, eamdem vero impugnat Ball. P., n. 417 seqq. (huius sententiam reiiciunt quidam dicentes eum non satis accurate hunc locum legis gallicae intellexisse, quod non videtur certum quoad multa, quae ibi disserit; saltem quaedam dicit, quae ipsius sententiam non spernere suadeant); Lehmkuhl vero huic legi acquiescit quidem, quamvis aegre, in *Bürg. Gesetzb.* p. 253 seqq. (lex tamen germanica, quam ibidem commentatur, non modice differt ab hac lege gallica), putat nihilominus in *Theol. Mor.* n. 1100 hanc legem gallicam « posse in conscientia negligi ab eo, cuius intersit legem eam non esse », id est posse dominum rem suam, etsi nec furto ablatam nec inventam, sibi vindicare a possessore (intellige, nisi is compleverit *praescriptionem*); quam quidem opinionem stando principiis probabilius recusandam diceremus, in praxi vero facilius id concederemus, dominum posse rem furto a se ablatam vindicare, quia nisi circumstantiae aliud vehementer suadeant, possessor aegre ostendet se eam acquisivisse bona fide, rursusque possessorem bonae fidei posse reclamantem repellere, quia nisi adiuncta aliud persuadeant, aegre ostendet se esse verum dominum. Nec obiicias, quod bona fides semper praesumenda sit, ideoque non necesse esse ut positive constet. Nam resp.: Verum est bonam fidem debere praesumi, at vero verus dominus ex certissima scientia novit se hucusque fuisse verum dominum, ideoque non tenetur admittere se a lege rei dominio privatum fuisse, nisi positive et moraliter certo ei constet condiciones a lege requisitas exstitisse, quia ius certum non eliditur per meras praesumptiones in contrarium, sed per aliam positivam probationem moraliter certo concludentem.

Iuxta C. C. *arg.* a. 2446: « Possessio bonae fidei rei mobilis gignit praesumptionem proprietatis et ius repellendi quamlibet actionem rei vindicationis, nisi res furto ablata fuerit vel amissa » (cohaeret a. 631). Haec lex dominium transfert in bonae fidei possessorem, ita ut nulla ei maneat comperto domino restitutionis obligatio; secus enim frustra exciperentur res furtivae vel amissae. Lex igitur idem sonat ac lex gallica, quam nuper retulimus:

« Quoad mobilia possessio aequivalet titulo », a qua illa sine dubio desumpta est, idemque sonare supponit adnotator Codicis Civilis ad aa. 2446 et 3982. Haec ibitur lex, sicut similis gallica, dominium transfert statim (idem docet Machado *Coment. al C. C. arg.* ad a. 2412 numerationis pristinae). Nec obstat quod proprietas dicatur « praesumi », intelligi enim debet « praesumptio iuris et de iure », contra quam non admittitur probatio (consonant Colin et Capitant, op. cit., p. 918; Machado, op. cit., p. 317); itemque non obstant quaedam Curiae Appellationis sententiae (vid. Machado, p. 319), in quibus proprietas dicitur praesumi « salva probatione contraria »; intelligitur enim non probatio, qua directe ostenditur deesse id, quod praesumitur, sed probatio indirecta, qua indirecte ostenditur deesse condiciones ad illiusmodi praesumptionem requisitas (Wernz, V. n. 657), puta si probes alium non possidere, vel possidere in mala fide, vel non possidere nomine proprio (a. 2386), v. gr. probando proprietarium esse alium, a quo ille rem acceperat in depositum (idem fere docet Machado p. 317, 318, 322, et quoad similes sententias in Iure gall. Colin et Capitant p. 918; sunt tamen quaedam sententiae Curiae arg. difficilioribus terminis conceptae), vel si probes eum ex contractu aut aliter obligatum fuisse ad rem tradendam (a. 2448). Differt tamen lex arg. a lege gall., prout ex sequentibus adnotationibus eruetur: 1° Agitur de rebus *corporalibus* (a. 2793, 2796), non vero de incorporalibus seu de creditis (a. 2794, 2796); credita tamen *innominata* (al portador) statim in dominium transibunt possessoris, quia difficile possunt a domino identificari (a. 2796), si tamen dominus ea sua esse probare possit, v. gr. si inclusa erant in capsa, ea sibi vindicare poterit (Llerena, *Concord. al Cod. arg.*, ad a. 2760 et 2762 numerationis pristinae). 2° Agitur praeterea de rebus *singulis* (inter has a. 2798 vult comprehendi universitates rerum v. gr. armenta, bibliothecam, at excludit universitatem bonorum v. gr. successionem hereditariam). 3° Non agitur hic de praescriptione, sed de translatione instantanea dominii. 4° Excipiuntur res furto ablatae vel inventae, has enim lex vult *semper* a domino reclamari posse, ideoque vix aliae res in lege comprehenduntur, nisi eae, quas dominus ipse tradidit alii v. gr. in depositum (vel fraude deceptus, vid. a. 2800, similiter Aubry et Rau ap. Waffelaert, n. 247), qui eas rursus mala fide alii tertio bonae fidei emptione aut dono dederit. 5° Lex, quoniam res furtivas vel amissas vult a domino posse reclamari, nullo assignato temporis termino ideoque quovis tempore (a. 2799), earum dominium numquam possessori tradit, etsi bonae fidei. Id tamen non prohibet praescriptionem 30 annorum; immo potest inventor transacto rationabili tempore rem naturaliter occupare (vid. dicta n. 233): etsi enim lex illi rei dominium non tribuat, hoc tamen ius naturalis occupationis non aufert. Ceterum si res empta fuit in venditione publica, dominus rem sibi vindicare non poterit, nisi pretium solutum possessori refundat, ut dicetur inferius, ex a. 2802; immo re non empta in venditione publica, si tamen possessor eam titulo oneroso et bona fide acquisierit, et dominus hac deficiente circumstantia rem difficulter recuperare potuisset, tunc possessor potest aliquam summam proportionatam reclamare, ex a. 2456. 6° Huius a. 2456 valorem in conscientia tenemus, sicut

supra in simili a. 2279 Codicis Gallici, eoque vel magis, quod Ius arg. domino magis favet, nullum ei terminum imponens in reclamandis suis rebus furto amissis.

Denique Ius *hisp.* in a. 464 eadem fere verba exhibet: « Possessio bonorum mobilium in bona fide aequivalet titulo; si quis tamen rem mobilem amiserit vel ab ea illegitime privatus fuerit, eam sibi vindicare poterit ». Pronum esset propter manifestam huius legis analogiam cum praecedentibus nuper commentatis eamdem simili sensu interpretari, quasi diceret: « Bona mobilia statim transeunt in dominium possessoris bonae fidei, dominus tamen rem suam sibi vindicare poterit (intellige ante completam praescriptionem triennalem, a. 1955) ». Sed quoniam haec exceptio in lege hisp. comprehendit praeter res amissas quamlibet etiam rem, qua quis illegitime privatus fuerit, etiamsi eam ipse alii tradiderit (v. gr. in depositum), proindeque translatio immediata dominii in iis tantum rebus locum habere posset, quae identificari ideoque a domino reclamari non possint, unde lex hunc fere sensum nugatorium exhiberet: « Possessor bonae fidei dominium acquirit rerum, quae reclamari non poterunt »: propterea necessarium videtur eam ita intelligere (cum Ferr., n. 719), ut in favorem possessoris mere contineat praesumptionem iuris, quasi scilicet diceret: « possessor bonae fidei praesumitur dominus, ideoque qui se dominum dixerit, actionem vindicatoriam contra eum exercere debebit in iudicio sicut contra habentem titulum ».

C. QUOAD RES MOBILES IN PUBLICA VENDITIONE EMPTAS.

De iure naturali potest dominus rem suam, quam amiserat vel qua illegitime privatus fuerat, vindicare sibi a quovis possessore, penes quem eam deprehenderit, dummodo tempus sit adhuc ad reclamandum utile, id est modo bonae fidei possessor nondum praescripserit. Nihilominus plures C. C. possessori bonae fidei concedunt, ut si rem emerit in mercatu publico, non teneatur eam domino reddere durante *utili tempore* comparenti, nisi is sibi pretium solvat, quo eam acquisiverat. In re autem, quae tam practica est, iuvat exacte dignoscere, quid in propria regione lex constituerit.

C. C. *arg.* a. 2802: « La persona que reivindica una cosa mueble robada o perdida, de un tercer poseedor de buena fe, no está obligada a reembolsarle el precio que por ella hubiese pagado, con excepción del caso en que la cosa se hubiese vendido con otras iguales en una venta pública o en casa de venta de objetos semejantes ». Et a. 3248: « Si la cosa se ha perdido o ha sido robada a su dueño y el deudor la ha comprado en venta pública o a un individuo que acostumbraba vender cosas semejantes, el propietario podrá reivindicarla de manos del acreedor, pagándole lo que le hubiese costado al deudor ». Quoniam ex Iure *arg.* mobilia specialem praescriptionem non habent nisi 30 annorum, res reclamari semper potest, nisi totidem anni effluxerint possessionis non interruptae in bona fide. — C. C. *br.* a. 521: « Aquelle que tiver perdido coisa movel, ou titulo ao portador, ou a quem houverem sido furtados, pode rehavel-os da pessoa que os detiver, salvo a esta o direito regressivo contra quem lh' os transferiu. Sendo o objecto

comprado em leilâo publico, feira ou mercado, o dono, que pretender a restituiçâo, é obrigado a pagar ao possuidor o preço por que o comprou. — C. C. *chil* a. 890 et *col.* a. 947: « Exceptúanse las cosas muebles cuyo poseedor las haya comprado en una feria, tienda, almacén, u otro establecimiento industrial en que se vendan cosas muebles de la misma clase. Justificada esta circunstancia, no estará el poseedor obligado a restituir la cosa, si no se le reembolsa lo que haya dado por ella y lo que haya gastado en repararla y mejorarla ». — C. C. *gall.* a. 2280: « Si le possesseur actuel de la chose volée ou perdue l' a achetée dans une foire ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d' un marchand vendant de choses pareilles, le propriétaire originaire ne peut se la faire rendre qu' en remboursant au possesseur le prix qu' elle lui a coûté ». Tempus utile ad reclamandum assignat a. 2279 tres annos. C. C. *hisp.* a. 1955: « En cuanto al derecho del dueño para reivindicar la cosa mueble perdida o de que hubiese sido privado ilegalmente, así como respecto a las adquiridas en venta pública, en Bolsa, feria o mercado, o de comerciante legalmente establecido y dedicado habitualmente al tráfico de objetos análogos, se estará a lo dispuesto en el art. 464 de este Código ». Et a. 464: « Si el poseedor de la cosa mueble perdida o sustraída la hubiese adquirido de buena fe en venta pública (intellige non in nundinis aut in publico mercatu, sed in subhastationibus publicis), no podrá el propietario obtener la restitución sin reembolsar el precio dado por ella..... En cuanto a las adquiridas en Bolsa, feria o mercado, o de un comerciante legalmente establecido y dedicado habitualmente al tráfico de objetos análogos (non si rerum ab illa satis diversarum, quia tunc praesumeretur mala fides), se estará a lo que dispone el Código de Comercio ». Et Codex Comercii a. 85: « La compra de mercaderías en almacenes o tiendas abiertas al público causará prescripción de derecho a favor del comprador (intellige instantaneam dominii translationem; proinde quoad res et adiuncta, de quibus agitur in hoc articulo Codicis Comercii, nullum domino conceditur tempus reclamandi, nec, quamvis pretium solutum offerat, lex obligat emptorem, ut rem illi cedat) respecto de las mercaderías adquiridas. Para los efectos de esta prescripción se reputarán almacenes o tiendas abiertas al público: 1° Los que establezcan los comerciantes inscritos. 2° Los que establezcan los comerciantes no inscritos, siempre que los almacenes o tiendas permanezcan abiertas al público por espacio de ocho días consecutivos, o se hayan anunciado por medio de rótulos, muestras o títulos en el local mismo o por avisos repetidos al público o inscritos en los diarios de la localidad. « Statuta C. C. *hisp.* nuper recitata vim quoque habent in regionibus Hispaniae, quae reguntur Jure forali. — C. C. *lus.* a. 534: « O que exige a cousa, no prazo em que o pode fazer, d' aquelle que o comprou em mercado o praça publica ou a mercador que negoceia em cousas do mesmo genero ou semelhantes, é obrigado a pagá-la ao terceiro de boa fé pelo preço que este houver dado por ella, salvo o regreso contra o autor do furto ou da violencia, ou contra o achador. — C. C. *ur.* a. 1187: « Si el poseedor actual

de una cosa robada, la ha comprado en feria, mercado o venta pública, o a persona que vendía ordinariamente cosas semejantes, el verdadero dueño no puede exigir la entrega, sin pagar el precio desembolsado por el poseedor ».

NB. — Evidenter mercator ipse, qui rem furtivam consciens vel inconsciens emerit, nequit legem invocare, eo quod ipse rem in sua publica taberna emerit; nam manifestum est legem loqui de tertiis seu extraneis, qui apud mercatorem emunt (ita etiam Colin et Capitant quoad legem gallicam).

Iustitiam huiusmodi legum, quae res publice et bona fide emptas a vindicatione eximunt, nisi emptor soluto pretio indemnis fiat, proinde et eorumdem valorem in conscientia plurimi auctores defendunt (contra Ball. P.), quos citat et sequitur Ferr., n. 723. Horum sententia videtur sane probabilior; lex enim, ut superius dicebamus, ob magnum motivum boni publici lata est, valde enim consentanea est securitati commercii tutandae, nec aliunde domino plus nocumenti infert quam illud motivum boni publici postulat: concedit enim illi tempus rationabile reivindicationis (non tempus indefinitum, quia voluit stabilitati possessionum prospicere), indemni servato emptore bonae fidei; praeterquam quod dominus, si rem non invenit vel si a possessore non obtineat aut nonnisi soluto pretio redimere debeat, semper, ut par est, recursum servat contra furem, neque huiusmodi naturale ius lex illi unquam denegat. Idem fere Colin e Capitant, op. cit., p. 925 aliis verbis: « Le motif de cette disposition est visibile. L' acheteur n' a aucun reproche à se faire; il n' a commis aucune imprudence. Rien ne pouvait lui laisser soupçonner que la chose avait été trouvée ou dérobée. Il serait injuste (?) de lui faire subir la perte des prix. Quant au vrai propriétaire, il aurait peut-être pu, avec plus d' attention, éviter la perte ou empecher le vol. Des deux interêts mis dans le balance, c' est le premier qui doit l' emporter ».

Ius tamen *hisp.*, quod supra retulimus, praeter legem, quae concedit domino tempus utile, ut a possessore vindicet rem in publica venditione emptam, aliam continet, quae huiusmodi ius non tribuit, etsi offerat pretium, si empta fuit in publicis tabernis. De utraque lege per modum unius crisim instituit Ferr., n. 723, cum tamen haec altera difficultatem specialem praebeat, nec in eius favorem invocari possint auctores, qui iudicium tulerunt de lege gallica, cui illa non est aequiparanda. Lex enim hispana rei dominium statim in possessorem transfert, nullo ei concesso tempore vindicationis nec alio ei iure reservato, nisi ut contra furem se indemnem faciat. Hanc subitam domini spoliationem, etiam de rebus sibi furto ablatis, necessariam fuisse, ut bono communi prospicereretur, satis non possumus admittere. Et sane ex aliis Codicibus nullus id necessarium duxit; nam lex gall. et arg. hanc instantaneam translationem dominii non faciunt nisi pro rebus, quas dominus ipse tradiderat, ita ut inter emptorem bonae fidei et dominum, qui nimia forsan simplicitate rem tradidit, hunc, non illum velint, ut sustineat consectaria suae propriae actionis; ceteri autem Codices ne id quidem concedunt. Praeterea lex hispana nimium incitamentum furibus praebere videtur, qui facillimum

recursum habebunt ad mercatores malae fidei, ad quorum tabernas, ubi res ementur vili pretio, tuto omnes recurrent; nam cum lex, si dominus possessorem deprehendat, evictionem deneget (ordinarie enim mala fides probari non potest), nihil mercatores timere debent ab emptoribus, siquidem hi pretium ab illis in nullo casu repetent, nihil quoque a lege, quae eos adigat ad indemnem reddendum dominum, siquidem dicent se rem bona fide ab ignoto homine emisse; ceteri autem Codices magno huic incommodo, quantum securitas pactionum et possessionum a lege intenta patiebatur, obviam ierunt, rationabili tempore assignato, ut fieri solet in praescriptionibus, ut dominus reclamet. Quare satis probabilius putamus (cum Ball. P.) alteram illam legem, prout iacet, bono communi non satis prospicere, proindeque posse in conscientia dominum stare, in casu, iuri tantum naturali, et consequenter posse rem furtivam a possessore, etsi bonae fidei, repetere, quin teneatur ad refundendum pretium, idque non solum (quod indubium est), quando satis non potest credere dicenti se rem emisse in publica taberna, sed etiamsi id omnino constet. Nec dicas parendum esse legi, etsi probabiliter tantum iustae, itemque non licere possessoris spoliationem nisi cum iure certo (cf. dicenda de occulta compensatione); nam pro iustitia legis probabilitatem non videmus (praeterea circa legem incerto iustam vide Lugonem, *De Iust.*, d. 36, n. 90; S. Alph., l. 3, n. 617; Gén., n. 573 in edit. 7ª), aut non sufficienter fundatam, ut stare possit cum tanta praesumptione contraria. De cetero, ut diximus, auctores pro adversa parte citari non possunt, quippe qui referebantur ad legem gallicam, ab hac altera parte legis hispanae prorsus diversam.

D. QUOAD PRAESCRIPTIONEM LIBERATIVAM.

Nonnulla hic tantum dabimus, pro fusiore notitia remittentes ad C. C. *arg.* a. 4051-4077 et C. Commercii a. 844-855, *br.* a. 177-179, *chil.* a. 2514-2524 et C. Commercii a. 1313 seqq., *col.* a. 2535-2545, *gall.* a. 2260-2264, 2271-2278, *hisp.* a. 1961-1975, *lus.* a. 535-547, *mex.* a. 1051 seqq., 1091-1108, *ur.* a. 1189-1201.

1. *Omnes actiones tam reales quam personales* absque necessitate tituli praescribuntur 30 annis, ex C. C. *gall.* a. 2262; 20 annis ex C. C. *mex.* a. 1091; *reales* praescribuntur 30 annis, ex C. C. *ur.* a. 1189; *personales* 30 annis, *reales* 10 annis inter praesentes et 20 inter absentes, ex C. C. *br.* a. 177; actiones exsecutivae, (id est quae fundantur in instrumento exsecutionem continente et recognito ab altera parte, v. gr. in scriptura publica, littera commerciali recognita, sententia iudiciali firma etc.) praescribuntur 10 annis, ceterae actiones 20 annis, ex C. C. *chil.* a. 2515, *col.* a. 2536.

NB. — Haec dicuntur tamquam regula generalis; nam actiones particulares sunt, quibus brevius tempus assignatur, ut patebit ex statim dicendis.

2. *Actiones reales in bona immobilia* (non agitur hic de actionibus per possessionem acquirendis, sed de iis exstinguendis) praescribuntur 30 annis, ex C. C. *hisp.* a. 1963.

3. *Actiones reales in bona mobilia* (non agitur hic de iis acquirendis, sed de exstinguendis), praescribuntur 6 annis a die amissae possessionis, ex C. C. *hisp.* a. 1962.

4. *Actiones personales* praescribuntur 15 annis, ex C. C. *hisp.* a. 1964, 20 annis cum bona fide, 30 autem sine ea, ex C. C. *lus.* a. 535.

Sunt tamen speciales *actiones temporales*, quae minore temporis lapsu praescribuntur, nimirum:

a) *Debita* computato tempore a die, quo exigi poterant, exstinguuntur lapsu 10 annorum inter praesentes, 20 inter absentes, ex C. C. *arg.* a. 4057, 20 annorum ex C. C. *ur.* a. 1190.

b) *Obligationes solvendi pretium conductionis domus vel praedii* exstinguuntur post 5 annos, iuxta C. C. *arg.* a. 4061, *br.* a. 178 par. 10 IV, *gall.* a. 2277, *hisp.* a. 1966, *lus.* a. 543, *mex.* a. 1103; post 4 annos, iuxta C. C. *ur.* a. 1197.

c) *Obligationes solvendi, quaecumque singulis annis aut periodice brevioribus spatiis solvenda sunt*, exstinguuntur 5 annis, iuxta C. C. *arg.* a. 4061, *gall.* a. 2277, *hisp.* a. 1966; 4 annis, iuxta C. C. *ur.* a. 1196.

d) *Obligationes solvendi honoraria iudicibus, advocatis, medicis, chirurgis, pharmacopolis* exstinguuntur post 2 annos, ex C. C. *arg.* a. 4066; post 1 annum (iudices tamen explicite non nominat), ex *br.* a. 178 par. 6 IX et X; post 3 annos (pharmacopolas explicite non nominat), ex *chil.* a. 2521 et *col.* a. 2542; post 2 annos quoad advocatos, medicos, chirurgos et pharmacopolas, ex *gall.* a. 2273, 2272 (iuxta reformationem factam lege 30 nov. 1892); post 3 annos (medici et chirurgi non nominantur), ex *hisp.* a. 1967; post 2 annos quoad advocatos, post 1 annum quoad medicos et chirurgos, ex *lus.* a. 540, 539; post 3 annos (non nominantur expresse iudices nec pharmacopolae), ex *mex.* a. 1095; post 2 annos (non nominantur iudices) ex *ur.* a. 1197.

e) *Obligationes solvendi* 1° *professoribus et magistris sive artium sive scientiarum stipendia menstrua;* 2° *mercatoribus pretium pro mercibus venditis iis, qui mercatores non sunt, vel qui non exercent mercaturam eiusdem generis;* 3° *fabris pretium pro artefactis;* 4° *dominis Collegiorum vel domuum pensionis pretium pro pensionibus* exstinguuntur post 1 annum quoad omnia praedicta, ex C. C. *arg.* a. 4069; post 1 annum quoad 1.um (sed post 2 annos, si illis stipendia solvenda erant per periodos mense longiores), et quoad 4.um, ex *br.* a. 178 par. 6 et 7; post 3 annos quoad 1.um, post 2 annos quoad 2.um et 3.um ex *chil.* a. 2521, 2522 et *col.* a. 2542, 2543; post 6 menses quoad 1.um, post 2 annos quoad 2.um, post 1 annum quoad 4.um, ex *gall.* a. 2271, 2272 (iuxta reformationem factam lege 26 febr. 1911); post 3 annos quoad 1.um et 2.um, ex *hisp.* a. 1967; post 1 annum quoad 1.um (sed post 3 annos, si agitur de professoribus et magistris, quorum stipendia solvuntur annuatim), post 1 annum quoad 2.um, post 6 menses quoad 4.um (lex tamen non nominat Collegia), ex *lus.* a. 538, 539, 541; post 3 annos quoad 1.um, 2.um et 3.um, post 5 annos quoad 4.um, ex *mex.* a. 1095, 1103; post 2 annos quoad omnia praedicta (sed post 4 annos, quoad 2.um et 3.um, si debitor degit extra fines Reipublicae), ex *ur.* a. 1197.

f) *Obligationes solvendi* 1° *famulis salaria menstrua, artificibus et operariis salaria pro suo labore;* 2° *tabernariis seu hospi-*

tiis debita pro sustentatione et hospitio exstinguuntur post 1 annum ex C. C. *arg.* a. 4069; post 6 menses quoad 1.um, post 5 annos quoad 2.um, ex *br.* a. 178 par. 5 V et par. 10 V; post 2 annos (sed quoad 1.um non comprehenduntur « artifices et operarii », qui servitia praestant non accidentaliter aut periodice, sed modo stabili v. gr. in fabricis), ex *chil.* a. 2522 et *col.* a. 2543; post 6 menses (sed post 1 annum quoad « famulos », si conducti sunt ad salarium annuum), ex *gall.* a. 2271, 2272; post 3 annos, ex *hisp.* a. 1967; post 6 menses (sed post 1 annum quoad famulos, qui conducuntur ad annum), ex *lus.* a. 538, 539; post 3 annos, ex *mex.* a. 1095; post 6 menses (sed post 1 annum quoad famulos, artifices et operarios ad annum conductos), ex *ur.* a. 1198, 1199.

g) *Ius exigendi civiliter reparationem pro iniuria vel calumnia, et pro damnis illatis ex culpa vel negligentia*, exstinguuntur post 1 annum ex C. C. *arg.* a. 4071, *hisp.* a. 1968, *lus.* a. 539, *mex.* a. 1095 VIII; post 5 annos ex *br.* a. 178 par. 10 IX.

NB. — 1° Leges de praescriptione liberativa generatim non censendas esse, quod mere actionem denegent in foro externo, sed vim quoque habere in conscientia (in hoc sensu, quod liceat debiti solutionem *denegare*, non vero quod liceat debitum absque vi et dolo solutum *repetere*), satis diximus alibi (n. 235 nota circa finem). Neque id difficultatem ullam habet pro liberationibus *longi temporis*, puta 10 annorum aut amplius.

At vero, quod ad praescriptiones attinet *breviores*, res non est tam plana, et iure posset dubium exsurgere *de huiusmodi legum iustitia*. Cum enim debita exstinguant post lapsum temporis tam breve (puta salaria operariorum post annum, pretium mercium post biennium vel triennium etc.), non potuit legislator non videre, quod in praxi nimis frequenter, immo longe frequentius leges applicari debebunt in casibus, quibus debitum a persona ad iudicium conventa ignorari non potest, ideoque nimis frequenter debitoribus favebunt malae fidei, immo maximum incitamentum praebebunt hominibus nequam, ut debita non solvant cum spe tam cito praescribendi. Nihilominus, etsi lex tam magnum malum creet causae publicae, probabilius opinamur eam non esse iniustam; agitur enim de negotiis quotidianis, quae passim occurrunt: quae si per longum tempus attendi deberent, numero incredibili afferrentur ad iudices. Ne igitur forum impleretur litibus et tribunalia reclamationibus minoris momenti opplerentur, necesse fuit eas praecidere brevi tempore. Malum quidem creatur rei publicae, at malum necessarium est, ad vitandum nempe rei publicae malum maius. Lex ergo est valida.

An igitur dicenda, quod cum actionum cumulationem in foro tantum vitare debeat, debitum in conscientia non exstinguit, sed actionem tantum denegat in foro externo? Duplici quaestione respondendum est.

1ª quaestio. An huiusmodi lex *possit* etiam intendere exstinctionem obligationis in conscientia? Resp. Probabilius opinamur posse; nam supposito, quod breviores huiusmodi praescriptiones necessariae sunt, securiores reddunt possessiones bonorum atque efficacius removent incertitudines obligationum, si vere in con-

scientia debita exstinguant; et aliunde, cum in conscientia prodesse non possint debitoribus malae fidei, non magis iis favent, quam faverent per merum favorem in foro externo. Nec dicas legem non potuisse raro contingentia respicere, sed communiter contingentia, autem fore, ut contingat debitum bona fide negari post tam breve tempus. Nam homines probi, qui anxietates concipere possent de soluto aut non soluto debito ante longum tempus contracto, vel quibus quaerelas et dubia suscitare possunt post longum tempus creditores malevoli, vel heredes, qui antecessorum debita ob invincibilem ignorantiam aut fide dignae probationis defectum, per aliquod tempus non solverunt, etc., certe ii nec rari sunt nec pauci.

2ª quaestio. An huiusmodi lex de facto *intenderit* exstinctionem obligationis in conscientia? Resp. Tum propter alibi asserta de vi praescriptionis in genere, tum propter nuper dicta regula generalis debet esse: Lex id intendisse praesumenda est, nisi de contrario constet. Iam vero ut de singulis C. C. aliquid loquar:

a) Nullatenus contrarium constat ex eo, quod C. C. *arg.* a. 3982 praescriptionem liberativam iis terminis definiat, quae videantur eam referre tantum ad litem iudicialem; lex enim definitionem confecit, respiciens ad finem principalem, non unicum, quem in creanda praescriptione intendit; aliunde vero in a. 4051 verbis loquitur sat diversis.

Nec rursus difficultas ulla oriri potest ex eo, quod, a. 549, obligationes praescriptione exstinctas recenset inter « naturales ». Iam enim alibi (n. 226 nota NB.) diximus huius articuli sensum non alium esse nisi hunc: « Contra obligationem praescriptione exstinctam non datur actio, (id est eius adimpletio non poterit iudicialiter exigi, quia iam exstincta est civiliter, immo, addimus, etiam in conscientia); si tamen obligatio adimpletur (utique *libere*, id est dummodo ab altero solutio non extorqueatur dolo, vi etc.), lex non concedet solutionem repeti, ideoque permittet rem acceptam retineri », cf. Ferr., n. 724. Igitur lex, ut vides, non asserit « ideo solutum posse retineri, quia in debitore obligatio solvendi subsistebat in conscientia ». Supponit quidem aliquam obligationem naturaliter validam, saltem seclusa dispositione legis civilis, potuisse exsistere in conscientia, sed utrum tempore solutionis libere factae iam exstincta esset an adhuc subsisteret, non dicit, sed abstrahit, idque confirmatur ex exemplis quae recenset, cuiusmodi sunt v. gr. obligationes non admissae a iudice ob defectum probationis, aut denegatae ex errore (si revera huiusmodi obligationes exsistebant in conscientia, exsistere pergent), contractae a minorennibus (exsistebant, donec favor legis invocaretur), exstinctae per praescriptionem (exstinctae fuerant in conscientia, idque saltem pro praescriptionibus longi temporis constat ex supra probatis). Si igitur a vi praescriptionis in conscientia legislator abstraxit in hoc loco, pronum est, ut non ex hoc loco quaeramus, quam vim praescriptionibus liberativis brevioribus reapse tribuere voluerit, sed ex aliis locis (a. 1381 seqq. et 4051 seqq.) eruamus, ubi praescriptionis leges condit. Ubi autem eas condit (a. 3981 seqq., 4051 seqq.), nihil occurrit, quo videatur per eas nolle obligationem in

conscientia exstingui; immo si praescriptiones breviores ibi constituisset omni vi pro foro interno destitutas, pariter destitutas fecisset praescriptiones longiores (quod ob rationes generales de praescriptione admitti nequit), cum ibi de quibuslibet praescriptionibus liberativis indistincte loquatur ac de utrisque pariter dicat a. 4051, quod « debitorem ab omni obligatione liberant », quod non sine aliqua violentia de foro externo esclusive intelligeretur. Igitur conclusio sit: praescriptiones liberativae breviores Codicis *arg.* probabiliter prosunt in conscientia.

b) Similis difficultas fieri posset quoad C. C. *chil.* a 1470 et *col.* a. 1527, ubi eadem definitio occurrit obligationis naturalis eademque exempla. Facilior vero in his C. C. est solutio; nam praeterquam quod iis eaedem responsiones aptantur, quas nuper dedimus, magno argumento est, quod in *chil.* a. 1567 et *col.* a. 1625 praescriptio recensetur inter modos « obligationis exstinguendae », utique in conscientia, quippe qui *omnes* modi ibidem recensiti (solutio debiti, novatio, transactio, remissio, compensatio etc.) obligationem in foro etiam interno absolute exstinguunt. Praeterea in loco Codicis, ubi praescriptiones liberativae instituuntur, usurpatur haec locutio: « ius alienum exstinguunt » « obligationem exstinguunt » *chil.* a. 2514, 2520, *col.* a. 2535, 2541.

c) Aliud prorsus dicendum est quoad C. C. *gall.* et *ur.* Cum enim C. C. *gall.* a. 2275 voluerit, ut pro praescriptionibus liberativis, quas ante a. 2274 recensuerat, *biennium non excedentibus* iuramentum actori deferri possit, ut iuret se debitum reapse solvisse, aut scire solutum a defuncto antecessore fuisse, cumque idem voluerit C. C. *ur.* a 1201 pro praescriptionibus liberativis, *quae quadriennium non excedunt*: manifestum fit legislatorem *gall.* et *ur.* expresse atque omnino noluisse per huiusmodi praescriptiones obligationem solvendi exstinguere in conscientia, si forte solutio reapse peracta non fuit. — Idem sentit Ferr., n. 724, et quoad praedictas praescriptiones Codicis gallici Gén. S., n. 494, 3 (putat tamen Waffelaert, n. 256 exceptionem admittendam esse in lege gallica pro « vidua et heredibus », quoniam hi non iubentur iurare « debitum reapse solutum fuisse », sed tantum « se nescire rem deberi »; sed contradicit Gén. S., l. c.). Immo Gén. S. putat idem dicendum debita nempe, non exstingui in conscientia) de quibuslibet praescriptionibus Codicis *gall.* liberativis, *quae non superant 5 annos*, quales v. gr. plures recensentur in Cod. Commercii eiusdem Nationis.

d) Idem iuramentum de « peracta solutione » statuit C. C. *lus.* a. 542 posse exigi pro omnibus praescriptionibus liberativis, etiam quinquennalibus; hae igitur iuxta voluntatem legislatoris obligationem solvendi non tollunt in conscientia, si solutio, etsi bona fide, reapse peracta non fuit. Nihilominus 1° contrarium videtur dicendum de praescriptione liberativa vicennali et tricennali: reapse enim hae non sunt includendae sub a. 542; non sunt includendae tricennales: frustra enim exigeretur iuramentum, cum a. 535 expresse dicat eas legaliter esse validas nullo habitu respectu ad malam fidem; nec vicennales, tum quia de iis in eodem a. 535 per modum unius loquitur cum tricennalibus, tum quia sintne admissibiles aut inadmissibiles, id unice ab hac condicione pen-

dere facit, quod in instanti, quo praescriptio exspiravit, debitor fuerit in bona vel mala fide, non vero pendere facit a condicione peractae aut non peractae solutionis. 2° contrarium etiam dicendum est quoad omnes praescriptiones breves, si praeter tempus assignatum insuper tertia eiusdem pars effluxit (puta octo menses pro praescriptione semestrali, sexdecim menses pro praescriptione annua); tunc enim a. 544 statuit eas esse admittendas etiam in casu malae fidei.

e) Quoad praescriptiones breviores Codicis *br.*, *hisp.* et *mex.* specialis difficultas non occurrit (multo debilior esset difficultas ex *br.* a. 970 quam supra ex *arg.* a. 549), ideoque censeri possunt probabilius obligationem exstinguere etiam in conscientia.

NB. — 2° Bonam fidem requiri per totum praescriptionis tempus, ut debitum exstinguatur in conscientia, quantumvis lex forte illam non requirat, saepe diximus. Id tantum advertendum est debitorem ipsum generatim in bona fide non esse; difficile enim eveniet, quod suum debitum ignoret; sed praescribere potest eius successor, qui per tempus legaliter requisitum illud ignoraverit (modo leges successori v. gr. universali facultatem praescribendi non denegent, de quo diximus alibi).

NB. — 3° Possitne obligationem praescribere, qui solutionem non peregit, eo quod solvendo impar, item qui solutionem diu distulit, eo quod creditor eam non poposcit, diximus alibi, a. 236 in una ex notis.

Superveniente impedimento nunc praescriptio suspenditur, nunc interrumpitur. Suspendi dicitur, quando impedimento remoto tempus sequens connecti potest cum tempore impedimentum praecedente, ita ut tantum computari debeat ceu inutile tempus, quo impedimentum duravit. Interrumpi dicitur, quando cessante impedimento debet tempus iterum inchoari.

Communiter praescriptio *suspenditur*, dum iudicia exerceri nequeunt (v. gr. tempore belli), suspenditur quoque contra minorennes et generatim contra quoslibet, qui ius suum prosequi nequeunt[1].

Duplex praescriptionis *interruptio* consideratur[2] ob di-

---

[1] Cf. de his C. C. *arg.* a. 4000-4017, *br.* a. 168-171, *chil.* a. 2509, *col.* a. 2530, *gall.* a. 2251-2259, 2278, *lus.* a. 548-551, *mex.* a. 1109-1116. Iure *hisp.* a. 1932 praescriptio non suspenditur in favorem minorennium aliarumve personarum, quae bona sua administrare non possunt; conceditur tamen ipsis actio contra suos vicesgerentes, quorum negligentia causam praescriptioni dedit. Iure *ur.* a. 1217 in favorem minorennium aliarumve praedictarum personarum suspenduntur tantum praescriptiones acquisitivae trium, decem et viginti annorum, et liberativae viginti annorum (de quibus in aa. 1178, 1186, 1190), non ceterae.

[2] De interruptione praescriptionis cf. C. C. *arg.* a. 4018-4032, *br.* a. 172-176, *chil.* a. 2501-2504, 2518, *col.* a. 2522-2525, 2539, *gall.* a. 2242-2250, *hisp.* a. 1944-1948, *lus.* a. 552-559, *mex.* a. 1117-1124, *ur.* a. 1206-1215.

versos effectus, qui enascuntur: *naturalis* et *civilis*. Nam interruptio naturalis est absoluta, at respectu adversariorum omnium; civilis vero est relativa seu respectu tantum actoris, qui litem movit; naturalis eiusmodi est, ut amplius connecti non possit; civilis vero, si possessor victor evadit e lite vel si fit transactio, annullatur, et tunc praescriptio pergit perinde ac si interrupta non fuisset.

Interruptio accidit naturaliter, 1° si possessor satis diu a possessione exciderit: leges id tempus determinare solent[1]; 2° si supervenit mala fides.

Interrumpitur praescriptio civiliter, si lis moveatur iudice.

NB. — Quae de suspensione et interruptione praescriptionis dicuntur, valent cum pro acquisitiva tum etiam pro liberativa.

Quoad bona ecclesiastica Ecclesia quidem, utpote societas perfecta, potuisset independenter a Iuribus Civilibus speciales leges condere, quibus suarum rerum praescriptiones regerentur. Iure tamen novo, ne res in praxi impeditiores fierent, recipit praescriptionem acquisitivam et liberativam, prout est in legislatione civili respectivae nationis, exceptis eleemosynis et oneribus Missarum, quae praescribi non poterunt[2]. **239**

Art. 3. Laesio dominii.

I. **Iniuria** seu iniustitia est cuiuscumque iuris alieni violatio. Et quoniam iustitiae species tres sunt, hinc tres sunt species iniustitiae: alia iniustitia illegalis consistens in laesione boni communis, alia acceptio personarum, opposita iustitiae **240**

---

1 Generatim leges unum annum assignant, id est praescriptio denuo inchoari debet, si possessor per integrum unum annum possessionem amiserit, etsi id per violentiam acciderit. Ita C. C. *arg.* a. 4018, 2479-2493, *col.* a. 2523, 787-792, 976, *lus.* a. 552, 1°, *mex.* a. 1117, I. Vel si possessionem amiserit per tempus anno integro maius (puta per annum et unum diem): ita C. C. *br.* a. 520 IV, 502, 507, *gall.* a. 2243, *hisp.* a. 1944.

2 « Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur », can. 1508. Porro quae in sequentibus canonibus (1509-1511) excipiuntur, sunt: Quae sunt iuris divini, iura spiritualia, fines paroeciarum, dioecesium etc., eleemosynae et onera Missarum, beneficia ecclesiastica sine titulo, ius visitationis et obedientiae; res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt, a persona tantum morali ecclesiastica praescribi possunt; res, iura, actiones Sedis Apostolicae praescribi poterunt tantum spatio 100 annorum, quae vero personae alius moralis ecclesiasticae, 30 annorum.

distributivae, alia iniustitia vel iniuria stricte dicta, quae opponitur iustitiae commutativae.

Scienti et consentienti non fit iniuria, ait verissimum effatum; impossibile enim est, ut inferam iniuriam alteri, quando non possum laedere eius ius, hoc autem accidit quando eius ius cessavit me obligare; cessavit autem me obligare posita alterius renuntiatione, quia vis iuris alia non est nisi obligandi ceteros in favorem alicuius; si igitur favori renuntiat, eius ius non obligat. Ceterum haec ratio ostendit requiri ad veritatem effati renuntiationem v a l i d a m. Non est autem valida, quando consensus extorquetur per iniuriam, vel consensus in rem iniuriosam datur ob grave malum vitandum, ex. gr. si viator latroni consentiat in spoliationem, vel operarius necessitate pressus consentiat in salarium minus iusto, vel mutuatarius in usuras. Similiter invalida est renuntiatio, si ius renuntiari nequit, v. gr. ius mariti in corpus uxoris vel ius ad propriam vitam vel privilegium canonis.

241 *Ea iniuria censetur gravis*, quae natura sua seu in aestimatione hominum secum fert sive laesionem gravem caritatis sive gravem perturbationem ordinis socialis. Ratio, quia finis iustitiae duplex est, videlicet ut per observantiam iurium pax et mutua coniunctio conservetur, atque ut in societate sit securitas necessaria, qua homines ad suam culturam per laborem procurandam stimulentur. Erit igitur iniuria gravis ea, quae natura sua seu in aestimatione hominum apta sit causare alteri tristitiam difficile sedandam, vel quae illam securitatem societatis humanae notabiliter perturbet. — Dicitur « ex natura sua seu etc. », quia attendi non debet, quid aliquis in his circumstantiis ex impetuositate et affectuum tumultu dicat aut faciat, sed quid accidat hominibus temperati iudicii et affectus. — Ceterum quamvis omnis iniuria gravis in hominem importet natura sua laesionem gravem caritatis, tamen cum alia sit laesio caritatis, alia iustitiae, laesio gravis caritatis consistere potest sine iniuria (et tunc dicitur o f f e n s a) vel cum iniuria levi, v. gr. qui aufert domino florem rarum ipsi valde carum, graviter eum potest affligere ideoque graviter laedit caritatem, iustitiam vero leviter, nisi inde gravia domino secutura damna praeviderit; similiter qui pilam aufert, ubi plures, partim ad ludendum partim ad spectandum parati, honeste se recreare volebant, gravem molestiam, at non gravia damna ipsis causat.

Actu mere interno iniuriam fieri posse patet ex dubitatione et iudicio temerario; quisque enim habet ius ut sua innocentia nisi sufficientibus argumentis non revocetur in dubium aut negetur.

II. **Furtum** est iniusta ablatio rei alienae[1]. Furtum ad- **242**
nexam habere potest malitiam specie diversam, 1° si fit inferendo personae vim (physicam vel moralem, v. gr. minis), iniuriae enim r e a l i adiungitur alia p e r s o n a l i s, vel 2° si patratur sacrilege (n. 127).

Distingui debet furtum a damnificatione; primum enim importat acceptionem alicuius rei, altera est mera laesio iuris sine rei ablatione. Hinc qui sartori pauperi aufert acum unicam, quam habet, si ille aliam procurare sibi non potest, qua se alat, furtum committit valde leve, gravem tamen damnificationem.

1. **Quaenam quantitas requiratur ad furtum grave** (vel ad damnificationem gravem), quaestio est valde implexa et determinationis difficillimae, quae ad firmum iudicium de gravitate aut levitate peccati commissi non adeo multum conferre potest, cum in re obscura facile diversa esse potuerit apprehensio peccantis; maximi tamen momenti est ad urgendam sub gravi aut levi obligationem restituendi. Iuxta principium datum sub n. 241 ea quantitas assignari debet ad peccatum grave, quae ablata domino gravem tristitiam rationabiliter affert, vel cuius ablatio, si diceretur licita, notabiliter laederet illam securitatem, sine qua nequit consistere in societate incitamentum ad laborem. Hinc furtum, ut grave dicatur, duplici modo considerari debet, vel *relative*, scilicet habito respectu ad dominum vel ad personam auferentem vel ad qualitatem rei ablatae vel ad frequentiam furtulorum: nam ab istis circumstantiis pendere potest, quod dominus rationabiliter sit magis minusve invitus, et proinde caritas magis minusve laedatur, vel *absolute*, habita scilicet sola consideratione securitatis publicae. Igitur:

a) **Materia relative gravis** alia sub aliis respectibus assi- **243**
gnari debet.

a) *Relate ad dominum* communiter satis recte statuitur ea gravis esse, quae requiritur ad sustentationem domini congruam pro uno die, id est, ut ait S. Alph.[2], qua aliquis indigeat singulis diebus ad se suamque familiam alendam iuxta suam condicionem (sub quo computatur quoque vestitus, habitatio et sumptus statui congrui).

Sed quum formula huius regulae videatur nimis vaga, auctores quantitatem diversis hominum condicionibus relativam pressius assignare conantur, habita ratione valoris pecu-

1 Nomine furti non eadem semper veniunt apud iurisconsultos ac apud theologos. Sic aliquando non censetur civiliter furtum, si coniuges sibi invicem aliquid auferant.

2 S. Alph., n. 527.

niae suo tempore in sua regione; sed assignatio non potest aut ibidem semper aut ubique eadem applicari [1]. Propterea GÉN.-SALSMANS, qui anno 1912, paulo ante ortum ingens bellum europaeum, adhuc eamdem normam repetebat, quam P. GÉNICOT tradiderat anno 1900, nempe: « In regione nostra (Belgio) videntur teneri posse: erga pauperes ab 1 ad 2 francos; erga operarios ordinarios a 2 ad 3, nisi (ut non raro, praesertim rurı contingit) multo minus salarium lucrentur; erga homines fortunae mediocris, seu etiam quorum condicio fortunae plus minus ignoratur, a 7 ad 10; erga homines fortunae pinguioris a 10 ad 15; pro divitibus, non tamen extraordinarie opulentis a 15 ad 20 fr. » (atque ab hoc criterio vix recedebant auctores ceteri, parva iuxta suae nationis condiciones mutatione facta) [2], idem

---

1 Plures sunt causae, quae valorem pecuniae vel extollunt (industriae et negotiorum multiplicatio, navium divitiis onustarum naufragia) vel deprimunt (copiosior aurifodinarum productio, maior papyraceae monetae emissio, minus nationis creditum apud exteros). Sic saeculo XVI. valde decrevit pecuniae valor ob compertam Americam; nostrisque diebus ob nefastum bellum europaeum ingens pecuniae decrementum vidimus, paucorum annorum lapsu, apud nationes praesertim belligerantes, quarum aliquae suarum monetarum valorem non quoad relationes tantum internationales, sed quoad domesticos etiam usus millies et amplius decrevisse stupent. Vide etiam, sis, WAFFELAERT, t. 212 seqq.; BALL. P., tr. 8, p. 2, c. 1, n. 65.

2 GURY - FERRERES in sua 10ª editione anno 1919 adhuc easdem quantitates pro Hispania retinet, quas a prima editione anno 1902 constanter (omisso tantum nomine « pesetarum ») tradiderat: « Circiter valor 1 vel 2 francorum sive pesetarum relative ad pauperes et aliquando minus pro maiori gradu necessitatis; circiter 2 vel 3 pesetae relative ad operarios, qui labore diuturno victum sibi comparant; circiter 7 vel 10 franci relative ad homines mediocriter divites, vel quorum fortuna ignoratur; 15 vel 20 franci relative ad divites sat opulentos ».

NOLDIN autem haec anno 1911: « Ratione habita valoris, quem nunc in plerisque Europae provinciis pecunia habet, ita statui posse videtur: Relate ad *pauperes* mendicantes, circiter 1/2 fl. = 1 marc. = 1 libr. = 1 corona, vel etiam minus pro maiore paupertate. Relate ad *operarios*, qui diurno labore victum sibi comparant, circiter 1 fl. = 2 marc. = 2 libr. = 2 coron. Relate ad *opifices*, artifices, mercatores, qui in propria officina laborant, circiter 3 fl. = 6 marc. = 6 libr. = 6 coron. Relate ad *mediocriter divites* circiter 5 fl. = 10 marc. = 10 libr. = 10 coron. Relate ad *vere divites* circiter 10 fl. = 20 marc. = 20 libr. = 20 coron. Relate ad *ditissimos* seu extraordinarie divites circiter 50 fl. = 100 marc. = 100 libr. = 100 coron. et amplius, sed attendendum est ad materiam absolutam ». In editione autem anni 1921 quantitatem relate ad pauperes mendicantes et relate ad distissimos non immutavit; sed relate ad operarios sibi diurno labore victum comparantes atque ad mediocriter divites quantitatem duplicavit; nam assignavit respective 2 et 10 florenos, seu 4 et 20 marcas, libras, coronas; relate autem ad vere divites 15 fl. seu 30 marcas, libellas, coronas.

Profecto nunc, post bellum europaeum, omnino aliter in plerisque nationibus ac ante illud iudicari debet.

anno 1919 paulo post sedatum bellum hoc docebat: « Attenta mutatione in valore pecuniae, ita *in regione nostra* determinari *nunc* posse videtur: erga operarios salarium diurnum; erga vere pauperes a 2 ad 5 francos; erga homines fortunae exiguae a 5 ad 8; erga homines fortunae mediae, seu etiam quorum condicio fortunae plus minus ignoratur, a 8 ad 12; erga homines fortunae pinguioris a 12 ad 20; pro divitibus, non tamen extraordinarie opulentis a 20 ad 40 fr. ».

Statuat ergo quisque, quid in sua regione teneri possit, sequentia prae oculis habendo: 1° Non habenda est ratio valoris pecuniae absoluti sed relativi, id est eius aptitudinis ad comparanda sibi, quae ad vitam necessaria sunt vel utilia, v. gr. victum, vestes, habitationem. 2° Facile erit explorare, quantum sit salarium solvendum in ea regione operario (non artifici, cuius laboris qualitas aliunde pretium auget) pro conductione laboris unius diei, et iam habebis normam pro hominibus paris condicionis; salarium enim repraesentat sustentationem congruam pro se et familia. Idem facile explorare poteris pro personis mediocris fortunae seu, ut aiunt, condicionis mediae, cuiusmodi sunt plerique in magnis urbibus, qui se suosque alunt artem vel officium exercentes non servile (secretarii, pharmacopolae, magistri in lyceis, iudices inferiores etc.), a quibus deinde facile gradus fiet ad ceteras hominum classes, proportione simili servata ac ea, quae apud auctores reperitur.

β) *Relate ad personam auferentem* considerari debet, num extranea sit domino, num ei coniuncta; in hoc enim postremo casu certum est ad grave peccatum requiri materiam maiorem. Pro uxore et filiis multi materiam assignant circiter duplo maiorem, quam quae nuper assignata fuit pro extraneo; sed regula nulla statui potest; quod enim pater magis vel minus invitus sit, saepe quoque pendet ab usu, ad quem pecunia destinatur, a maiore vel minore affectu erga filium etc. Cum debita proportione iudicari debet de furtis consanguineorum et amicorum. Famuli vero si furantur pecuniam aut res sedulo custoditas, tractandi sunt ut extranei; tunc enim non minus erga illos quam erga hos invitus est dominus.

γ) *Relate ad qualitatem rei* furtum etiam considerari debet, quia hinc quoque pendere potest, quod dominus graviter invitus sit vel secus. Sic auctores sentiunt famulos generatim non devenire ad mortale per furta minuta crebro facta in esculentis aut poculentis, quae non solent caute custodiri, dummodo ea ipsi consumant nec e domo educant.

δ) *Relate ad frequentiam furti* manifestum est minus laedi ac proinde minus invitum esse dominum, si eadem quantitas auferatur non tota simul, sed per partes vicibus

certo tempore separatis. Quaenam autem summa requiratur ad peccatum grave, quando sic per furtula seu per leves portiones auferatur, et quodnam intercedere debeat intervallum inter ea, ut non censeantur coalescere seu moraliter uniri, valde arduum est determinare. Atque hic rursus advertimus eiusmodi determinationem potius esse utilem ad urgendam sub gravi aut levi obligationem restituendi; nam quando intervalla temporis aut quantitas ablata versantur circiter limites assignatos, facile potuit diversa esse apprehensio peccantis, cum vel ipsi theologi talium limitum assignationem multa obscuritate offusam fateantur. Ex horum sententiis sequentia statui possunt.

244 1° Furtula, etsi longo intervallo seiuncta, certe tum in ordine ad restitutionem, tum in ordine ad constituendum unum peccatum coalescere possunt ratione intentionis, v. gr. si animo auferendi summam gravem id exsequaris diversis vicibus, ne detegaris. In hoc casu ad peccatum (etiam obiective) grave non requiritur summa diversa, ac si tota surriperetur simul.

2° Seclusa hac intentione adhuc coalescere possunt furtula in ordine ad obligationem restitutionis, ratione temporis, si nempe inter ea spatium intercesserit minus duobus mensibus. Tunc materiam gravem multi assignant duplo maiorem quam pro uno furto; scilicet si furtula fiunt apud eumdem dominum, requiritur ad materiam gravem quantitas duplo maior, quam quae supra assignatur relative ad illum; si vero fiunt apud plures vel apud communitatem, requiritur quantitas duplo maior quam absoluta, de qua mox. Peccatum autem grave tunc committitur, quando fur, advertens se fere attigisse per praecedentia furtula materiam gravem, hanc tamen novo furtulo complet. At quamvis ob inadvertentiam perventum fuerit ad summam gravem sine peccato gravi, tamen obligatio restituendi gravis est, quoniam, ut diximus, furtula in ordine ad restitutionem coaluerunt; illa summa scilicet (duplo maior) censetur non posse auferri per intervalla duobus mensibus minora, quin vel dominus rationabiliter esse possit graviter invitus vel, si auferre liceret, notabiliter decresceret in societate incitamentum necessarium ad laborem; ergo illa summa sub gravi restituenda est[1]. Quando vero furtula sepa-

---

[1] Si tamen fur, quando advertit se ad materiam gravem pervenisse, iam materiam gravem nec in se nec in aequivalenti retinet, tunc iuxta plures (Viva, Wirceb., Lehmk. etc.) ad restitutionem totius non tenetur sub gravi. Hi enim id defendunt in casu analogo damnificationis, de quo inferius n. 262, cui praesens casus omnino aequiparandus est, ut patet consideranti; et revera

rantur spatio duorum mensium aut amplius, non coalescunt (seclusa intentione, de qua supra), ita ut, si res non amplius exstat, non detur sub gravi obligatio restituendi, quoniam gravis laesio nec domini nec societatis censetur adfuisse; si tamen fur quantitatem gravem adhuc retineat vel in se vel in aequivalenti, eam sub gravi restituere debet, cum mortale sit quantitatem gravem retinere invito domino.

3° Si furtula singula notabiliter distant a materia gravi, etiam unus mensis sufficere potest ad impediendum ne coalescant, immo si sunt valde exigua, adhuc minus spatium sufficere potest; propterea vix perveniunt ad mortale, etiam post plures annos, qui saepe leviusculis furtis uvas, ficus, poma etc. vorant per agros. E contra mercatores falsis ponderibus utentes graviter peccant: nam etsi singula furta sint satis levia, haec tamen nimis frequentia sunt, et praeterea norunt illi se hac consuetudine perventuros ad materiam gravem. 4° Quando plures leve quid furati sunt, etsi omnium summa sit gravis et quisque ceteros exemplum secuturos praeviderit, tamen, si conspiratio non adfuit, probabilius nemo dici potest causa efficax damni ab aliis patrati, atque ideo peccatum contra iustitiam non fuit grave.

b) **Materia absolute gravis** generatim ab auctoribus a 30 ad 40 fr. aestimabatur versus initium huius saeculi[1]. Si furta **245**

---

auctores (Lugo, d. 8, n. 62, 68, 69; Wirceb., n. 587, III; Giné, pag. 171) agentes de damnificatione aperte manifestant utriusque casus paritatem.

1 Waffelaert anno 1886 40 francos assignabat in Belgio. Bucceroni anno 1893 « 20 vel 30 libellas, sed potius 30 » pro Italia. Item Marc anno 1893 20 vel 25 fr. D'Annibale (II n. 220 nota) anno 1896 « 30 circiter libellas ». Génicot anno 1900 40 fr. pro Belgio. Gury - Ferreres ab anno 1902 usque ad 1917 inter 20 et 40 fr.; anno autem 1919 addidit nomine francorum hic quoque pesetas intelligi posse. Lehmkuhl anno 1910 circiter 30 marc. Marres anno 1911 15-20 florenos (30-40 fr.) pro Hollandia. Noldin anno 1911 circiter 15 fl. = 30 marc. = 30 libr. = 30 coron. eamdemque quantitatem retinuit in editione anni 1921. Génicot - Salsmans anno 1912 pro Belgio 50 fr., sed anno 1919 post bellicam conflagrationem Europae ait sibi pro sua regione non videri summam 100 fr. modum excedere. Et revera post ingentem praeteriti belli perturbationem oeconomicam res iam prorsus aliter in plerisque regionibus se habet, immo vix his annis (haec dico exeunte anno 1922) una norma statui potest ad plures menses duratura.

Nec omitti debet alios praeterea exstitisse auctores, qui largiores fuerint quam citati supra. Etenim Palmieri iam anno 1898 in editione Compendii P. Gury, quam ipse paravit, haec ait: « Audivi alios viros doctos, qui ob valde in dies imminutum pecuniae pretium vellent nunc materiam absolute gravem eam esse, quae centum plus minus francos exaequet; quibus haud aegre assentimus ». Et Ojetti (Synopsis, v. Furtum) in editione anni 1904: « Non videntur a vero aberrare, qui saltem infra 100 libellas materiam furti absolute gravem non agnoscunt ».

patrantur apud diversos dominos, quin ulli graviter noceatur, vel si res, quae aufertur, pertinet ad plures simul[1], vel si destinatur ad aliquem finem quin ullus habeat ius strictum ad eam, gravitas dimetienda est iuxta materiam absolute gravem, siquidem nemini in particulari grave nocumentum fit. Quando tamen furtula commissa apud diversos, et singulis levia non sunt patrata cum intentione accipiendi summam totalem gravem, iam diximus requiri tunc ad grave materiam duplo maiorem; similiter si diversa furtula patrantur ex eadem massa ad plures pertinente vel ad aliquem finem destinata et ad neminem stricte pertinente. Quod si inter haec furtula spatium sufficiens intercesserit (cf. supra), tunc, ut alibi quoque diximus, non datur obligatio gravis restituendi, nisi quantitas gravis (scilicet absoluta duplo maior) adhuc retineatur in se vel aequivalenti.

NB. — Unum alterumve pomum, racemum etc. ex alieno horto aut vinea decerpere omni culpa vacat, quoniam praesumitur dominus consentire. Ob similem rationem fere idem sentiendum de operariis comedentibus usque ad satietatem de fructibus, quos colligunt; dominus enim eos conducens supponit pro certo id eventurum[2]. Immo, S. Alph.[3] approbat, quae a gravibus auctoribus dicuntur, non peccare, ne venialiter quidem, qui ex silva totius Communitatis ligna caedunt contra prohibitionem, nisi magnam faciant stragem, magnam porro non facere qui scindat unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, aut duas singulis hebdomadis ad vendendum; ratio, quia tales Communitates videntur contentae mulctis, quas imponant.

Alienum accipere per iocum vel ob bonum illius, a quo accipitur, non est furtum, quia ille nequit esse rationabiliter invitus, v. gr. si uxor auferat a marito pecunias, ne ludis prodigat, vel vinum ne inebrietur, vel librum haereticum, ne legat. Similiter si famulus det eleemosynam non nimis magnam valde indigenti, in qua dominus rationabiliter non sit invitus, a quo tamen ob verecundiam vel aliam causam non audeat petere. Bus. ap. S. Alph., n. 519.

246 2. **Ablatio alieni aliquando non est furtum,** nimirum quando fit in necessitate extrema aut quasi extrema, vel ad se compensandum.

---

1 V. gr. ad societatem pluribus constantem. Si tamen communitas paucis constet vel si bona pauca habeat, facilius vel singulis vel communitati qua tali grave nocumentum fieri potest.

2 Cf. Lugo, d. 16, n. 33 et 78.

3 S. Alph., n. 529.

a) **Necessitas extrema,** vel quasi extrema seu gravissima (cf. n. 85), ius dat, ut de alieno accipiatur quantum necesse sit[1] ad eam avertendam; nam divisio bonorum, quomodocumque introducta sit, nequit in hoc casu suam vim retinere cum praeiudicio generis humani: vel aliis verbis ius humanum divisionis bonorum cedere debet iuri naturae, quae haec bona hominibus dedit ad conservationem vitae.

Nota tamen: 1° Ad auferendum alienum non sufficit necessitas gravis, a fortiori nec communis. 2° Si extreme indigens habet alibi bona, sive in re sive in spe probabili, non potest alienum subducere nisi cum obligatione restituendi; tunc enim necessitas non plus exigit, nisi ut per rem mutuatam sublevetur. 3° Licitum videtur pauperi in necessitate gravi surripere aliquid satis leve, si dives id deneget vel denegaturus praevideatur; nam bona tam parva facilius in tali casu evadunt communia[2].

b) **Occulta compensatio** licita est, si adsunt requisitae **247**
condiciones. Haec autem sunt:

1° *Ut debitum oriatur ex stricta iustitia*, non ex sola gratitudine, pietate, fidelitate, religione etc.; nam sola iustitia commutativa dat creditori ius in bona debitoris.

2° *Ut debitum sit moraliter certum*[3]. Ita plures hanc 2am condicionem exprimunt, sed res, ni fallimur, distinctione in-

---

1 Etiamsi necesse sit iuxta sententiam, quam S. ALPH., n. 520 vocat veriorem, notabilem pecuniae vim auferre, dummodo non videatur medium exquisitum et extraordinarium relate ad illam necessitatem vitandam, nec dives constituatur inde in aequali necessitate. LUGO, d. 16, n. 146; BALL. P., n. 29.

2 S. ALPH., n. 520; LUGO, d. 16, n. 156; GÉN. S., *Casus*, n. 283; BALL. P., p. 2, c. 1, n. 27.

3 Dicunt admitti nihilominus ab Auctoribus tres casus, in quibus liceat se compensare cum dubio tantum probabili: 1° Si agatur de compensanda infamia cum pecunia, quoniam obligatio huius compensationis est tantum probabilis (n. 248). 2° Si infamia compensanda sit denegando restitutionem famae, nam solum probabile est tunc restitutionem famae non deberi. 3° Si compensandum sit contra heredem nolentem solvere legatum informe, quoniam huius valor est tantum probabilis.

At vero si huiusmodi exceptiones intelliguntur hoc sensu, quod tunc liceat *surripere de bonis alterius*, eas nullatenus admittere possumus. Etenim si in hoc sensu accipiantur:

1° pugnant cum principiis traditis de privilegio possidentis; et praeterea non apparet, cur in his tantum casibus alium spoliare liceret cum opinione probabili et non in omnibus (ita fatentur S. ALPH. ap. BALL. P., tr. 8, p. 2, c. 1, n. 41 nota; SALMANTICENSES, tr. 13, c. 1, n. 322).

2° Propterea generatim auctores in praedicto sensu illas exceptiones non admittunt (S. ALPH., n. 521, et *De Consc.*, n. 35, 36, ap. BALL. P., l. c.; LACROIX, l. 3, p. 1, n. 962; TAMBURINI, l. 8, tr. 2, c. 5, § 3, l. 1, c. 3, § 3, n. 14-18).

diget. Maxime enim refert, opinamur, utrum tibi compensaturus sis denegando solutionem tuo creditori an accipiendo de illius bonis.

3° Immo non est verum auctores, qui illas tres exceptiones tradunt, easdem, saltem duas priores in praedicto sensu tradidisse. *a*) Nam in primo casu auctores non dicunt licere cum opinione probabili ad compensationem *arripere de bonis infamantis*, sed constanter supponunt te esse infamantis debitorem, et tunc dicunt posse te *denegare restitutionem*, *denegare debitum* (Less., l. 2, c. 11, dub. 25, n. 136), *negare pecuniam infamanti* (Tambur., l. 1, c. 3, § 3, n. 25 Decimoseptimo), *negare pecunias* (ap. Lugo, d. 16, n. 95), *non solvere* (Salmant., tr. 13, c. 4, n. 147, etsi non semper id diserte exprimant in tr. 13, c. 1, n. 321 seqq.). *b*) Rursus in secundo non dicunt, si ab alio infamaris, te habere ius ad illum vicissim infamandum (nec possunt id dicere, ut est evidens, cf. Less., l. 2, c. 2, n. 130; quod si id admittunt in quibusdam casibus, tunc id admittunt tamquam medium necessarium iustae defensionis, non vero ad se compensandum); sed dicunt, si alius famam tuam restituere nolit, posse te restitutionem suae, *quam debebas*, *denegare*. Quamquam, ut dicamus quod sentimus, fundamentum, quod ad licite denegandam in hoc casu restitutionem famae adducunt, non placet. Aequiparant enim debita famae debitis pecuniarum aiuntque parem casum esse, ac si tu incendisses domum Petri et is tuam, debita enim mutuo se exstinguerent (Less., l. 2, c 2, n. 134, 135). Verum paritas non tenet; ideo enim Petro nihil debes, quia eadem est materia, nempe certa quantitas pecuniae, cuius tu simul es debitor et creditor; at in casu infamiae mutuae non est eadem materia; nam tu debitor es *famae Petri* et creditor *famae tuae*, non igitur debitum et creditum invicem exstinguuntur, quisque enim manet absque sua fama. Praeplacent igitur ii, qui nulla facta compensationis mentione denegationem restitutionis famae licitam dicunt *ad urgendum alterum* ut tuam restituere velit. — *c*) Denique in tertio casu compensationem quidem licere dixerunt auctores (Less., l. 2, c. 19, dub. 3 per tot.; Molina, l. 1, d. 81, n. 16-62), sed putandi sunt locuti consequenter ad suam doctrinam, qua tenebant testamentum informe esse validum in conscientia, forte non reflectendo ad sententiam contrariam probabilem. Cum tamen videantur non deesse auctores, qui compensationem in tertio casu licere dicant, etiam accipiendo de bonis alterius (ita saltem aliquos auctores intellexisse videtur Lugo, d. 16, n. 95, qui d. 22, s. 9 defendit testamenta informia non valere in conscientia; et Tambur., l. 1, c. 3, § 3, n. 14, 15 et 25 « Decimonono »; et Salmant., c. 1, n. 320), nolumus eorum extrinsecae auctoritati non deferre; nam quamvis id contrarium dixerimus principiis traditis, fortassis occurrebat illis in hoc casu speciale motivum, quod eos suae doctrinae generali hanc exceptionem facere cogebat (cf. Salmant., n. 323).

4° Tandem animadvertunt Salmant., tr. 13, c. 4, n. 148 auctores numquam docuisse compensationem (intellige, *arripiendo* de bonis alterius) licere cum iudicio, quod alter probabiliter tibi debet, sed semper supposuerunt debitum esse certum, probabilitatem vero versari tantum *circa modum* se compensandi, v. gr. an liceat compensari fama per pecunias; quod si aliquando dicunt compensationem licere, quando probabilius sit rem mihi deberi, probabilioritatem intelligunt, quae saltem eam certitudinem moralem pariat, quae humano modo potest haberi (Salmant., c. 1, n. 324).

Nam si compensatio facienda est spoliando alterum bonis suis, putamus eam non licere, si debitum non sit moraliter certum, id est nisi moraliter constet alterum obligari ad solvendum: in tali enim casu melior est condicio huius, utpote possidentis[1].

Si vero compensatio facienda est denegando debitum creditori, putamus eam licere, etsi cum sola probabilitate sive iuris sive facti. Nam si debes Petro 100 et probabiliter iudicas eum tibi vicissim debere 100, iam dubium est tuum debitum erga Petrum, ideoque si diligentiis adhibitis dubium manet, nihil obligaris solvere, quoniam melior est condicio possidentis[2]. Idipsum dicere debent quotquot tenent (n. 248) non esse obligationem solvendi, quando probabiliter iudicatur solutionem peractam fuisse. Agnoscimus non deesse locum hallucinationibus, saltem quando agitur de dubio facti; sed idem inconveniens adest in probabiliter iudicando solutionem peractam fuisse, nec aliae desunt sententiae, in quarum usu homo satis hallucinari potest. Hoc ad summum indicat maiore in his rebus opus esse reflexione circa soliditatem motivorum, quibus probabilitas nitatur; at non putamus tam imminens esse hallucinationis periculum, ut compensatio cum sola probabilitate generatim iure naturae vetita censeri debeat[3].

---

1 Cf. etiam S. Alph., *De Consc.*, n. 35.

2 Cf. circa hoc principium S. Alph., *De Consc.*, n. 35.

3 Dices forte sententiae, quam tanta cum latitudine protulimus, communem sententiam veterum videri oppositam, et non esse inter modernos qui eam in hoc loco doceant. De his pauca. 1° Revera quoad primam partem in qua diximus licere ad compensationem *denegare debitum* creditori *cum probabilitate iuris* (id est quando iuxta auctores probabile est compensationem licere), id quidem veteres tantum in tribus casibus admiserunt, saltem expresse. Nihilominus ausi sumus id sine restrictione docere et ad casus quoslibet extendere; quia praterquam quod nemo scit assignare rationem, cur ad quoslibet extendi non possit (Lugo, d. 16, n, 95, 102; Salmant., tr. 13, c. 1, n. 322, 323; S. Alhp. ap. Ball. P., tr. 8, p. 2, c. 1, n. 41 nota), reapse videntur nobis veteres doctrinae generali supra traditae nullatenus contradixisse. Nam veteres videntur huic principio generali « licet compensatio cum probabilitate iuris » ideo noluisse subscribere, quia nomine occultae compensationis magis intelligebant *spoliationem* debitoris quam *negationem debiti.* Profecto id patet praesertim in Lugone, qui in d. 16, n. 106 concludit quidem aiens « se libenter abstinere ab ultimo iudicio circa hoc totum punctum de compensatione licite facienda cum opinione solum probabili »: sed si praecedentia legis, videbis eum istud propugnasse in sensu compensationis faciendae per spoliationem possessoris, ut patet ex ibid. n. 94 sub initium et ex n. 99, ubi supponit sententiam a iudice proferendam « non obstante possessione debitoris ». Patet idem in Salmant., tr. 13, c. 1, n. 325 et c. 4, n. 148. Patet quoque in modernis auctoribus (Lehmk., n. 1125 et Gén. S., n. 504) qui Lugonem secuti illam doctrinam « licet compensatio cum probabilitate iuris » limitant

3° *Ut debitum non possit aliter recuperari;* nam iustitia legalis seu ordo in republica servandus postulat, ut recursus fiat ad iudicem. Id tamen non obligat sub gravi, cum in eius omissione non appareat gravis perturbatio reipublicae, et aliunde creditor accipiat quod ei debetur. Potest igitur hic re-

---

ad casum, quo pro creditore ita probabiles rationes existant, ut iudex posset contra possessorem sententiam ferre; non igitur loquuntur de compensatione facienda per meram denegationem debiti, sed de facienda cum deturbatione possessoris. Denique rationes, quas pro sententia nostra adduximus, videntur verae debebuntque eamdem tenere omnes ii moderni, quotquot concedunt licere denegationem debiti probabiliter soluti (n. 283, 2°).

2° Quoad alteram partem, nempe quod liceat *denegare debitum* ad compensationem *cum probabilitate facti*, certe multo severius adhuc videntur locuti auctores, sed censemus eos, saltem eorum plures, magis cogitasse de compensatione facienda per spoliationem possessoris quam de facienda per meram denegationem debiti.

Attamen, si credendum est Salmanticensibus, tr. 13, c. 1, n. 318, plures illud dixerunt loquentes diserte de *denegatione debiti.*

Ita enim Salmant.: « An casu, quo ego centum tibi debeam et habeam tamen probabile iudicium, te centum mihi debere, possim uti compensatione et centum tibi debita negare?... Sententia negans est communis inter Doctores, quia... talis probabilitas vincitur ab alterius certa possessione, cuius semper melior est condicio ». Et adductis 20 auctoribus ita sequuntur: « Adeo communis est, ut nullum auctorem praeter unum viderimus, qui audeat asserere in generali, quod in casu probabilitatis possit dari locus compensationi; sed uno ore asserunt debere esse debitum liquidum, certum vel per sententiam iudicis approbatum ».

Nihilominus, quidquid Salmanticenses dicant, valde dubitamus, quod auctores id revera asseruerint de compensatione facienda per meram denegationem debiti, sed potius putamus id illos asseruisse de facienda per possessoris spoliationem. Atque ad ita sentiendum confirmamur ex Lugone, qui in d. 16, n. 94 ad eamdem sententiam communem, de qua Salmanticenses, refertur et supponit auctores non de *mera denegatione* debiti locutos, sed de *spoliatione possessoris.* Ait enim: « Condicio ad licitam compensationem occultam, in qua omnes Doctores convenire videntur, est quod debitum, pro quo compensatio fit, liquidum sit et certum: nam si incertum sit, iniquum est quod exigam pro illo solutionem certam, cum in dubio melior sit condicio possidentis et nemo re sua in dubio spoliandus sit ».

Quidquid tamen de hoc sit, rationes supra adductae, dicamus iterum, nequeunt recusari, saltem ab iis, qui concedunt denegationem debiti probabiliter soluti ideoque cum probabilitate facti.

Longo tempore, postquam haec scripseramus, consulere potuimus quosdam ex auctoribus, quorum loca Salmanticenses citant, quos olim quidem, tunc autem prae manibus amplius non habebamus. Reperimus autem eos revera non de mera denegatione debiti, ut significant Salmanticenses, sed de spoliatione possessoris fuisse locutos. Nam Molina, t. 3, disp. 691 hunc titulum quaestioni apponit: « Utrum liceat compensare occulte quod alius habet, tantumdem de bonis illius accipiendo », et statim in n. 1

cursus praetermitti, si sit difficilis aut magnas expensas requirat aut importet iacturam amicitiae alicuius personae valde utilis, aut aliquod sequatur mediocre incommodum.

4° *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri potest; iniuste enim sine consensu debitoris fieret permutatio. Haec tamen condicio non videtur servanda sub gravi.

5° *Ut caveatur damnum debitoris*, procurando tum ne alia damna ei sequantur v. gr. ex privatione equi etc., tum ne periculo bis solvendi ipse aut eius heredes exponantur. Hoc vitari poterit eum monendo de exstinctione debiti facta, v. gr. fingendo debiti condonationem; sed si magna incommoda timentur, monitio omitti poterit. Quod si dein ille restituat, rursus id ipsi occulte restituendum erit. Et si haec restitutio sine gravi incommodo fieri non potest, diferri poterit, et interea ille, qui ex sua culpa nolebat solvere cum solvere poterat, sibi haec damna adscribat. Praeterea vitari debet, ne cui tertio v. gr. furtum imputetur, sed cum id per accidens eveniat, compensatio licebit, quando omitti nequeat sine gravi incommodo.

NB. — 1° Famulus concurrentibus condicionibus supra notatis non est cur nequeat se compensare, *a*) si vi aut metu compellatur consentire in salarium iusto infimo minus; *b*) si in id consensit necessitate compulsus, dummodo dominus ab eo iustam utilitatem capiat; vel nisi eum ex sola misericordia, eius opera non ita indigens, susceperit; *c*) si invitus operibus indebitis gravetur. Quaenam compensatio iusta sit, ipse famulus iudicare potest, si timoratus sit et prudens et pretium operae bene norit; sed plerumque ad vitandam hallucinationem omnino suadendum est, ut confessarius aliusve vir doctus consulatur.

2° Si damnaris a iudice ad solvendum debitum, quod certo non contraxeras aut certo solveras, sententia certo invalida est, utpote nixa in falsa praesumptione facti (n. 45), et poteris te compensare.

---

rationem negativae responsionis affert, quod melior sit condicio possidentis. VÁZQUEZ autem opusc. *De Rest.*, c. 6, part. 3, dub. 5, n. 83 ait, quod « res debet esse possidentis » et quod non licet « a possidente totum aut partem clam accipere ». SÁNCHEZ vero in *Decal.*, l. 6, c. 3, n. 7 ait: « Non licet alterum spoliare sua possessione ». Porro SOTO, *De Iust.*, l. 5, q. 3, art. 3 ad 1, § « Sed », quaerit an liceat « cuique privata sua auctoritate capere ». Denique BONACINA, d. 1, q. ult. punct. 2, n. 12 dicit compensationem occultam non licere cum iure incerto, quia « melior est condicio possidentis ». Locum Suaresii a Salmanticensibus allegatum frustra quaesivimus. Sed ex auctoribus praedictis iam fas est coniicere, etiam alios ab iisdem allegatos, quorum opera non facile reperiuntur, in eodem sensu locutos fuisse.

Art. 4. Restitutio.

248 **Notiones praeviae.** *Restitutio iniuste ablati necessaria est ad salutem*, saltem in voto, nempe si cui impossibilis evasit ob aliquam ex causis alibi exponendis, saltem habere debet propositum restituendi quando possit, interim comparando, si potest, necessaria ad obligationem adimplendam. Indispositi igitur sunt ad absolutionem, qui cum restituere possint, id sine causa differunt aut heredibus committere volunt.

Obligatio restitutionis desinit esse gravis, quando materia restituenda gravis esse desinit. V. gr. si ad materiam gravem requirebantur 7 fr. et ablati fuerant 10 fr., restitutis 3 1/2 fr. obligatio remanet sub levi.

Obligatio restitutionis oritur solum ex laesa iustitia commutativa. Imprimis oritur quidem *ex laesa iustitia commutativa;* quia motivum, quod haec intendit, est, ut quisque sit in dominio rei suae; hoc autem motivum illa iustitia laesa adhuc subsistit idem ac antea et proinde obligat, ut si alterum e dominio rei suae deturbasti, eum in hoc dominio reponas. — Restitutio non oritur ex laesione virtutis *a iustitia distinctae*, quia v. gr. obedientia intendit, ut voluntas superioris, qua vult audiri hodie Missam, observetur; postquam vero hoc praeceptum transgressus es, iam die sequenti illa voluntas non potest perseverare ut antea; poteris igitur alias voluntates superioris adimplere, at non illam. Similiter v. gr. caritas iubet, ut caveas malum proximi; postquam autem alicuius mali occasionem dedisti, iam non potest praecipere, ut illud malum caveas, cum iam illatum sit. — Restitutio non oritur ex laesione iustitiae *a commutativa distinctae*. Nam laesa iustitia v. gr. distributiva eius motivum non perseverat obligare ut antea; nam quamvis iustitia distributiva obliget, ut Petro detur res A, Paulo res B, tamen facta iniqua distributione et data Petro re B, Paulo re A iustitia distributiva iam nequit obligare, ut Petro detur res A, quoniam hoc non posset fieri sine spoliatione Pauli, qui rem A ex donatione (utique a iustitia distributiva prohibita, at non annullata) iam fecit suam. Nec potest iniquus distributor satisfacere iustitiae distributivae dando Petro de bonis propriis, quia motivum illius iustitiae non est, ut proportionate distribuantur bona privatorum, sed bona communia. Notandum tamen, quod facta iniqua distributione saepe dari potest obligatio restitutionis, non ob laesam iustitiam distributivam, sed ob laesam simul commutativam, v. gr. si ad rectam distributionem te obligaveras ex contractu[1].

---

[1] Iniquus beneficiorum distributor laedit etiam iustitiam commutativam 1° erga societatem, si muneri publico praeficit indi-

Impotens restituere in uno genere non tenetur restituere in alio, v. gr. si alium vulnerasti vel infamasti, non teneris pro brachio ablato (aliud dicendum pro expensis curationis etc.) aut infamia dare pecuniam. Ita tenet sententia probabilior (cum Lugo, Less., Lacroix., S. Alph. etc.); profecto quantumcumque des pecuniae, non reponitur aequalitas, quam intendit iustitia commutativa, quoniam alter carebit adhuc re sua, nempe brachio, aut fama. Nihilominus quoniam is, qui iniuriam accepit, ius habeat denuntiandi iniuriatorem iudici, exigere potest ab eo pecuniam, si vult, ut huic iuri renuntiet.

Radices restitutionis seu causae, unde oritur restituendi **249**
obligatio, duae sunt: r e s a c c e p t a e t i n i u s t a a c c e p t i o. R e s a c c e p t a dicitur res aliena, quam aliquis sive in se sive in aequivalenti detinet, et ad cuius possessionem forsam pervenit sine culpa, sed quam nunc novit esse alienam. Iniusta a c c e p t i o est laesio culpabilis iuris proximi in bonis suis, qua scilicet is aliqua re sua quomodocumque, sed culpabiliter privatur. Diversa est mensura obligationis, quam parit haec vel illa causa, ut videbimus. Ex priore causa ad restitutionem tenetur possessor bonae fidei, ex altera damnificator, ex utraque possessor malae fidei.

Axiomata quaedam usurpari solent, quae iura domini enuntiant. « Res clamat ad dominum » nihil aliud significat nisi rem domino reddendam esse, uti iubet iustitia commutativa, quae vult quemque esse in dominio rerum suarum. « Res fructificat domino », id est fructus rei pertinent ad eius dominum; si enim is ius habet re utendi, ad ipsum pertinet rei utilitas; idem exprimit effatum « nemo ex re alterius locupletari debet », e x r e quidem; nam aliud est locupletari o c c a s i o n e rei alienae. « Res naturaliter perit domino », nam cum dominium sit ius r e a l e, re deficiente illud perit; si tamen res exstat in aequivalenti, id aequivalens domino competit.

Fructus rei alii sunt n a t u r a l e s, qui sine ullo aut cum modico labore obtinentur e re, v. gr. poma ex arbore, ligna ex silva, foetus ex animali etc.; alii i n d u s t r i a l e s, qui potissimum debentur labori, v. gr. lucrum perceptum ex

---

g n u m, quoniam sic societati damnum infert. 2° erga d i g n i o r e m praetermissum, si huius electio promittitur sub onerosa condicione, v. gr. si praemium promittitur ei, qui optimam faciat statuam. — In concursibus g e n e r a l i b u s ad beneficia ecclesiastica, quales fieri solent in multis dioecesibus pro curatis (et a novo Iure, can. 459, interea retinentur), non solet d i g n i o r acquirere ius strictum, ut eligatur; secus dicendum iuxta communem sententiam, si concursus instituitur ad s i n g u l a r e m praebendam; nonnulli tamen (apud Lugo, d. 35, n. 85 et d. 18, n. 107) etiam in hoc casu de iure stricto dubitarunt.

dexteritate venditoris, aut si rem alio transportaveris, ubi pluris valebat, lucrum perceptum ludendo, aut negotiando nomine proprio cum pecunia alterius, artefactum elaboratum cum instrumento alieno[1] etc.; alii mixti, v. gr. segetes; alii demum civiles, qui fictione iuris proveniunt e re, v. gr. reditus et pensiones rerum locatarum[2].

250 I. **Possessor bonae fidei** *comperiens rem esse alienam tenetur restituere rem cum fructibus in se vel in aequivalenti exstantibus; potest tamen retinere fructus suae industriae et deducere expensas necessarias vel utiles*, uno verbo: debet reddere id omne, in quo evaserit ditior; nam res aliena, dum in se vel in aequivalenti exstat, ad dominum clamat. Quoad id autem, quod in bona fide consumptum fuit et ne in aequivalenti quidem exstat, non tenetur[3].

Accurate adverte pro iis, quae dicentur: supponimus 1° possessorem bonae fidei nondum praescripsisse; secus enim non haberet rem alienam sed suam; 2° notum esse dominum; secus enim idem dicendum esset, quod de re inventa, cuius dominus ignoratur; 3° rem non fuisse emptam in tabernis publico commercio apertis etc. in iis regionibus, in quibus speciales leges sunt conditae ad tutandam huiusmodi emptionum firmitatem. Quid enim in singulis nationibus, quas recensere solemus, de hac re statutum sit, et quantum emptori bonae fidei in his casibus prosit in conscientia, diximus suo loco (n. 238 nota, ad litt. C).

251 1. *Quoad rem ipsam* diversae hypotheses considerandae sunt.

a) **Si rem adhuc retinet,** debet eam, statim ac novit illam esse alienam, domino reddere[4]; quod si nolit restituere, cum possit, fit possessor malae fidei, eiusque obligationes (quas paulo inferius exponemus) ab hoc instanti computandas contrahit. Adverte rem posse retineri in aequivalenti, v. gr. si ovem alienam mactasti ad sustentationem domus, loco tuae, quam mactasses; tunc ovis tua successit alienae, ut restituatur.

---

1 Sufficit domino solvere pro usu instrumenti.

2 Huiusmodi fructuum definitiones habes in C. C. *arg.* a. 2458, *chil.* a. 644-647, *col.* a. 714-717, *gall.* a. 583-584, *hisp.* a. 355, 357, *lus.* a. 495, *mex.* a. 775-780, *ur.* a. 479, 710.

3 Iuxta C. C. *chil.* a. 1678, *col.* a. 1737 possessor bonae fidei reddere tenetur pretium rei voluntarie consumptae; id tamen non obligat in conscientia, ne post sententiam quidem iudicis, nisi possessor rem adhuc teneat in aequivalenti.

4 Excipe, iuxta C. C. *arg.* a. 2801, si rem bona fide emerit ab eo, cui dominus rem commodaverit vel custodiendam tradiderit.

Quaeritur an, si rem emerat (v. gr. a fure), possit eam suo venditori reddere, ut pretium recuperet. Certe non potest, si dominus rem suam poscit; is enim ius habet rem suam occupandi, nec pro ea redimenda[1] quidquam solvere tenetur[2]. At si dominus nondum reclamat et ille non potest aliter se indemnem servare[3], licebit ei[4] emptionem rescindere[5], quod si venditor nolit venditionem rescindere et pretium reddere, ipse nihilominus sponte rem domino restituere debebit (quin ei liceat rem alienare aut in proprios usus convertere, ut se indemnem servet); semper tamen facta domino restitutione pretium exigere poterit a venditore[6], ad id enim venditor tacite se obligaverat, ut statim dicemus.

b) **Si rem alteri donaverit** nec eam in aequivalenti retinet, **252**
ad nihil tenetur, nisi forsan ex fructibus ditior factus sit, ut mox dicetur. — Facta autem donatione et errore detecto tenetur ex caritate monere donatarium vel dominum, ut is rem suam recuperare possit; immo communius dicunt auctores teneri illum etiam ex iustitia, iuxta dicenda in n. 264.

c) **Si rem alteri vendidit,** distinguendum est.

In casu evictionis[7] debet pretium reddere[8] ei, cui eam vendidit, quoniam tacite se obligavit ad reddendum eum in-

---

1 Dicimus « pro ea redimenda », id est praecise ratione rei, aliter enim dicemus statim ratione impensarum.

2 Cohaeret C. C. *arg.* a. 2456, 2802, *br.* a. 521, *chil.* a. 890. 895, *col.* a. 947, 952, *ur.* a. 651 et ceteri C. C. idipsum supponunt, cum sit de iure naturali.

3 V. gr. denuntiando furem auctoritati publicae; si enim aliter potest sibi consulere, non licebit rem furi reddere; caritas enim iubet consulere etiam domino.

4 S. Alph., n. 569 cum communiori.

5 Tum quia non tenetur rem servare cum suo damno, tum quia ius habet rescindendi contractum, ut rem suam recuperet.

6 Nisi forte in hoc casu spontaneae restitutionis id fecerit venditore non praemonito et tam cito et temere, ut causa sit, cur is vicissim a suo priore venditore pretium recuperare non possit.

7 Id est si dominus rem suam, sive iudicialiter sive extra iudicium, repetit ab eo, penes quem res exstat, probans esse suam eamque recuperat, vel (quod pro foro conscientiae in idem recidit), si is, qui rem apud se detinet, detegit quis sit dominus eique rem tradit. Verbo, nomine evictionis casum intellige, quo detecto domino emptor ei rem tradere cogitur, sive ob sententiam iudicialem sive absque ea, ut obligationi conscientiae satisfaciat.

8 Intellige, ut iam diximus, quatenus pretium adhuc retineat. Nam si pretium ne in aequivalenti quidem retinet, v. gr. quia lucrum obtentum profudit bona fide in ludum vel largitiones, quas secus facturus non esset, ad nihil tenetur, nisi ex caritate ad monendos donatarios, ut donationes, quae substantialiter erroneae fuerant, quatenus eas vicissim retineant, restituant.

demnem in casu evictionis[1]; tunc ipse vicissim, si rem ab alio emerat, pretium datum potest repetere ab eo. — Idem dicendum, si res aliena ad plures successive titulo oneroso transierit. Idem quoque in casu spontaneae restitutionis, nisi forsan is, cui rem vendideras, restituens eam te inadmonito et nulla coactus necessitate causa sit, cur pretium a tuo venditore recuperare non possis; nam tunc ius habes ad reparationem huius damni tibi culpabiliter illati.

Extra casum evictionis[2] communiter Theologi obligant ad dandum domino[3] pretium, in quo factus si ditior, utpote quod rem repraesentat; ac proinde totum pretium, si rem acceperat gratuito, solum lucrum[4], si eam emerat. Attamen iuxta quosdam recentiores venditor probabiliter in neutro casu debet pretium restituere[5]: non emptori, quia solum tenebatur

---

1 Lugo, d. 17, n. 106, 107. Alii rationem dant, quia venditio rei alienae est iure naturae invalida. Sed potius videtur dicenda valida (certe tamen rescindibilis), idque explicari potest hoc modo: ex una parte transfertur dominium pretii, secus enim id restituendum esset emptori, quando res apud eum perit aeque ac apud dominum periisset, quod pauci concedent; ex altera venditor dominium quidem rei transferre non potest, at se obligat ad servandum emptorem indemnem in casu evictionis. Ita Lugo, loc. cit. et d. 22, s. 11. Quod sua quoque difficultate non caret; nam si asseritur haec obligatio oriri ex *contractu*, cur venditorem ad omni obligatione liberant (cf. S. Alph., n. 601, et 800), si pretium bona fide profudit? Nec responderi potest, quod obligatio restituendi pretium emptori in casu evictionis non oritur ex contractu, sed ratione damni illati emptori; nam contractus emptionis-venditionis ratione sui necessario esse debet ex utraque parte onerosus. — Ceterum haec obligatio venditoris ad reddendum emptorem indemnem in casu evictionis non solum censetur contractui venditionis tacite includi ex ipsa natura rei, seu de iure naturali, ut probant rationes a Lugone adductae d. 17, n. 106, 107, (nisi contrahentes expresse paciscantur bona fide ut excludatur), sed etiam inclusa edicitur iure positivo in C. C. *arg.* a. 1363, 1448, 2123, 2152, *br.* a. 1107, *chil.* a. 1839, *col.* a. 1895, *gall.* a. 1626, *hisp.* a. 1475, *lus.* a. 1046, *mex.* a. 1489, 2891, *ur.* a. 1672. — Demum si emptor rem emerat sciens illam esse alienam, manifestum est eum nullum ius habere, ut venditor bonae fidei ipsi reddat pretium; tacite enim renuntiaverat iuri indemnitatis, idque confirmatur C. C. *arg.* a. 1363, 2140, *br.* a. 1117, *chil.* a. 1852, *col.* a. 1909, *gall.* a. 1629, *lus.* a. 1051, *mex.* a. 1494, *ur.* a. 1675.

2 Id est dum res adhuc exstat apud emptorem, qui forte nolit aut non possit rem restituere, vel quando dominus ultimo possessore non comparente rem recuperare nequit.

3 Si tamen res, quae venditur, acquisita fuerat emptione et nunc perit apud novum emptorem, aliqui volunt pretium huic, non domino restituendum.

4 Intellige lucrum, quod ipsi rei ex natura sua accrevit, v. gr. quia interea eius valor in mercatu crevit; aliter enim lucrum esset fructus industriae venditoris.

5 Pauci quidem id defendunt, quando venditor rem acceperat gratuito, vel quando res empta fuerat et apud no-

eum servare indemnem in casu evictionis[1]; non domino, quia nec fraudem (saltem formaliter) illi intulit, nec rem ipse habet, sed alter; quod si res forsan periit, domino periit.

---

vum emptorem periit. Censemus tamen ob rationem allatam vere esse probabile, non dari obligationem restitutionis in ullo casu. — Ad rationem autem contrariae sententiae respondemus pretium repraesentare rem quidem in contractu emptionis-venditionis, sed inter emptorem et venditorem tantum (propterea venditor, qui obligavit se tacite erga emptorem ad rescindendum contractum in casu, quo forte comperiretur rem esse alienam et ipse eam abdicare deberet, tenetur pretium emptori refundere, non solum quando is evincitur et rem a se abdicare cogitur, sed etiam quando is vicissim eam alii vendiderat et facta evictione pretium in huius favorem abdicat; tunc enim pretium coram primo venditore rem ipsam repraesentat quoad effectus contractus), non autem erga tertium contractui extraneum, cuiusmodi est dominus rei. Vel paulo aliter: venditor censetur tacite securitatem dare emptori, quod ei emptio non nocebit in casu, quo res detegatur esse aliena, et consequenter se obligat ad servandum eum indemnem, sive in casu, quo rem retineat, sive in casu, quo rem in specie iam non retineat, sed in aequivalenti, seu in pretio pro ea rursus accepto. Ideo hoc pretium, quod emptor rursus ab alio accepit, bene dici potest rem repraesentare erga priorem venditorem. Sed, ut vides, tota ratio nititur in conventione tacite inclusa in contractu. Huiusmodi autem ratio non militat erga dominum, qui contractui extraneus est, ideoque non est ratio, cur pretium a venditore acceptum dicatur repraesentare rem etiam coram domino. — In nullo, inquam, casu dare quidquam domino tenetur, ne lucrum quidem, etsi id inde provenerit, quod rei aestimatio natura sua creverit, v. gr. emisti triticum valens 100, deinde vendis, dum iam valet 150. Ratio est, quia iuxta sententiam, quam propugnamus, ad nihil tenereris erga dominum, si triticum valens 150 dono gratuito accepisses ipso die venditionis; ergo a fortiori ad nihil teneris, si illud titulo oneroso acceperas pridem solvens 100.

1 Supponit haec sententia venditionem rei alienae fuisse validam, quod iam diximus videri verum, saltem quoad transmissionem dominii pretii; etsi enim « claudicat contractus ille ex una parte, ait Lugo, d. 17, n. 106, validus tamen est ea parte, qua pretium in venditorem transfertur ». Quid vero, si huiusmodi venditio iure positivo declaretur nulla, ut accidit in C. C. *arg.* a. 1364, *gall.* a. 1599, *lus.* a. 1555? Propter rationes supra n. 226 traditas videtur ante sententiam iudicis posse in conscientia stari iuri naturali censerique valida acquisitio pretii. Sed neque ad illam generalem doctrinam opus est recurrere; praedicti enim Codices, dum venditionem rei alienae dicunt nullam, intelligi bene possunt de venditione facta mala fide, eam enim bona fide factam potius tacite admittunt esse validam, quoniam venditori agnoscunt (C. C. *arg.* a. 1448, *gall.* a. 1626, *lus.* a. 1047) solummodo onus indemnem faciendi emptorem in casu evictionis; immo C. C. *arg.* a. 1363 expresse eam habet validam, dicit enim venditorem re tradita non posse nullitatem invocare et rem repetere (Cf. etiam Ferr., n. 774, resp. 2°). C. C. *chil.* a. 1815, 1816, *col.* a. 1870, 1872, *ur.* a. 1643, 1644, venditionem rei alienae, quae non sit emptoris, dicunt validam.

— Venditor non tenetur monere emptorem aut dominum, si praevidet se pretium, quo rem emerat, non recuperaturum [1].

NB. — Resolutiones datae non immutantur quoad possessores bonae fidei, etsi inter eos alii malae fidei adfuerint.

253 2. *Quoad fructus.* Retinere potest fructus industriales, etiam mixtos quatenus industriae debentur. — Fructus autem naturales et civiles [2], quos adhuc in se vel in aequivalenti servat, restituere debet, nam « res fructificat domino » [3].

---

1 Denique adverte ex iure *hisp.* a. 1897: « (Aquel a quien por error ha sido una cosa indebidamente entregada y de buena fe la hubiese aceptado), si la hubiese enajenado, restituirá el precio ». Attamen si pretium bona fide fuit consumptum nec exstat in aequivalenti, obligatio restitutionis non datur in conscientia, etiam post sententiam iudicis, nisi forsan pretium in largitiones, quae secus factae non essent, insumptum fuerit et e donatariis colligi possit (si largitiones eodem modo factae essent, iam pretium retinetur in aequivalenti). — Praeterea ex Codicum Civilium dispositione certum est posse retineri lucrum aliosve fructus e re perceptos, ut mox dicetur.

2 Non est dubium, si agitur v. gr. de pretio locationis domus alienae; si vero agitur de rebus, quae locari non solent, v. gr. de torque aureo, aliqui (vid. apud Lugonem, d. 17, n. 50) negant pretium locationis esse restituendum, communiter tamen affirmatur, quia pretium solutum fuit pro ipso usu rei alienae, ideoque est fructus naturalis rei, qui debetur eius domino.

3 Haec de iure naturali. At ex C. C. *arg.* a. 2457, 2459, *br.* a. 510, 512, *chil.* a. 907, *col.* a. 964, *gall.* a. 549, *hisp.* a. 451, *lus.* a. 495, *mex.* a. 834, 837, *ur.* a. 624, 669, fructus naturales et civiles in bona fide percepti, etsi nondum consumpti restituendi non sunt (quoad fructus pendentes vide Codices circa loc. cit.; vide etiam ibid. qua ratione fructus civiles tamquam percepti computari debeant, nempe ex C. C. *br.* a. 512, *gall.* a. 586, *hisp.* a. 451, *lus.* a. 495, *mex.* a. 837, *ur.* a. 669, fructus civiles computantur singulis diebus iam percepti; at ex C. C. *arg.* a. 2459, *chil.* a. 647, *col.* a. 717, non habentur ut percepti, nisi iam soluti seu traditi sint). Has iuris positivi dispositiones iuri naturali non admodum consentaneas, in conscientia servari posse censent multi, quos vide apud Ferr., n. 772 et vide etiam quae diximus supra in n. 225, 2°.

Adverte: C. C. *chil.* a. 907, *col.* a. 964, *hisp.* a. 451, *ur.* a. 669 non dicunt (C. C. *arg.* a. 2467, *br.* a. 510, *gall.* a. 546, *lus.* a. 495, *ur.* a. 624 id quidem dicunt) fructus perceptos adiudicari possessori, quamdiu bona fides duraverit, sed potius dicunt adiudicari, donec possessori lis moveatur vel sententia feratur; attamen intelligi debent, supposita usque ad id temporis bona fide, atque ita ipse se explicat C. C. *ur.* a. 624, atque hanc explicationem aperte addidit C. C. *arg.* a. 2457 (cf. etiam ibid. a. 2467, 2468); et quamvis id non dixissent, ita tamen censemus tenendum esse in conscientia, nempe fructus acquiri tantum usque ad diem exstinctae bonae fidei.

Quid vero, quod C. C. *mex.* a. 836 expresse declarat ius ad fructus non cessare, etsi cesset bona fides? Putamus sufficientem rationem non adesse, qua iuste fiat huiusmodi adiudicatio absente bona fide, ideoque legem in conscientia possessori non prodesse.

3. *Quoad expensas*, quas subiit pro re fructibusve, quos restituit, potest possessor bonae fidei deducere expensas necessarias, sine quibus scilicet illa periissent aut deteriora facta fuissent, et utiles, quibus scilicet utiliora evaserunt[1], hoc enim totum proderit domino. At nihil repetere potest pro expensis mere voluptuariis, quae scilicet speciem solum ornant, utilitatem autem non reportant; potest tamen ea auferre, si re salva separari possunt, v. gr. statuae aliive ornatus[2].

NB. — Inter expensas deducendas non debent computari casus fortuiti nec damna, quae per accidens evenerunt, v. gr. si in agro alieno colendo perierunt tui equi, nec expensae factae pro fructibus, quos legitime retines (Ferr., n. 779).

II. **Possessor malae fidei** *tenetur restituere rem cum fructibus insuperque reparare damna; potest tamen retinere fructus suae industriae et deducere expensas necessarias vel utiles*, uno verbo: debet reddere domino omne id, quo eum privavit. **254**

1. *Quoad rem ipsam* hae hypotheses considerandae sunt.

a) **Si rem adhuc retinet,** profecto debet eam domino reddere. Attamen si rem emerat, potest, antequam dominus reclamet, contractum cum venditore rescindere ut pretium recuperet, sicut in simili casu diximus de possessore bonae fidei; ita defenditur saltem ut probabile a multis cum S. Alph., n. 570.

Si res tempore detentionis valorem mutavit, varii casus considerandi sunt: 1° *Si res nunc habet maius pretium*, reddenda est, nullo incremento detracto (vide tamen mox dicenda quoad fructus et expensas), quia res domino naturaliter crescit, v. gr. animal nunc grandius vel obligationes, quarum valor nunc est maior. 2° *Si res nunc habet minus pretium*, v. gr. liber usu attritus, reddenda est cum re compensatio huic decremento respondens; excipe, si dominus rem non fuisset venditurus tempore maioris pretii et valor rei apud eum eodem modo decrevisset, v. gr. equus senior effectus. 3° *Si pretium rei interea crevit et decrevit*, reddenda est cum re compen-

---

1 Generatim Codices Civiles expensas utiles intelligunt eas, quae valorem rei venalem augent. Ita C. C. *arg.* a. 2474, *chil.* a. 909, *col.* a. 966, *lus.* a. 500, *mex.* a. 847, *ur.* a. 674, atque in eodem sensu interpretantur iurisperiti locum C. C. *gall.* a. 1381 (Gén. S., n. 532). Sed vix ab iis discrepat definitio supra data (cum hac cohaeret C. C. *br.* a. 63): quae enim utiliorem reddunt rem, plerumque eius valorem augent.

2 Cohaeret C. C. *arg.* a. 2461-2465, *br.* a. 516, 518, 519, *chil.* a. 908, 909, 911, 913, *col.* a. 965-970, *gall.* a. 1381, *hisp.* a. 453, 454, *lus.* a. 498-501, *mex.* a. 842, 843, 845- 851, *ur.* a. 673, 674, 676-678.

satio usque ad pretium maius[1], si dominus tempore maioris pretii eam vendidisset. Quod si eam vendidisset tempore minoris pretii, res reddenda est, quin propterea liceat quidquam subtrahere[2].

255 *b*) **Si res apud ipsum periit,** tenetur dare domino aequivalens, ut eruitur ex dicendis de damnificatore; est enim reus iniustae acceptionis, sive res consumpta fuerit sive amissa, sive destructa sive aliter, etsi inculpabiliter, perierit. Attamen ad nihil tenetur, si res apud dominum periisset in eodem periculo ac apud furem[3], v. gr. *in eodem* incendio vel ex vitio intrinseco, ut equus e senecta vel e morbo, quem fur ordinariis diligentiis nequivit avertere; tunc enim furtum non fuit causa damni[4]; ad restitutionem vero tenetur, quamvis res ex hoc quidem periculo apud dominum non periisset, sed forsan prius periisset ex alio: nam res semper domino restituenda erat. Hinc quamvis non teneatur ad restitutionem, qui rem alienam certo perituram consumit, dum in periculo manet, v. gr. esculenta in incendio peritura aut ab hostibus iamiam invadenda, quia tunc nullius sunt valoris, tamen ad restitutionem tenetur, si ea consumat e periculo iam erepta; tunc enim suum valorem recuperant et ad dominum clamant, etsi deduci possint expensae et labor pro re liberanda.

Si res tempore detentionis valorem mutavit, varii casus considerandi sunt: 1° *Si res periit tempore maioris pretii*, hoc pretium restituendum est. Attamen si dominus eam consumpturus erat vel venditurus antea tempore pretii minoris, probabile censent plures sufficere restitutionem huius pretii. 2° *Si res periit tempore minoris pretii*, non sufficiet reddere hoc pretium minus, sed debebit reddi maius pretium, si dominus rem venditurus fuisset tempore maioris pretii; idem dicendum, si dominus rem servaturus esset ad vendendum postea tempore maioris pretii, nisi valor rei domino reddatur tam mature, ut is adhuc rem hoc minore pretio similem emere et ser-

---

1 Supponitur iuxta dicenda de damnificatore hunc excessum pretii vel fuisse cognitum a fure, quando res talem valorem acquisivit, vel non esse excessum tam extraordinarium, ut non potuerit a fure saltem in confuso praevideri. Sic etiam intellige quoad casus inferius apponendos.

2 An debeat stari dicto creditoris dicentis se rem venditurum fuisse tempore maioris pretii, cf. Lugonem, d. 18, n 135.

3 In hoc casu alii quidem C. C. furem a restitutione liberant (*arg.* a. 823, 926, *br.* a. 515, *mex.* a. 853); sed alii eum a restituendo non eximunt (*chil.* a. 1676, *col.* a. 1735, *gall.* a. 1302, *hisp.* a. 1185, *lus.* a. 496, *ur.* a. 1527), quod cum a iure naturali non urgeatur, censendum erit poenale, ideoque in conscientia non urgere ante sententiam iudicis.

4 S. Alph., n. 620.

vare possit ad postea vendendum. 3° *Si res periit, postquam tempore detentionis pretium creverat et decreverat*, reddendum erit pretium maius, si dominus rem venditurus erat tempore pretii maioris; sed probabiliter (iuxta plures) sufficiet reddere pretium minus, si dominus rem consumpturus vel venditurus fuisset tempore pretii minoris.

In praxi, cum fere non innotescant praefatae circumstantiae, plerumque solum urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti (vel destructionis) res habebat[1].

c) **Si rem transtulit tertio** donatione vel venditione etc., consule dicenda in n. 275.

2. *Quoad damna* secuta per se ex iniusta acceptione **256**
et rei retentione et saltem in confuso praevisa (cf. dicenda de damnificatore), singuli malae fidei possessores compensare debent ea, quae domino obvenerunt durante tempore, quo rem detinuerunt iniuste; si autem reliqui suam damnificationis partem non compensent, totius damni reparatio incumbit singulis proportionaliter ad tempus elapsum a die, quo successive rem alienam mala fide acquisiverunt[2], servato semper iure se compensandi contra eos, in quorum defectu restituunt, si hi ad restitutionem tenebantur[3].

Cum hodie pro pecunia praestita soleat exigi interesse, ideo cum re deberi videtur interesse pecuniae sat diu retentae, nisi constet dominum hoc damnum passum non fuisse, quia v. gr. pecuniam servare solet otiosam; idem dicendum de merce ablata, quae facile in pecuniam aequivalentem converti potest. Sufficit autem reddere illud interesse, quod cum plena securitate capitalis percipi solet, nisi aliunde constet dominum interesse maius percepturum fuisse.

Quando non est certum, quod creditor lucrum percepisset aut damnum vitasset, restitutio non debetur ad aequalitatem, sed pro maiore aut minore spe, quam creditor attentis circumstantiis habere poterat[4]; creditor enim, qui v. gr. non erat certus lucrandi ex venditione 50 aureos, sed tantum id sperabat, nequit dici defraudatus 50 aureis, sed spe

---

1 Gury, n. 648.

2 Ratio est, quia quisque per translationem rei mala fide factam fuit cooperator ad damna quae per se (cf. dicenda de damnificatore) ex detentione rei deinceps obvenerunt domino usque dum restitutio ei peracta est, nullum vero influxum exercuit in damna domino secuta, antequam in possessionem iniustam venit.

3 Nam forsan aliqui possessorum ad restitutionem non tenentur, v. gr. si rem consumpserunt aut detinuerunt in bona fide nec ex re aliena ditiores evaserunt, vel quamvis in mala fide, tamen iustam habent causam differendi restitutionem.

4 Cf. Lugonem, d. 18, n. 133.

obtinendi 50 aureos, quae quidem non valet 50 aureos. sicut valeret certitudo. Ut igitur sciri possit quantum sit restituendum, pensetur prudenter ex adiunctis, quanti emi potuerit illa spes, v. gr. quantum solvisset aliquis creditori, si is iam ex tunc voluisset cedere omne ius ad lucrum, quod se percepturum sperabat.

257 3. *Quoad fructus.* Retineri possunt fructus industriales, etiam mixti quatenus industriae debentur. Fructus autem naturales et civiles restituendi sunt, etiamsi iam nec in se nec in aequivalenti exstent, quoniam mala fide consumpti fuerunt. Ceterum quis eos restituere debeat per se, quis in huius defectu, quantum pro fructibus reddendum sit si eorum valor crevit aut decrevit etc., iudicandum prorsus, sicut de re ipsa aut de damnis dictum est.

4. *Quoad expensas*, quas detentor subiit pro conservatione aut melioratione rei fructuumve restituendorum, deducere potest expensas necessarias et utiles, non vero mere voluptuarias, potest tamen has auferre, si re salva separari possunt[1].

NB. — 1° Qui alienum triticum seminat in suo agro, sufficit ut triticum restituat. Item qui ex ovis alienis pullos obtinet, sufficit ut restituat ova; ita ex communi sensu. At si ex praegnatione animalis alieni obtinetur proles, haec cum matre restituenda erit.

2° Qui se fingunt pauperes, ad restitutionem eleemosynarum tenentur (nisi hae parvae fuerint, quales ostiatim mendicantibus dantur), non vero veri pauperes, qui se probos

---

1 Cohaeret C. C. *gall.* a. 1381. A doctrina supra tradita plus minus recedunt C. C. *arg.* a. 2474, ubi furi ius retentionis denegatur; *br.* a. 517 possessori malae fidei concedens tantum compensationem pro expensis necessariis (et quidem absque iure retinendi rem, si illa compensatio denegetur) et privans etiam voluptuariis; *chil.* a. 910 et *col.* a. 966 possessorem malae fidei privantes compensatione pro expensis utilibus et concedentes tantum earum materiam asportare salva re, nisi dominus pro iis solvere maluerit; *ur.* a. 673-676, privans insuper iure ad voluptuaria; *hisp.* a. 453, 455 concedens tantum ius ad compensationem pro necessariis, absque tamen iure retentionis, et ius ad voluptuaria asportanda salva re et nisi dominus pro iis pretium actuale solvere maluerit; *lus.* a. 499, 502, concedens quidem compensationem pro utilibus, sed privans voluptuariis; *mex.* a. 842-848, privans, quoad expensas necessarias, iure retentionis, concedens tantum ius asportandi utilia salva re, si dominus pro iis nolit solvere, et privans iure ad voluptuaria. Sed cum in his omnibus a iure naturae plus minus recedatur, huiusmodi statuta putanda sunt mere poenalia ideoque non obligare in conscientia ante sententiam iudicis.

fingunt; ratio, quia paupertas causa motiva erogandi eleemosynam, probitas vero mere impulsiva praesumitur. In primo casu probabiliter sufficit, si restitutio fiat pauperibus [1].

III. **Possessor dubiae fidei** tenetur eas diligentias adhi- **258**
bere ad veritatem indagandam, quas maior aut minor rei valor et dubii gravitas postulant.

1. *Si, inquisitione facta, dubium perseverat*, attendendum qua fide, bona, mala, an dubia possidere inceperit.

a) **Si bona fide possidere inceperit,** melior est condicio possidentis, ac proinde in possessione perseverare potest, donec praesumptio iusti tituli, orta ex possessione bona fide coepta, vincatur adversa alia praesumptione aut probatione fortiore. Talis possessor potest rem consumere vel alienare, saltem si emptorem monet de dubio, quod circa rem versatur.

b) **Si dubia fide possidere inceperit** [2], videndum quo modo **259**
res acquisita fuerit.

1° *Si enim rem acquisivit spoliando alium*, res omnino reddenda est postremo, qui rem possidebat bona fide; is enim ius certum habebat prosequendi in possessione ex illo principio « melior est condicio possidentis », et proinde in dubio nequibat sine iniuria spoliari.

2° *Si rem acquisivit cum titulo*, v. gr. donatione, emptione etc., poterit conscientiam efformare iudicando bonam fidem in antecessore non defuisse, ope principii reflexi « nemo malus nisi probetur ». Si tamen eiusmodi dentur rationes in contrarium aut eiusmodi sit casus [3], ut ex illo principio conscientia efformari non possit, tunc iuxta sententiam communem restituendum est pro rata dubii [4]. Ratio, quia cum dubia maneat legitimitas tui tituli nec tibi faveat tua possessio, non habes ius certum possidendi, sed tantum spem, quod tibi

---

1 S. Alph., n. 622.

Quid teneatur restituere, qui furatus est schedam loteriae, respondet Ferr., n. 787.

2 Circa valorem possessionis bona vel dubia fide inceptae cf. Sánchez, *De Matrim.*, l. 2, d. 41.

3 V. gr. quando adiisti hereditatem dubitabas, utrum tibi an alii delata fuerit. Item si dubitasti, num pecunia tibi donaretur an solum traderetur in depositum, nec veritas inquiri potest.

4 Si res nequeat dividi, vendatur et pretium distribuatur, vel consentientibus ceteris adiudicetur uni, qui obligationem assumat satisfaciendi aliorum iuribus, vel ex consensu omnium iaciantur sortes.

forsan debeatur res; pariter alter in casu habet etiam (saltem coram te, seu quantum de eo iudicare potes) s p e m, quod res sibi debeatur; dividenda est ergo res vel pretium pro rata spei seu rationum, quibus spes fundatur; si enim aut tibi aut illi nihil datur, iniuria certa infertur, quoniam quisque ius certum habet, ne in dubio unus potius quam alter possessionem inchoet[1].

260 *c*) **Si mala fide possidere inceperit,** idem dicendum est ac in casu praecedenti; nam iudicium, quod prius efformaverat, rem esse certo alienam, nunc ob dubium praesens comperitur falsum. Censendum igitur quasi inceperit dubia fide.

2. *Si superveniente dubio inquisitio neglecta fuit, et nunc iam veritas comperiri nequit*, pariter attendendum qua fide, bona, mala an dubia possidere inceperit.

a) **Si bona fide possidere inceperit,** juxta communiorem sententiam tractandus erit, sicut qui dubia fide possidere inceperit, quoniam ex culpabili negligentia inquisitionis alium spoliavit s p e concepta (cf. superius dicta). Sunt tamen[2] qui putent nihil debere restitui, eo quod posita praesenti impossibilitate inquirendi adhuc faveat possessio bona fide incepta; horum auctoritati in re subobscura non videtur refragandum.

b) **Si dubia vel mala fide possidere inceperit,** idem cense quod paulo superius (n. 259) in *b*) et *c*)..

NB. — Quicumque possessor exorto rationabili dubio inquisitionem culpabiliter neglexit, tenetur de damnis ex hac omissione secutis, si quae secuta fuisse constet, prout constare poterit, si dominus deinde detegatur.

261 IV. **Damnificator** *obligationem habet reparandi damna, dummodo eius actio (vel omissio) fuerit* 1° *formaliter iniusta*, 2° *stricte iniusta*, 3° *realiter iniusta*, 4° *efficaciter iniusta.*

---

1 Cf. Lugonem, d. 17, n. 85 et d. 18, n. 4, et 5.

Praesens casus aequiparari potest casui n. 276, in quo restituenda est res certo aliena et dubitatur inter paucos, quis sit dominus. In utroque enim casu res iacet in medio, quin ullus sit cui faveat possessio.

Non abs re erit advertere, quod solutio supra exposita procedit in rigore, quando dubitatur circa aliquem vel aliquos in particulari; nam si dubitatur in genere, num res sit aliena, Lugoni locis cit. videtur aliquantum incerta obligatio restituendi; incertum quoque dicunt alii (ap. Lehmk., n. 1144).

2 Apud Lugonem, d. 17, n. 84 vel ap. S. Alph. l., 1, n. 37 et aliquos recentiores.

1° *Formaliter iniusta*, id est theologice culpabilis. Culpa theologica distinguitur a culpa iuridica[1]. Illa est peccatum formale seu offensa Dei; haec est omissio diligentiae debitae, ex qua sequitur alteri damnum, sive cum peccato formali coniuncta fuerit sive secus[2].

Seclusa culpa theologica obligatio restitutionis ex damno illato non contrahitur in conscientia; homo enim agens sine sufficienti advertentia aut libertate[3] potius assimilatur causis necessariis, et damnum aequiparari debet casui fortuito; ni ita esset, ad restitutionem obligare deberemus inferentes damnum in amentia vel somno. Potest tamen damnum sufficienter praevideri in confuso, et tunc sufficienter est culpabile in causa voluntaria (n. 2, 7, 55), ac proinde restituendi obligatio non effugitur, v. gr. si quis voluntarie se inebriat, cum sciat se in statu ebrietatis damna solere inferre.

Ex dictis sequitur obligationem restituendi pro damno non adesse in conscientia, 1° *etsi commissa fuerit culpa iuridica in adimpletione contractus* (v. gr. locationis, depositi etc.) vel quasi contractus (v. gr. officii medici), si defuit culpa theologica. Restituendi tamen obligatio oriri poterit, si non ex damno, at saltem ex sententia iudiciali vel ex speciali pacto,

---

1 Culpa iuridica iuxta LESSIUM, l. 22, c. 7, a. 22 est omissio alicuius diligentiae debitae, ex qua sequitur alteri damnum, praescindendo an talis omissio sit vel non sit peccaminosa.

Porro culpa iuridica dividitur a theologis et iurisperitis in latissimam, latiorem, latam, levem, levissimam. Culpa latissima dicitur dolus apertus, ut si quis aliquid agat vel omittat eo animo, ut sequatur damnum, quod praevidet secuturum. Latior est dolus praesumptus, ut si quis damnum praevidet, sed non intendit. Lata est omissio diligentiae, quam communiter adhibere solent homines prudentes eiusdem professionis. Levis est omissio diligentiae, quam adhibent diligentiores. Levissima, omissio diligentiae, quam adhibere solent diligentissimi.

Exemplum culpae latae iuxta LUGONEM, d 8, n. 26 est, si librum tibi commodatum reliquisti extra cubiculum; culpae levis, si reliquisti intra cubiculum, sed non clausisti; culpae levissimae, si clausisti ostium, sed non tentasti postea, an esset clausum, et vere non fuit clausum. Notandum cum eodem LUGONE culpam, quae in aliqua occasione est levis, posse in alia esse gravem.

Aliqua ex his tanguntur in can. 2203, § 1 easdemque divisiones magis minusve distincte aut confuse memorant C. C. *chil.* a. 44, *col.* a. 63, *gall.* a. 1137, 804, 1374, 1728, 1880, 1927, 1962, *hisp.* a. 1104.

2 Adverte culpam iuridicam etiam levissimam stare posse cum peccato gravi, si nempe diligentia exquisita voluntarie omittitur in negotio gravissimi momenti.

3 In hac enim materia, ut optime notat GÉN. S., n. 518, non tam attenditur culpa theologica, quatenus praecise est offensa Dei, quam quatenus est actus voluntarius seu actus humanus.

ut mox dicetur. 2° *etsi damnum illatum fuerit vacando operi illicito*, v. gr. laborando die festo; opus enim, quatenus iniustum, non fuit culpabile. 3° *qui invincibiliter credit damnum esse minus quam est*, non tenetur ad excessum, quem ignoravit, v. gr. proiiciens in mare gemmam valentem 100, invincibiliter credens valere tantum 10. At restituere debebit, si excessum apprehendit saltem in confuso.

262 *Attamen cum sola culpa iuridica obligatio restitutionis oriri potest in conscientia* 1° *ex speciali pacto*, si nempe inter partes conventum fuerit, ut damnum, si forte ex omissione vel incuria involuntaria evenerit, reparetur. 2° *ex sententia iudicis;* iusta est enim lex, quae sic promovet diligentiam hominum securitati publicae necessariam [1]. Huiusmodi tamen lex non obligat ante sententiam iudicis, cum id neque requiratur a bono communi neque ex intentione legislatoris requiri probetur (cf. etiam n. 45).

Quando damnum grave commissum fuit cum culpa levi, 1° *si simul totum damnum grave commissum est*, iuxta probabiliorem sententiam nulla oritur obligatio restitutionis; nam neque haec urgeri potest sub gravi, cum huiusmodi quasi-poena gravis non habeat proportionem cum culpa levi, neque sub levi, quoniam non intelligitur, quomodo ex culpa levi oriri possit natura sua poena sane durissima, qualis esset si homo coniiceretur in hanc angustiam, ut vel onus tantae restitutionis subeat vel numquam a peccato levi liberari possit; in casu multi dicunt restituendam esse portionem levem, at multi alii negant. 2° *si per plures culpas veniales ad damnum grave perventum est*, (v. gr. damnificator damnum grave completurus ne in confuso quidem praeteritorum damnorum memor fuit) [2], obligatio quidem levis non deest, quoniam haec certo contracta fuit in singulis damnificationibus [3], nec per damnificationes subsequentes tolli potuit. Obligatio tamen gravis probabiliter non datur. Imprimis enim, si damna suf-

---

1 Hinc infertur, licitum esse implorare iudicis sententiam ad obtinendam reparationem damni absque culpa theologica, sed cum culpa iuridica illati; petitur enim sententia iudicis iusta.

2 In dubio (negativo), an praeteritorum damnorum sufficienter memor fuerit, videtur ita praesumendum.

3 Occurrit hic interrogare: an, quando damnificatio fit in materia levi, semper contrahatur obligatio (profecto sub levi) restituendi totum dannum, v. gr. si detraxisti rem valentem 1 fr., an debeas restituere 1 fr.? Equidem censeo quod, si haec culpa levis fuit semideliberata, non contrahitur onus restituendi totum. Ratio, quia in damnificatione semideliberata multum intervenit fortuiti (sicut ubi nulla adfuit deliberatio, totum fuit fortuitum), cui proinde magna pars domni adscribenda est: consonant etiam ea, quae paulo inferius (n. 274) dicemus de influxu causae, ex quo mensura restitutionis derivatur.

ficiente intervallo separata fuerint, id est certum, etiam si damnificator praeteritorum damnorum memor fuerit. Si vero ratione temporis coaluerint, facile concedi solet obligationem non esse gravem, quando damna diversis dominis illata sunt. Si vero omnia illata sunt uni, sententia quidem communior obligat sub gravi ad restitutionem; at plures (Viva, Wirceb., Lehmk. etc.) [1] adhuc obligationem gravem negant, quoniam deficiente culpa gravi non apparet proportio ad hoc onus sub gravi. Ex his sunt qui id limitent ad casus, in quibus culpae evaserunt leves ob defectum advertentiae ad damnum vel deliberationis vel ob ignorantiam circa gravitatem obiectivam, non vero si tantum ob ignorantiam circa gravitatem formalem (v. gr. damnificator putabat 50 fr. esse materiam levem); tunc enim nihil intervenit fortuiti, sed Wirceb. et Giné [2] etiam in hoc casu negant obligationem gravem ob disproportionem cum culpa levi.

Qui inculpabiliter causam damni posuit illudque, cum possit, impedire recusat, an teneatur ad restitutionem, dicemus statim in n. 264. **263**

Qui culpabiliter causam damni posuit, quamvis facti poeniteat antequam damnum producatur, tenetur nihilominus ad restitutionem, si damnum vere ex illa actione secutum fuit. (Cf. tamen nn. 268, 269).

Qui damnum intulit bonis Caii, putans ea pertinere ad Titium, cui nocere intendebat, probabilius ad restitutionem tenetur erga Caium, cum omnes videantur adesse condiciones ad obligationem requisitae. Quoniam tamen actio fuit involuntaria, quatenus respiciebat Caium, obligationem restitutionis negant theologi primi subsellii ut Lugo et Molina, quibus alii accedunt plures [3].

Qui bona aliena destruxit ignorans illa esse assecurata, an et cui restituere teneatur, vide, sis, apud Ferr., n. 802.

2° *Stricte iniusta*, id est laesiva iustitiae commutativae. Id patet ex dictis n. 248, ubi addidimus cur similis obligatio non oriatur ex laesa tantum iustitia distributiva (vid. tamen ibid.). Restat igitur tantummodo inquirire de nonnullis casibus, de quibus, an laedatur ius strictum alterius, dubitari possit. **264**

---

1 Ferr., n 804 citat etiam pro ea sententia Lessium et Sa. Apud Lessium nihil huiusmodi reperire potuimus; nec ubi de damno agit nec ubi de furtulis. Non potuimus consulere Sa, advertimus tamen eum nec a S. Alph. nec a Lugone nec a Lehmk. citari.

2 Scripta lithogr. ad usum Collegii Max. Dertus. S. I.

3 Quos vid. ap. Ferr., n. 801; hanc quoque sententiam amplectitur S. Alph., n. 629.

Qui inculpabiliter causam damni posuit[1], tenetur ex iustitia illud impedire, quando advertat, ac proinde, ni faciat, reparare debebit damna culpabiliter non impedita. Ratio, quia ex iustitia curare tenemur, ne nostra actione alteri noceamus, dum eius efficacia est in nostra potestate. Ita sententia communis[2]. Sed cum multo minor sit obligatio impediendi damnum quam non inferendi positive, obligatio illa non urget cum incommodo relative gravi.

Attamen SANCHEZ et alii[3] opinantur obligationem in casu non oriri ex iustitia, sed ex sola caritate, dummodo, cum damnum advertitur, iam non perduret officium (si enim perduraret, obligatio oriretur ex officio seu quasicontractu), v. gr. medicus advertit se consuluisse medicamen nocivum ei, qui iam non est suus cliens, confessarius ad errorem advertit expleta confessione etc. Ratio, quia obligatio iustitiae non provenit ex actione positiva praeterita, quae inculpabilis fuit, neque ex omissione praesenti, ob dicenda de cooperante negative; quod autem cuilibet incumbat officium curandi, ne sua actione etc. (ut aiebat sententia communis), non est evidens, quando actio positiva iam praeteriit[4]. Hanc sententiam censemus probabilitate non destitui.

265 *Qui proximum impedit a consequendo aliquo bono*, peccat contra iustitiam et consequenter ad restitutionem tenetur, si proximus habebat ius in re vel ad rem. Secluso hoc casu adhuc contra iustitiam fit ex sententia communi, si ad impediendam consecutionem boni adhibentur media iniusta[5],

---

1 V. gr. inadvertenter ignem accendisti in re aliena, ex errore dixisti aliquid grave de aliquo, pharmacopola ex errore vendidit venenum etc.

2 Cf. LUGONEM, d. 8, n. 94 seqq., d. 39, n. 24 seqq.; S. ALPH., n. 564; LEHMK., n. 1156 et alios passim.

3 SÁNCHEZ, (Consil. mor. l. 1, c. 3, dub. 5) et alii apud ipsum (cf. de hac re LUGONEM, loc. cit.), quibus accedit VILLADA, *De Liberalismo*, t. 1, cas. 6, q. 6 in nota.

4 Addit quidem SÁNCHEZ loc. cit. exemplum: « Quia si bona fide accepissem a fure vas furatum donatione et alii id ego donassem, ... si postea cognita veritate non manifestarem domino, non tenerer restituere ». Quod tamen non videtur satis apte afferri; qui enim rem furatam bona fide alii transtulit, non censetur moraliter rem detinere penes alium, cum e contra devastatio, quam causat ignis a te inculpabiliter iniectus, censetur in morali aestimatione hominum pergere esse actio tua, prouti satis aperte id insinuat LUGO, d. 8, n. 95.

5 Scilicet cum intentione impediendi, ut alius consequatur illud bonum. Quare LUGO ponit hoc exemplum (d. 18, n. 100, d. 11, n. 82): Si Paulo volenti ire Neapolim recreationis gratia, tu, ne illius praesentia careas, dissuadeas iter etiam allegatis motivis falsis, v. gr. esse latrones in via vel aërem insalubrem, non teneris restituere Petro, etsi praevideris Paulum huic tali occasione mu-

mendacium scilicet, vis, fraus[1], aperitio litterarum vel iniusta detractio; nam licet proximus non habeat ius strictum ad illud bonum, profecto tamen habet ius strictum, ne per fraudem aut vim impediatur a bono, seu ne per fraudem aut vim auferatur ei spes, quam habet[2]; tunc restitutio facienda est pro valore spei (n. 256). Si vero bonum impeditum fuit mediis non iniustis, suasione scilicet, blanditiis, precibus, obligatio restitutionis non adest, etsi ob intentionem peccari potuit contra caritatem[3].

3° *Realiter iniusta*, id est damnum debuit realiter evenire; **266** nam non sufficeret intentio nocendi.

Si damnum est dubium et facta diligenti investigatione dubium perseverat, non teneris ad restitutionem, sive dubium sit an damnum evenerit, sive an causam damni posueris, sive an damnum provenerit ex hac causa[4], sive an tu vel alius fuerit auctor damni[5], obligatio enim manet dubia. Attamen quoniam incertitudo de auctore (v. gr. dubium est inter duos adulteros, cuiusnam sit proles, vel inter duos, qui simul globulum iniecerunt, quisnam occiderit) damnum causat ei, qui secus reparationem ab uno determinato postulare posset, ideo exceptio facienda est pro casu rarissimo[6], quo illi ad hanc incertitudinem attendissent; excipi etiam debet casus conspirationis.

4° *Efficaciter iniusta*, id est ut intercedat nexus causalitatis inter actionem et damnum; si enim actio per se **267**

---

nera daturum, quia Petrus non habet tale ius ad lucrum sibi per accidens obventurum, ut obligeris ex iustitia non ponere ex alio fine causas remotas, quibus lucrum impediatur per accidens; teneris tamen restituere si fraudibus impedivisti iter ea intentione, ne Petrus ea occasione habeat tale emolumentum, quia Petrus habet ius, ne ex industria fraudibus a lucri consecutione impediatur.

1 Supponitur consecutionem illius boni non esse peccaminosam, secus enim non est iniustum hanc impedire etiam per fraudem, v. gr. si uxor maritum avertat per fraudem a donatione prodiga.

2 Ergo ad restitutionem tenetur, qui vi vel fraude moribundum avertunt a testamento condendo, ut ipsi succedant ab intestato, vel ne testamentum revocet, et ad hoc impediunt ne advocetur notarius

3 Cf. LUGONEM, d. 9, n. 51 et d. 18, n. 90 seqq.

4 Sed si agitur de causa physica (v. gr. constat de vulnere letali et de morte secuta), vix unquam ratio probabilis dubitandi occurret.

5 S. ALPH., n. 562 et 658.

6 S. ALPH., ibid.

non influxit in damnum, sed v. gr. istud evenit occasione illius, damnum agenti imputari non potest, sed aliis causis extraneis.

Hinc non datur obligatio reparandi damna, 1° *si sola adest intentio nocendi, sed actio non est de se damnosa*, v. gr. volens surripere rem alienam ex errore aufert suam, putans esse alienam [1]. 2° *Si actio de se damnosa quidem est, sed cum iure ponitur*, etsi ex voluntate nocendi, v. gr. iudex reum ex odio, sed iuste ad mortem damnat. 3° *Si actio non est causa damni, sed tantum occasio* (quod saepe difficillimum est determinare), v. gr. si furtum a Petro commissum imputetur Paulo, qui alia patraverat furta, quamvis Petrus id praeviderit, immo (probabiliter) [2], quamvis id intenderit. Excipe, si Petrus eas elegerit circumstantias, quae moraliter influxum habeant sufficientem ad imputationem, v. gr. si homicidium patraturus vestibus induatur Pauli, vel si postea exuvias sanguine conspersas in domum Pauli proiiciat. 4° *Si actio damnum produxit tantum per accidens*, v. gr. si avarus ob mediocrem quantitatem a se ablatam furiosus in amentiam incidat, fur non tenebitur ad restitutionem pro huiusmodi consectariis.

Qui aliis exemplum ad damnum inferendum dedit, probabilius non tenetur de damnis ab aliis illatis (secluso casu conspirationis), etsi haec inferenda praeviderit, immo (probabiliter, ut nuper insinuavimus) etsi intenderit, quia merum exemplum per se non tendit ad alios excitandos [3].

268 V. **Cooperator** saepe ad restitutionem tenetur, idque vel ob rem acceptam (scilicet, si fuit vel est rei alienae possessor), vel ob iniustam acceptionem (scilicet, si eius actio condiciones habet pro damnificatore requisitas). Porro cooperatio ad iniustitiam praestari potest his modis (quorum sex priores positivi sunt): mandato, consilio, consensu, adulatione, recursu, participatione, omissione [4].

---

1 Aliquando tamen actio externa de se quidem nec iusta nec iniusta est, sed ad id determinari debet ex intentione: quod si haec iniusta est, iam actio evadit iniusta; v. gr. accipere rem a fure animo tradendi eam domino vel retinendi (cf. Lugonem, d. 8, n. 75, 76, d. 11, n. 79, d. 18, n. 98). Atque hinc magis corroboratur principium traditum n. 59, quod lex potest adnectere alicui determinatae virtuti materiam, quae de se indifferens sit ut ad illam virtutem pertineat vel non. Quod quidem cohaeret cum doctrina tradita in n. 10.

2 S. Alph., n. 636.

3 S. Alph., n. 537 et l. 2, n. 45.

4 Doctrinam, quae in sequentibus exponetur, memorat can. 2209.

1. *Mandans* intelligitur hoc loco, qui alii sive iussione sive conventione aliquid committit faciendum [1].

Mandans tenetur reparare damna vi mandati illata. Dixi illata «vi mandati», ideoque 1° non tenetur reparare ea, quae mandatarius erronee intulit, nisi mandans eadem praeviderit ex illius ignorantia aut errore invincibili; 2° non tenetur damna reparare, si tempestive mandatum revocavit et revocatio mandatario innotuit; tunc enim damnum huic, si quod infert, adscribendum est; secus vero, si revocatio vel non innotuit tempestive vel non fuit satis intellecta.

Mandans non tenetur de damnis, quae mandatario forte obvenerint, nisi eum metu aut vi ad exsecutionem coëgerit.

Ratihabitio damni iam illati non aequivalet mandato quoad onus restituendi, quoniam in actum praeteritum influere non potuit; videndum tamen ne damnificatorem animosiorem reddat in futurum.

2. *Consulens* intelligitur non solum, qui quovis modo suadet sed etiam precibus movet aut quamlibet instructionem dat ad damnum inferendum [2]. **269**

Consulens tenetur de damnis vi consilii secutis. Diximus «vi consilii secutis», ideoque 1° non tenetur reparare ea, quae exsecutor absque tali consilio eodem modo fecisset; 2° nec tenetur, si tantum suadet modum, locum, tempus aliasve circumstantias, dummodo hae in substantiam damni non redundent, v. gr. damnum non augeant. Idem dic, quando tantum suadet ut fiat citius, si certus est alterum non mutaturum esse animum nec damnum augeri; 3° nec tenetur, si consilium tempestive revocavit. Consilium simplex non difficulter revocatur. Si motiva falsa addita sunt, efficaciter revocantur manifestata veritate. At si motiva vera commoditatis, utilitatis etc. proposita sunt, iuxta plures non possunt censeri efficaciter revocata, etsi alia proponantur aeque efficacia in contrarium, quia damnum videtur inferri vi motivorum priorum; contradicunt alii (probabiliter) [3], praesertim si motiva dissuadendi desumuntur a fide vel lege naturali, quia vis prioris consilii iam videtur elidi, et damnum, quod sequitur, alteri qui libere damnum

---

1 Proinde faciendum suo nomine. Qui mere rogat, non semper habendus est ut consulens, sed considerandus est ut mandans, quando actio suo nomine ponenda est, quod generatim evenit, si ponenda est in utilitatem ipsius.

2 Intelligitur non suadere aut rogare, ut fiat damnum in gratiam sui aut suo nomine; secus enim in praesenti materia non diceretur mere consulens sed mandans.

3 S. Alph., n. 559.

eligit, adscribitur[1]. Si quis tamen ostendat modum inferendi damnum aut quid aliud, sine cuius cognitione damnum illatum non esset, v. gr. consulit abortum ignoranti vel furi viam secretam ingrediendi domum, tunc locum tenet omnino prima sententia.

270 *Qui officium gerit confessarii, medici, advocati, notarii, theologi* etc. et consultus bona fide errat, tenetur dicta retractare, si potest sine incommodo proportionate gravi; an ex iustitia, cf. n. 264. Si mala fide vel ex imperitia graviter culpabili, vel quia temeritate graviter culpabili omisit inquisitionem in casu difficiliore necessariam, tenetur de damnis tum petenti consilium tum tertio secutis. Si officium non gerit, non tenetur de damnis petenti secutis (nisi dolose peritiam affectaverit); tunc enim petens, parens consilio eius, de cuius peritia ipsi non constat, sponte se damno exponit. Tenetur tamen de damnis tertio secutis, si haec saltem in confuso praeviderit. — Qui simpliciter aperit suam opinionem, dicens ita sibi videri, quin suadeat ut alter sequatur, non tenetur ad restitutionem; nec qui indicat se dubitare; tunc enim, si alter sequatur damnum, suae temeritati adscribat[2].

De consulente minus malum ad maius avertendum etc., cf. dicta n. 96.

Si duo consulant furtum, uterque ad restitutionem tenetur, quia uterque suo consilio influxit.

271 3. *Consentiens* dicitur, qui approbatione vel consensu quovis modo manifestato, v. gr. per suffragium, influit in damnum.

Consentiens tenetur de damnis, in quae suus consensus influxit. Hinc ad restitutionem tenentur, qui suffragium iniustum ferunt ex conspiratione vel (etsi sine conspiratione) eodem tempore; damnum enim aequaliter omnibus est imputandum. Seclusis his casibus adhuc ad restitutionem tenentur, qui suffragantur primi donec compleatur numerus sufficiens suffragiorum, quamvis praevideant plures alios iniuste suffragaturos: per priora enim suffragia iam damnum illatum est; propterea excusari possunt[3] a restitutione, qui suffragium

---

1 Ball. P., n. 140.

2 Less., l. 2, c. 7, d. 7.

Merito addit Gén. S., n. 539: «Qui ex officio consultus mere omisit dare consilium seu monitionem, generatim habet easdem obligationes erga clientem atque ille, qui positive dedit consilium nocivum. Contractus enim cum cliente regulariter ita intelligitur, ut quam optime intra limites consultationis bono clientis consulatur.

3 S. Alph., n. 566.

ferunt expleto sufficienti numero. Hoc teneri potest etiam in suffragatione secreta [1], modo constet sufficientia suffragia praecessisse; si id dubium manet, cf. dicta n. 266 de damnificatione dubia.

4. *Palpo* dicitur, qui laudibus, adulatione vel exprobratione ad damnificandum movet. Palpo aequiparatur omnino consulenti, cuius obligationes nuper n. 269 dedimus.

5. *Receptans* dicitur, qui vel res furatas recipit, v. gr. caupones aut mercatores, qui accipiunt furta filiorum familias in pretium compotationum aut mercium [2], vel qui damnificatori refugium praebet, quo is alacrior fit ad iterum furandum aut ad restitutionem denegandam. Inter hos recensendi non sunt, qui malefactorem ex amicitia vel miseratione recipiunt, ut poenas evitet, modo id non influat in damna futura.

6. *Participans* dicitur, qui vel de rebus ablatis partem **272** recipit vel in damni exsecutione auxilium praebet. Prior tenetur obligationibus possessoris malae fidei, alter de damnis, in quae efficaciter influxit.

Participans in damno excusatur a restitutione, quando cooperationem materialem ob sufficientem causam posuit, iuxta regulas nn. 8 et 103 expositas. Hac occasione solent hic commemorari tres casus, in quibus ex causa proportionata liceat cooperari, etiam immediate, ad damnum proximi in bonis fortunae, nempe 1° si cooperans animum simul habet reparandi damna, 2° si negata cooperatione damnum aequaliter et certo inferretur, 3° si agitur de damno levi; in his casibus dominus rationabiliter invitus esse non potest. Ad rem autem intrinsece malam, v. gr. homicidium vel mutilationem non medicalem (cf. de 5° praec.), immediate cooperari non licet.

7. *Cooperator negativus* dicitur, qui non impedit damnum **273** cum impedire teneatur, v. gr. qui non clamat aut non praemonet, cum ad id teneatur ex contractu, vel custos damnificatori non obsistens aut eum non denuntians.

Cooperator negativus tunc solum tenetur de damnis, quando ea ex officio impedire tenebatur (secus enim sola caritate tenebatur) et cum sine gravi incommodo impedire posset, culpabiliter omisit.

Confessarius ex gravi negligentia vel ignorantia omittens monere poenitentem ut restituat, non tenetur de restitutione erga tertium; nam erga eum non obligatur ex officio.

---

1 Ferr., n. 820.

2 Hi eo ipso obligationes contrahunt possessoris malae fidei.

Tenetur tamen, si responsum ita declinet, ut silentium iure censeatur responsio negativa; tunc enim tertio positive damnum infert (cf. n. 265).

Superior (pater, maritus, tutor, herus etc.) non tenetur ante sententiam iudicis de damnis a subdito illatis, etiam ob silentium graviter culpabile, siquidem ea impedire non tenetur ex officio; supponitur silentium non aequivaluisse positivo impulsui [1].

Non suffragans tenetur ad restitutionem, si suffragium ex officio ferre tenebatur [2].

Famuli tenentur ex officio avertere damna ab illis rebus, quae speciali eorum custodiae commissae sunt. Plures id ipsum asserunt de omnibus bonis familiae defendendis saltem ab extraneis, sed alii hanc obligationem negant incumbere ex officio [3].

Custodes non impedientes damna, sive quia damnificatori non obsistunt, sive quia eum non denuntiant, sive quia custodiam negligunt, tenentur in defectu damnificatoris de damnis, quorum causa sunt. Excipe, si damnum sit minoris momenti nec saepius repetatur: tunc enim sufficit secreta punitio, vel si delinquens sit valde pauper nec soleat delinquere, aut aliter praesumi possit dominum nolle denuntiationem. Non tenentur custodes ad solvendam mulctam loco damnificatoris.

Obligatio datur reparandi damna illata per animalia, machinas etc., etiam ante sententiam iudicis, si vigilantia cum culpa theologice gravi neglecta est; quivis enim tenetur ex iustitia invigilare, ne per res suas sicut ne per suas actiones noceat.

Qui pecuniam a fure accipit, ut taceat, non tenetur de damno, nisi ex officio id impedire deberet; sed si a fure accipit de bonis ablatis, ea prorsus restituere obligatur. Si pecuniam accepit ut invigilaret, tenetur de damno, quoniam ad illud positive cooperatus est.

---

1 Statuta Codicis Civilis de hac materia et de damnis illatis per animalia aliasve res habes in C. C. *arg.* a. 1147-1170, 2264 ad 2271, *br.* a. 1521-1529, *chil.* a. 2319-2332, *col.* a. 2346-2358, *gall.* a. 1384-1386, 1797, *hisp.* a. 1903-1910, *lus.* a. 1420-1423, 2377-2381, 2394 ad 2398, *mex.* a. 1476-1481, *ur.* a. 1294-1306, 2251-2258. Porro, quando C. C. *chil.* a. 2332 (cf. etiam *col.* a. 2358) et *ur.* a. 1306 dicunt actiones ad repetenda quaedam damna exstingui praescriptione 4 annorum, manifestum est non agi de praescriptione proprie dicta, cum non requiratur in conscientia bona fides, sed de termino, ultra quem ferendae iudiciali sententiae iam non sit locus.

2 Cf. Gén. S., n. 547; Ferr., n. 831.

3 Cf. Gén. S., n. 546.

Art. 5. De circumstantiis restitutionis.

1. *Quantum?* Restituendum est id, quod exacte respondeat rei acceptae vel quantitati influxus in damnum. **274**

Praecipua difficultas est, quando ad damnificandum concurrunt plures causae partiales, quae in ordine cooperationis (n. 144) aequaliter se habent[1], utrum quilibet teneatur restituere in solidum (id est etiam pro aliis, qui nolunt aut non possunt restituere)[2] an tantum pro rata. Teneri possunt sequentes regulae[3]:

---

1 V. gr. duo suffragatores vel duo, quorum alter furi scalam praebet, alter invigilat ne apparitor superveniat.

2 Locutio « in solidum » usurpatur ad significandum, quod aliquis non solum teneatur *absolute* ad solvendam partem sibi respondentem, sed etiam partem singulorum e ceteris *condicionate*, adeo ut, si e ceteris solvat nemo, tunc ipse « solidum » damnum, id est totum damnum aut rem totam solvere debeat.

3 Iuvat hic exponere alio modo forte profundiore fundamenta doctrinae, quae supra traditur; agitur enim de materia magni momenti:

Principia de causa simul cum aliis concurrente.

1° Si huiusmodi causa concurrit *partialitate effectus*, id est si non influxit nisi in partem damni, evidens est non teneri nisi ad hanc partem, in quam influxit. Exempla: si duo (sine conspiratione) devastant vineam alienam; si unus consulit furi ut auferat a Petro nummos, alter ut auferat gemmam; si duo (sine conspiratione) supponunt ignem diversae parti domus, quae tota exarsit, sed ad alteram partem non pervenit ignis appositus in altera.

2° Si illiusmodi causa concurrit *partialitate causae*, id est influendo quidem in totum damnum, sed per influxum de se insufficientem ad totum causandum, obligatio tantum datur ad restituendum pro rata, quia obligatio restituendi commensuranda est secundum influxum causae, quoniam tota ratio restitutionis est causalitas seu influxus in damnum (Lugo, d. 19, s. 2, § V). Exemplum: poenitens, nolens agere in re valde gravi de consilio unius confessarii, consulit plures, qui ex ignorantia graviter culpabili dicunt esse restituendum. Si tamen illiusmodi causa praestitit influxum *necessarium*, tenetur in solidum, quia etsi influxus erat insufficiens, cum tamen suum influxum subtrahendo potuisset totum damnum impedire, totum illi imputatur (Lugo, d. 19, n. 84). Nec dicas (Villada, *Casus de Liberal.*, t. 1, cas. 7, quaer. 5) non teneri nisi pro rata, eo quod actionem damnosam aliorum non tenebatur impedire ex officio, sed solum caritate. Nam respondemus: 1° doctrina de cooperatione negativa, quae hic invocatur, supponit quod non-impeditio damni fit per omissionem actionis, non quod per actionem positivam; 2° reapse tenetur quisque ex iustitia impedire, ne per suas actiones eveniat illud totum damnum; 3° non aliter censeri potest consulens teneri ad restitutionem loco exsecutoris, nisi quia consilium habuit influxum « necessarium ». Fatendum est aliqualem difficultatem in hoc puncto non deesse, quae tamen nequit transferri in suffragantes ex officio: singuli

1ª Qui praestitit influxum de se *sufficientem* ad totum damnum aut *necessarium* (quamvis non sufficientem), tenetur in solidum. Ratio 1ⁱ, quia ex modo, quo agit, ponit totum effectum, et is iure potest illi totus imputari: est enim simpliciter causa totius effectus. Exemplum: duo consulunt furtum proponendo quisque motiva sufficientia. Ratio 2ⁱ, quia adhuc illi totum damnum merito imputatur. Exemplum: quatuor asportant trabem, quam tres non asportassent.

2ª Qui praestitit influxum *nec sufficientem nec necessarium*, tenetur tantum pro rata; si tamen adfuit stricta conspiratio, tenetur in solidum. Ratio 1ⁱ, quia obligatio restitutionis mensuranda est iuxta quantitatem influxus, cum is sit tota ratio talis obligationis, et revera huiusmodi causae nequit simpliciter imputari totus effectus. Exemplum: aliquis se adiungit tribus asportantibus trabem, quam etiam sine eo asportare poterant. Ratio 2ⁱ, quia tunc cuique iure imputari potest damnum ab altero illatum [1].

Quantum sit restituendum pro impeditione alicuius boni, cf. n. 256 et 265.

275 *De ordine restituentium.* Regula generalis: causa principalis tenetur restituere ante aliam, quae se habuit ut instrumentalis respectu illius; causae, quae hanc subordinationem non habent inter se, sunt pares in ordine restitutionis. Quare cooperatores tenentur hoc ordine: 1° possessor, qui rem alienam retinet in se, vel in aequivalenti, vel eam iniuste consumpsit. 2° Mandans. 3° Fur, vel exsecutor damni [2]. 4° Coo-

---

enim, etsi ad nihil teneantur erga alios, at certe tenentur ex officio impedire illud totum damnum.

3° Si concurrit *totalitate effectus et totalitate causae*, obligatio est in solidum, quia huic causae, etsi non unicae, totum damnum iure imputari potest; profecto enim ex modo, quo influit, totaliter ponit effectum et est causa simpliciter illius. Exempla: duo simul confodiunt tertium vulneribus letalibus. — *NB.* Si post debitam diligentiam dubium manet de modo, quo causa influxit, obligatio in solidum non urget iuxta dicta de damnificatione dubia.

1 Motio cuiusque supponitur vel de se sufficiens vel necessaria, et tunc vocatur « conspiratio stricta »; profecto singuli tunc se habent respectu ceterorum instar consulentis, cuius consilium efficacem supponitur exercuisse influxum. Sed si motio non fuit adeo efficax, obligatio restituendi urget tantum pro rata influxus.

2 Possunt alii quoque teneri in eodem ordine cum exsecutore, v. gr. si tres inter se conveniunt ad occidendum communem inimicum et eo reperto unus percutit, dum alii eum tenent, caedes fit nomine omnium omnesque aequaliter se habent et censentur exsecutores. Sed si unus percutit aliis hominem tenentibus, quia eos ille tamquam adiutores quaesierat, tunc hi tenentur secundo loco respectu exsecutoris.

peratores positivi[1]; nec per se[2] est inter eos ullus ordo, ac proinde quisque tenetur in solidum vel pro rata, maiore vel minore, pro quantitate influxus, iuxta regulas nuper traditas. 5° Cooperatores negativi; nec per se est inter eos ullus ordo.

NB. — 1° Qui, quum teneretur in solidum, totum damnum reparavit supplens ceteros, recursum habet contra eos, etiam per occultam compensationem[3]. Similiter causa secundaria, quae restituit loco principalis.

2° In dubio an alii suam partem restituerint, videtur non urgere obligatio eos supplendi. Potest tamen satis iudicari aliquis non restituisse, si v. gr. adhuc pergit furari, vel si est valde pauper, aut gravibus oneribus pressus[4].

3° Si causa principalis restituit aut condonationem obtinet, secundariae ad nihil pro eo tenentur. At si aliqua secundaria restituit vel condonationem obtinet, non ideo liberatur principalis nec aliae secundariae liberantur a sua ipsorum parte, nisi remissio merito praesumi possit fuisse totalis.

4° Monet S. Alph.[5] quoad causas secundarias, in praxi raro expedire, ut rudes moneantur de obligatione in solidum; nam non facile sibi persuadent se teneri ad restituendam etiam partem ab aliis ablatam vel destructam.

2. *Cui?* Restituendum est domino laeso, ut est evidens[6]. **276**
Si tamen res ablata fuit depositario, locatario etc., huic potius quam domino tradenda est, ut in iure possidenti restituatur. Si laesa est aliqua communitas in bonis ipsius ut personae moralis, eius administratoribus restitutio fieri debet. Attamen societates ad pravum finem institutae nullum ius possidendi,

---

1 Inter hos recensetur consulens, est enim causa secundaria respectu exsecutoris.

2 Potest enim aliquando fieri, ut unus se habeat ut instrumentum alterius, v. gr. si quis consulit ut alius consulat furtum, ille non tenetur nisi post hunc immediatum consulentem. Pariter si Petrus Paulum, qui ex officio damnum impedire debet, rogat ut taceat, Petrus ad restitutionem tenetur post Paulum, etsi ille cooperatus fuerit positive, iste vero negative: non enim Petrus influxit directe in damnum, sed in silentium Pauli.

3 Postquam is, qui damnum passus est, plenam reparationem obtinuit ab aliquo eorum, qui tenebantur in solidum, probabiliter (cf. Ball. P., p. 2, c. 2, n. 173) sufficit, ut quisque ceterorum huic,qui totum restituit, suam partem refundat, quin teneatur portionem ceterorum non restituentium cum eo dividere. Si tamen duo volunt ab initio damnum totum reparare, debent inter se dividere portionem ceterorum, quos suppleturi sunt.

4 Ball. P., n. 179; Salm. et Ronc. ap. S. Alph., n. 579.

5 S. Alph., *Hom. Ap.*, n. 54.

6 Qui bona aliena assecurata culpabiliter destruxit, cuinam restituere teneatur, vide sis, apud Ferr., n. 802, 1094.

quantumvis agnoscatur a lege, habere possunt, ideoque ipsis membris pro rata restituendum est, quoniam in singulorum dominio bona talis societatis permanent; tunc igitur facile restitutio pauperibus fieri poterit, v. gr. ob magnam difficultatem restituendi, multo magis si portio singulorum sit levis[1].

Si dubius est dominus, et post diligentem investigationem valori rei proportionatam dubium vertitur inter paucos, ipsis pro rata restituendum est, vel inducantur ii ad amicam compositionem, v. gr. ut velint rem sortiri. Si vero dubium vertitur inter multos, ut facile evenit in mercatoribus fraudantibus in pondere et mensura, restitutio fiat prout moraliter fieri potest, v. gr. augendo pondus et mensuram emptoribus ordinariis; sed accedente aliqua causa facile pauperibus restitutio fieri poterit, si nemo graviter laesus praesumatur.

277 *Si ignoratur dominus*, et agatur de restituenda re, quae possidebatur bona fide, procedi omnino potest sicut in casu rei inventae, cuius dominus quidem exsistit, sed penitus ignoratur. At si agatur de restitutione facienda ex delicto, id est ob furtum vel damnificationem, tunc ex consensu omnium Doctorum non licet agere sicut de re inventa, sed restituendum est pauperibus[2] vel causis piis, idque sive ex consuetudine universali, quae statuta antiqui Iuris canonici de usuris et pretio simoniaco ad omnia bona ex delicto restituenda extenderit, sive iure naturae id ob bonum societatis exigente; profecto haec ultima ratio videtur urgere saltem pro restituendis ex furto; nam ius naturae nequit dare furibus hanc spem lucrandi, qua maxime allicerentur ad furandum[3]. Ceterum restitutione pauperibus vel locis piis facta et domino comparente non debet iterum restitui, dum-

---

1 Gén. S., n. 551.

2 Nomine pauperum veniunt non solum mendicantes, sed etiam ii, qui aliter nequeunt suum statum conservare (S. Alph., n. 491), nec ipse debitor excluditur, si pauper sit.

3 Lugo, d. 6. n. 135. — Restitutionis obligationem « ex delicto » ortam urgere, etsi dominus penitus ignotus sit, unanimiter affirmant Doctores, etsi in ratione assignanda aliquatenus dissideant. Dolendum sane eos non satis expresse et seorsim perpendisse duplicem casum sub voce « ex delicto » contentum, alium scilicet rei mala fide acceptae, alium damnificationis culpabilis, cum tamen seorsim tractandi essent, nam generatim eas rationes allegant, quae tantum probare videntur obligationem in primo casu.

Si enim rationes varias colligis alias ab aliis datas (consule Lugonem, d. 6, n. 135; Salmant., tr. 13, c. 1, n. 208-214; S. Alph., l. 3, n. 589, l. 4, n. 71; Ball. P., tr. 8, p. 2, n. 186; Lehmk., n. 1216; Noldin, n. 503; Waffelaert, II, n. 332), quinque esse reperies: malum quod societati impenderet, si hac via ditescere liceret, consuetudinem quorumdam canonum interpretem, praesumptam vo-

modo restitutio facta fuerit post inquisitionem debitam et amissa spe dominum inveniendi, facta enim fuit iuxta rationabilem illius voluntatem; is autem, cui res tradita erat, agere tunc potest iuxta dicta de re inventa (n. 233) [1].

---

luntatem domini, auctoritatem S. Thomae, verba quaedam S. Hieronymi.

Verum enimvero rationes huiusmodi supponunt solum casum rei acceptae, aut saltem nulla earum satis efficaciter invocari potest pro casu merae damnificationis. Nam prima supponit hominem factum ditiorem, quod in mera damnificatione non accidit; nec dicas rationem boni communis extendi posse ad hunc casum, ut scilicet ansa tollatur non tantum ad furandum, sed etiam ad damnificandum; sic enim probare etiam posses obligationem dandi pauperibus pro quolibet crimine commisso. Secunda refertur ad canones, qui agunt de restituendis usuris aliisve rebus simoniace acceptis; porro quod forte consuetudo id extenderit ad quaslibet res male acceptas, credibile est, ne homines per iniuriam ditescant; quod autem revera extenderit etiam ad delicta merae damnificationis, non patet, et nescimus an Doctores id quoque asserere intenderint, immo potius putamus non intendisse, prouti ipsorum lectio suadet. Tertia difficulter invocari potest, cum dominus aeque pergat damnificatus. si aliquid detur pauperibus, ac si non detur; praeterea hanc rationem, sicut et duas sequentes, reiicere debent, quotquot cum S. Alph. (l. 4, n. 71) in casu obligationem restituendi ex delicto totam repetunt e iure ecclesiastico. Quarta affert locum S. Thomae, 2. 2. q. 62, a. 6, ad 1, ubi manifeste consideratur quaestio supposito, quod intercessit rei alienae acceptio, praeterea vid. Ball. *P.*, loc. cit. In quinta S. Hieronymus loquitur de eo « qui rapit ».

Neque tamen alias rationes afferunt, praeter hucusque memoratas ii, qui ut Lehmk. et Noldin non contenti hac nimis generali locutione « debita ex delicto », mentionem expressam faciunt obligationis « ex damnificatione », aut (sicut Lugo, d. 6, n. 134) « ex iniusta acceptione » (quae locutio idem sonat apud Lugonem).

Unum tamen reperimus nonnulla novo modo proponentem, Patrem Vermeersch, *De Iust.*, n. 167, ingeniose versantem argumentum obligationis *personalis* ortae ex iniuria; verum inde ad summum probatur, quod obligatio restituendi ignoto etiam domino *perseverat*, quod vero traditio facta non domino, sed alii (v. gr. pauperibus), sit *restitutio*, non probatur. Conatur quidem ipse id inde probare, quod dominus non est in hoc rationabiliter invitus. At vero, sufficitne quod dominus *non sit invitus*, an potius requiritur ut fiat iuxta *positivam eius voluntatem?* Et quis aliquem huiusmodi actum voluntatis supponat in domino ignoto? Praeterea dato, quod dominus laesus, de reparatione obtinenda desperans, aliquem actum voluntatis privatim elicuerit, nonne debuisset istum damnificatori declarare atque intimare, ut eum obligaret?

Quare censemus obligationem restituendi ex mera damnificatione, quando damnificatus comperiri nullo modo potest, etsi tenenda sit propter auctoritatem Doctorum, qui tam constanter docent restituendum pro debitis quomodolibet « ex delicto » (urgenda est enim, etsi rationes deficiant, obligatio, quam omnes magis minusve expresse vel confuse sentiunt esse urgendam), tamen non satis demonstrari (id quod iam advertit Gén. S., n. 552 in editione anni 1919), ideoque non obsisteremus, si confessarius in praxi non adeo severe ageret.

1 S. Alph., n. 590.

Denique pro restitutione computari possunt eleemosynae etiam inscienter iam erogatae, p o s t q u a m obligatio contracta fuit[1], quia quisque praesumitur prius obligationibus iustitiae velle satisfacere.

278 *De ordine creditorum.* Si creditores sunt plures et non potest omnibus satisfieri, solvendum est imprimis eis, qui ius reale aliquod habent in bonis creditoris, v. gr. per hypothecam, ceteris vero pro rata, quin obligatio sit[2] praeferendi (possunt tamen praeferri)[3] creditores tempore priores aliis posterioribus aut egentiores minus egentibus; omnibus enim aeque obligatur persona debitoris. Attamen solvi debent prius debita ex titulo oneroso quam alia ex titulo gratuito; haec enim contracta sunt sub tacita condicione «si commode possim»; videtur etiam prius satisfaciendum creditoribus certis quam pauperibus loco creditoris incogniti.

Privilegium, quod lex[4] quibusdam creditoribus concedit, ut ceteris anteponantur, tantum obligat in conscientia, quando intercessit sententia iudicialis, vel quando creditor legitima intimatione significat se suo privilegio uti velle.

Sunt qui iniustitiae non damnent[5], si alicui ex creditoribus, qui nec titulum prioritatis nec paupertatis allegare possunt, integre solvatur, etiam sponte. Attamen huiusmodi solutiones adveniente cessione bonorum solent a iudice irritari, cuius sententiae, utpote quae iustas leges applicat, standum est.

NB. — Hac occasione nonnulla addemus de *cessione bonorum*. Haec in eo consistit, quod debitor creditoribus integre solvendo impar eis bona sua omnia tradit; iudiciaria dicitur, si a iudice imponitur invitis creditoribus, voluntaria si ab iis acceptatur. Cessione facta non ideo exstinguitur debitori obligatio solvendi reliqua, si postea possit; excipe, si in cessione voluntaria contrarium expresse stipulatum sit cum creditoribus. Qui bonis cedit, potest ea retinere, quae ipsi necessaria sunt ad parce vivendum iuxta suum statum: siquidem licet restitutionem differre, ne quis a suo statu decidat (n. 281); propterea tuto possunt in conscientia occulte ea retineri, si a lege denegantur.

---

1 S. Alph., n. 700.

2 Attamen facta cessione bonorum, aut quando quis liberam bonorum administrationem amisit, ordo praelationis a lege statutus observandus est in conscientia.

3 Cf. S. Alph., n. 690, 691.

4 Huiusmodi leges vide apud C. C. *arg.* a. 3909-3972, *br.* a. 1554-1571, *chil.* a. 2465-2491, *col.* a. 2488-2511, *gall.* a. 2092-2113, *hisp.* a. 1921-1929, *lus.* a. 878-887, *mex.* a. 1928-1964, *ur.* a. 2342-2363.

5 Cf. Gén. S., n. 603.

3. *Quomodo?* Quomodolibet, dummodo is, qui laesus fuit, 279
indemnis fiat. Quare non est necesse, ut restitutio fiat eo sciente aut per ipsum debitorem. Potest igitur fieri v. gr. per indebitam parsimoniam aut per simulatam donationem (si tamen alter aliquid ex gratitudine redonet, quod secus non fuisset donaturus, ei iterum restitui debet, nam donatio fuit invalida).

Qui rem bona fide acceptam restituere debet, non tenetur expensas subire, ut eam domino mittat, sed sufficit eum monere, isque expensas solvere debebit. Si res tradita fuit intermediario et sive casu sive eius culpa ad dominum non pervenit, nulla manet obligatio, quia « res domino perit », dummodo in eligenda intermedia persona culpabilis oscitantia admissa non fuerit.

Qui rem ex delicto restituere debet, tenetur expensas subire [1], ut eam mittat ad locum, ubi eamdem nunc dominus habiturus esset, deductis tamen expensis, quas dominus eam servando vel deferendo fecisset. Si persona intermedia eligitur et res sive alicuius culpa sive inculpabiliter ad dominum non pervenit, iterum restituendum est; excipe, si illa persona electa fuit ex consensu domini, quia tunc dominus periculum in se suscipere censetur; idem dicito, si persona determinabatur a lege; sunt etiam plures, qui [2] non audent improbare eum, qui iterum non restituat, si pro intermediario elegerit ipsum confessarium, forsan quia hunc ex consensu domini rationabiliter praesumpto eligi censent.

Statui vel municipio restituendum est per media a lege constituta. Quod si constituta non fuerint, restitui potest administratoribus, v. gr. ministro, qui aerarii publici curam gerit, vel destruendo titulos debiti publici (non vero pecuniam papyraceam in iis regionibus, in quibus illa emittitur ab aliqua Societate Bancaria, quoniam huiusmodi Societas ius habet diversam a iuribus Status).

4. *Quando?* Quamprimum, quamvis non facile damnan- 280
dus de mortali, qui cum restituendi animum habeat, id tamen aliquo tempore differt sine gravi domini incommodo. Certe cavendum a fallaciis eorum, qui cum restituere possint, id ad mortis horam vel ad heredes relegant.

Damna, quae ex dilatione restitutionis oriuntur, compensanda sunt, quando dilatio fuit culpabilis et illa saltem in confuso praevisa fuerunt (excluduntur igitur damna prorsus

---

1 Nisi attenta inopia debitoris, parva utilitate domino obventura etc. expensae videatur nimiae; quod hodie evenire non solet, cum tanta sit transmittendi facilitas.

2 Cum S. Alph., n. 705.

extraordinaria, siquidem praevideri non poterant). Si vero dilatio fit cum iusta causa, non est obligatio ea compensandi, siquidem in iniuria abest culpa; quae ratio teneri potest, etsi restitutio facienda esset ex delicto, ut probabiliter sentiunt plures [1].

281 5. *Causae, quae a restituendo excusant*, variae sunt, quarum aliae ad tempus excusant, aliae in perpetuum.

a) **Excusant ad tempus :** 1° *Impossibilitas physica*, quando scilicet nihil habetur, quod restitui possit.

2° *Impossibilitas moralis*, id est grave damnum, quod debitori vel alii tertio immineat [2], v. gr. si restitui nequit sine infamia [3], vel si restituendo debitor prorsus decideret a suo statu iuste (non iniuste) acquisito, aut si in gravem necessitatem incideret; proinde si nobilis deberet se privare omnino famulis, equis etc., vel civis primarius obire artem mechanicam sibi insuetam, vel opifex vendere instrumenta suae artis, vel si ob inopiam secuturam grave periculum esset, ne filiae se prostituerent, restitutio differri poteri [4], idque teneri potest, etsi debitor ludis, crapulis etc. in tales angustias se coniecerit [5]. Sufficiet igitur parce vivere in suo statu et expensas minuere quantum fieri possit, ut quantitas restituenda comparetur. — Si creditor iam reperiatur in necessitate gravi, restituendum est, etsi debitor in eandem decideret; si vero uterque iam sit in necessitate gravi et debitor in extremam decideret, excusari potest restitutio. Et generatim restitutio omitti non potest, nisi pro debitore immineat damnum notabiliter maius quam pro creditore.

282 *b*) **Excusant in perpetuum:** 1° *Condonatio debiti* facta a creditore, dummodo is liberam rei administrationem habeat. « Ideo nulla est remissio, quae fit a minorenni quoad bona sua, ab uxore quoad bona communia, ab administratoribus quoad bona societatis, nisi forte de rebus parvi momenti agatur » [6].

Sufficit ad excusandum a restitutione condonatio praesumpta, id est quae concederetur, si peteretur, sicut eadem sufficit etiam ad rem alienam accipiendam [7]; sic enim iam

---

1 Quos vide ap. Gén. S., n. 556.

2 Non excusat grave incommodum, quod in ipsa obligatione adimplenda sentiatur (n. 43).

3 Vix tamen eveniet, ut non suppetat medium indirectum ad infamiam vitandam, v. gr. restituendo per confessarium.

4 S. Alph., *Hom. apost.*, n. 117.

5 S. Alph., ibid., n. 118.

6 Gén. S., n. 558.

7 Potest tamen dominus esse invitus quoad modum, id est non quod res accipiatur, sed quod se inscio accipiatur; tunc acceptio non excusaretur a veniali (S. Alph., n. 700).

desinit res detineri invito domino [1]. Propterea excusari possunt facilius filii familias, si modicam pecuniae summam surripuerunt, vel si restitutio aegerrime fieri potest; item famuli, qui esculenta communia consumpserunt.

2° *Compositio a S. Sede concessa.* Haec tantum conceditur pro bonis, quae ad causas pias restitui deberent; nimirum Summus Pontifex tamquam supremus causarum piarum administrator condonat, modica tantum quantitate in causas pias elargita, reliquae partis restitutionem. Obtinetur compositio per recursum ad S. Poenitentiariam [2].

NB. — *a*) Restitutionem amplius non urgere, si creditor **283** iam se occulte compensavit, aut si debitor in debiti ignorantia iam praescripsit, notum est. — Qui debiti immemor aliquid gratuito donat creditori, probabiliter potest id pro restitutione computare; quisque enim praesumitur velle prius satisfacere debito iustitiae quam merae liberalitati [3].

b) An seclusa sententia iudicis tenearis solvere debitum, quod probabiliter iudicas te iam solvisse? Resp. Quamplurimi affirmant, sicut de qualibet obligatione, cui non certo satisfactum fuit; sed contra hos diximus n. 26 seqq. Plures, etiam eorum qui id non asserunt generaliter de qualibet obligatione, idem tamen tenent in materia iustitiae dicuntque solvendum esse pro rata dubii, moti paritate casus de restitutione, quando dubium versatur circa paucos (n. 276); disparitatem tamen censemus exsistere, quia in illo casu constat c e r t o possessorem debere se spoliare re non sua, in praesenti vero idipsum venit in dubium; ibi proinde res iacet in medio, quin ullus e dominis dubiis adhuc rem possideat (n. 276 et 258), hic vero litigatur de re hucusque pacifice possessa; quamobrem suam vim retinent pro omni casu ea, quae n. 25 diximus, quin ulla ratio sit admittendi exceptionem pro materia iustitiae. Quare probabilem censemus sententiam eorum [4], qui in casu a solutione facenda eximunt; recte tamen monent ii, quod plerumque post diligentem investigationem probabilitas evanescet, quia quadam morali certitudine apparebit solutionem esse vel non esse factam.

---

1 S. Alph., n. 700.

2 In Hispania debita ex delicto, quae non excedant 100 pesetas (in Lusitania 100 mille reis), componi possunt ipso facto sumendi *Bullas Compositionis*, soluta tantum decima parte (in Lusitania 25ª parte) in earumdem acquisitione; requiritur tamen, ut delictum in confidentiam compositionis factum non fuerit, dominus reperiri non possit et acquisitum fuerit Summarium Cruciatae (compositione sic peracta probabiliter nihil restituendum est, si forte postea dominus compareat). Pro maiore quantitate componenda aut minore taxa solvenda adeundus est Commissarius Bullae Cruciatae.

3 S. Alph., n. 700.

4 Waffelaert, Génicot, etc.

Art. 6. De restitutione ob quasdam causas in specie.

284 1. *De restitutione ob damnum in bonis animi.* Qui alium ad peccatum grave induxit mediis iniustis (vi, mendacio, fraude etc.), tenetur sub gravi et ex iustitia vim vel fraudem auferre, errorem manifestare, alia quoque damna reparare forte secuta, v. gr. si alius e collegio vel famulatu expulsus fuit; si autem induxit tantum consilio, datur obligatio tantum caritatis ad auferendam causam, non vero obligatio restitutionis, quia scienti et volenti non fit iniuria.

Qui alium etiam inculpabiliter induxit ad errorem, ex quo damnum huic vel tertio imminet, tenetur errorem tollere (n. 264).

Qui mediis iniustis alium ab ingressu religionis impedivit aut ad eam deserendam induxit, tenetur non ex caritate solum, sed etiam ex iustitia fraudem auferre, siquidem iustitiam laesit impediendo alium his mediis a consecutione tanti boni (n. 265).

2. *De restitutione ob homicidium* vel mutilationem. Nihil debetur praecise ob vitam vel membrum ablatum, quoniam haec in suo ordine reparari amplius non possunt (n. 248). Reparatio tamen debetur damnorum, quae per se consecuta sunt, videlicet[1]:

1° *Ipsi occiso* vel mutilato debentur expensae curationis morbi necessariae, deductis tamen expensis, quae in sanitate fecisset pro victu ordinario; debetur etiam lucrum cessans ob relictum laborem, negotiationem, etc. pro tempore suae vitae[2], deducto tamen lucro, quod mutilatus comparare poterit, si aliud laboris genus iuxta suum statum tentare velit,

---

1 Quae sequuntur, fere eadem sunt, quae statuuntur a legibus civilibus. Quaenam tamen reparationes via iudiciali ordinaria repeti possint (seclusis poenis, quas addunt Codices Poenales), accuratius vide in C. C. *arg.* a. 1118-1120, *br.* a. 1537-1540, *chil.* a. 2314-2316, *col.* a. 2341-2343, *gall.* a. 1382, 1383, *hisp.* a. 1902, *lus.* a. 2384-2387, *ur.* 1293, 1297.

2 Hoc lucrum computandum est iuxta quantitatem, quae obtinenda sperari prudenter poterat; ad hoc autem iudicium prudens formandum iuvabit considerare, quanti spes illa vendi potuisset ante occisionem. « An vero restituere debeas pretium summum, medium vel infimum, quo spes illa vendi posset, idem dicendum est ac de eo, qui occidit equum alienum, qui debet similiter eius pretium restituere, non summum, sed medium, quo potest dominus absque difficultate alium similem comparare ». (Lugo, d. 11, n. 47). Melius tamen est compositionem inire cum iis, quibus restitutio debetur, cavendo tamen ab omni metu vel fraude, ne illi consentiant coacti, credentes se aequam restitutionem aliter non obtenturos.

ad quod maneat utilis. Occisorem et occisum repraesentant in his obligationibus et iuribus respectivi heredes; ipse tamen vulneratus potest haec damna, utpote sibi illata, condonare.

2° *Parentibus, uxori et filiis* debentur alimenta, si haec **285** a mutilato vel occiso accipiebant et non habent aliunde quo se sustentent; moraliter enim sunt una persona cum vulnerato et propterea censentur in propriis bonis damnum pati per se ex vulneratione consecutum. Videntur haec damna non posse a vulnerato condonari, contrarium tamen tenet S. Alph. cum aliis [1]. Obligatio transit ad heredes malefactoris. Sustentatio ab eo non debetur fratribus vulnerati aliisve consanguineis. — De parentibus, uxore et filiis quoad alia lucra, quae a vulnerato accepissent, sunt [2] qui censent probabile idem teneri posse, quod nunc de reliquis personis dicemus.

3° *Reliquis personis*, quibus ex vulneratione damnum resultat, v. gr. consanguineis vel pauperibus, quibus vulneratus solebat aliquid dare, creditoribus, quibus is solvendis impar evasit etc., nihil restituere debet malefactor, si ea damna non intendit; ea enim coniuncta sunt per accidens cum vulneratione. Quod si ea intendit, deduci videtur ex dictis n. 265 de impeditione a consecutione alicuius boni, ea resarcienda esse iuxta valorem spei [3]; plures tamen sunt, qui putantes intentionem numquam mutare naturam causae cum damno connexae tantum per accidens, distinctionem inter intentionem directam et meram praevisionem reiiciunt in materia iustitiae [4] et ideo restitutionem etiam tunc omittendam dicunt [5].

NB. — Obligationes supra relatae oriuntur e vulneratione iniusta, non ex iusta defensione. Etiam probabilius non oriuntur ex vulneratione in duello, quia deficit ratio iniuriae, cum « scienti et volenti etc. »; excipe, si alius nonnisi metu infamiae coactus acceptaverit.

3. *De restitutione ob consortium carnale.* 1° *Si fornicatio* **286** *simplex commissa fuit*, pater et mater tenentur in solidum prolem alere. Puellae vero aut eius parentibus violator nihil

---

1 S. Alph., n. 630.
Non censetur occisus talia condonare ex eo tantum, quod dicat se ignoscere percussori; ordinarie enim his verbis tantum significatur abiectio odii, iuxta praeceptum caritatis. (Lugo, d. 11, n. 60).

2 Apud Ferr., n. 864.

3 Cf. Lugonem, d. 11, n. 73 seqq.

4 Quamquam, ait Lugo, d. 11, n. 80, quando agitur de impeditione a consecutione alicuius boni, ad illam distinctionem cogitur confugere ipse Lessius, qui saepe eam reiecerat.

5 Cf. Gén. S., n. 517 et 566.

restituere tenetur: defuit enim in peccato ratio iniuriae, siquidem « scienti et volenti etc. »; si tamen postea facinus propalat, tenetur de damnis ex diffamatione secutis.

Si copula obtenta fuit sub promissione matrimonii, communissima sententia violatorem ad adimplendam promissionem obligat cum quibusdam limitationibus[1]; sunt tamen recentiores, qui obligationem huius promissionis negent[2], propter dicenda n. 294 circa contractum de re turpi. Sed haec controversia nunc locum tantummodo habere potest, si forte promissio facta fuerit per scripturam validam; aliter enim quaevis matrimonii promissio oralis, sicut scripta informis, invalidatur, etiam in conscientia, a Codice Iuris novi can. 1017. Si tamen fornicator dolose egit, eo quod sciebat promissionem esse invalidam et mulier id ignorabat, reparare tenetur damna secuta[3].

2° *Si stuprum commissum fuit*, (v. gr. si vi, minis, fraude aut metu reverentiali consensus extortus fuit), violator tenetur ad subeundas omnes expensas pro sustentatione et educatione prolis; in eius tamen defectu mater hoc onus suscipere debet, servato recursu in violatorem. Debet is praeterea puellam (vel feminam quamvis bonae famae, etsi viduam) indemnem reddere, v. gr. eam ducendo in uxorem, si ipsa illum admittat, vel saltem dotem convenientem dando, quatenus opus sit, ut aeque bene ac antea nubere possit.

3° *Si adulterium commissum fuit*, eaedem obligationes contrahuntur, quas nuper recensuimus respective pro casu fornicationis vel stupri. Sed quoniam aliae hic interveniunt personae laesae, addi debent sequentia:

Uterque adulter tenetur in solidum compensare marito (nisi is in adulterium consensisset) sumptus pro alenda et educanda prole, aliis autem filii laesionem passam in hereditate. Porro haec omnia onera soli adultero incumbunt, si is fraudulenter consensum extorsit a muliere, uti diximus pro casu stupri.

Generatim adultera non tenetur crimen suum manifestare, quia tanta inde damna exsurgerent (odium mariti, discordiae domesticae, infamia), ut propterea reparatio bonorum fortunae, si aliter fieri non possit, satis excusetur. Adde filium

---

1 De his limitationibus cf. S. Alph., n. 642-650.

2 Ut ait *Ferr.*, n. 867.

3 Congrua damnorum reparatio esset matrimonii dolose promissi adimpletio. Bene tamen advertit Gén. S., n. 569, quod « in hoc casu facilius a matrimonio ineundo excusatur fornicator, si nuptiae infaustae praevidentur, modo impensius studeat aliter damna reparare, puta suppeditando pecuniam ad conceptam prolem alendam vel ad dotem ».

non teneri credere matri etiam iuranti se esse illegitimum [1], quia ex communi sententia nemo credere tenetur uni testi etiam probatissimae fidei, nisi talia adsint motiva, quae admitterentur in foro externo, v. gr. longa absentia patris.

Seclusa igitur manifestatione poterit adultera restitutionem facere marito et filiis augendo laborem in familia administranda, sumptus privatos minuendo etc., vel etiam, si bona propria habet, per donationes manuales, testamentum etc.

NB. — Probabilis sententia est [2] fornicatores vel adulteros, qui prolem brephotrophio ad hunc pium finem fundatum miserunt, non teneri ad expensas resarciendas; decet tamen, ut aliquid solvant. Cf. n. 167.

4. *De restitutione ob defraudata servitia legalia.* 1° *Leges* **287**
hodiernae, quae tributa imponunt in merces, transmissiones iurium etc. ex multorum sententia sunt mere poenales, ideoque tributa non debentur, nisi ab officialibus petantur. Ad restitutionem tamen tenentur, qui ea defraudant muneribus corrumpendo officiales, ne obligatione sua fungantur, vel iis vi aut minis resistendo; restitutio, dicunt aliqui, fieri potest pauperibus vel causis piis. Officiales quoque non exigentes tributa ad restitutionem tenentur; possunt nihilominus quandoque benignius agere in re levi, praecipue cum pauperibus vel cum iis, qui alias diligenter solvunt. — Attamen cum multi [3] probabile censeant tributa hodierna saepe excedere iustum modum, praesertim quia frequenter in rebus plane superfluis insumuntur, probabile autem sit [4] non deberi in conscientia tributum, qua parte est probabiliter iniustum, ideo nequit imponi restitutio, si hinc inde fit aliqua tributi defraudatio; haec enim non impedit quominus bono communi iam quisque sufficienter contribuerit. Ob hanc rationem satis quoque fecisse censeri possunt, qui in confectione scripturarum venditionis, successionis hereditariae etc. declarant valorem multo minorem, v. gr. paulo supra dimidium [5]; sed caveri debet mendacium [6], v. gr. producere syngraphas falsas aut falsa testantes;

---

1 Exceptionem habet S. ALPH., l. 6, tr. 6, n. 908 si persona non soleat peierare, si sit persona pia etc.; sed raro ista motiva vim sufficientem habere poterunt in praesenti materia; agimus enim nunc de persona, quae si vera diceret, honesta non fuisset.

2 S. ALPH., n. 656.

3 Vide GÉN. S., n. 574.

4 S. ALPH., n. 617.

5 Idque intellige etiam de ipso notario; quamquam enim eum Status deleget, ut publico suo munere fungatur, non tamen ei munus committit prospiciendi fisco.

6 Attamen propter rationem supra tactam, si valor minor declararetur mendaciter, non ideo exsurgeret obligatio restituendi.

mendacium tamen non est ex usu recepto mera declaratio deminuti valoris.

Non sunt tributa, sed debita ex contractu ea, quae solvuntur pro vehendis litteris, mercibus etc., etiam ubi lineae ferreae ad Statum pertinent; attamen ex communi timoratorum sensu mere poenalia censeri possunt plurima statuta administratorum, v. gr. ne litteris includatur pecunia, ne cum eadem chartula profectionis et reditus eat unus, alter redeat etc

2° *Iniustitiam committunt, qui ut se militiae subducant*, mendacio vel fraude adhibito contra alium ab hoc onere liberum efficiunt, ut is ad militandum cogatur. Extra hunc casum quamvis medici vel officiales mendacio vel fraude decipiantur, immo quamvis corrumpantur [1], non constat de iniustitia contra alium, qui forte ad militiam cogetur in defectu prioris.

Desertoribus plerumque obligatio redeundi ad militiam imponenda non erit ob gravissimam poenam subeundam, magna pericula spiritualia etc.

288 5. *De restitutione ob male functum officium.* Imprimis quicumque officium aliquod suscipit, scientiam convenientem habere debet, saltem ad casus communiter occurrentes, atque ad non temere agendum in difficilioribus; secus de damnis secu-

---

1 Medicos a Gubernio designatos d e c i p e r e facilius admittitur quam c o r r u m p e r e; nam communius auctores « corruptionem » damnant de cooperatione ad iniustitiam strictam, aiunt enim medicos teneri ex stricta iustitia servare ordinem distributionis a lege statutum; contradicunt alii, censentes ab iis ex stricto officio exigi tantum, ut debitum numerum procurent aptorum militum. Sed hoc etiam admisso medici vitium saltem incurrerent arbitrariae distributionis, ideoque ex hoc capite eos corrumpere non liceret.

Id tamen omnino licitum dicerent ii, qui medicorum corruptionem comparant redemptioni ab iniusta vexatione; censent enim huiusmodi leges hodiernas esse probabiliter iniustas. At nisi probare possint eas laedere iustitiam commutativam particulariter erga eum, qui se ab iniusta vexatione vult redimere, nihil efficiunt. Quotquot enim rationes afferunt, probant tantum huiusmodi leges laedere, et quidem haud leviter, iustitiam distributivam, ideoque non vexare hunc aut illum in particulari, sed potius communitatem; non igitur privatus aliquis vexationem allegare potest, ut medicos corrumpat. Immo putamus nullo modo iniustam esse saltem eam legem, quae omnes ad militiam aptos (servatis iuribus viduarum etc.) per aliquot tempus modicum, puta tres quatuorve menses, ad servitium militare cogit, ut aliquam utilem instructionem capiant; est enim praevisio cuilibet nationi in hodiernis adiunctis fere necessaria; facile tamen in casu lex censeri potest pro singulis rationem habere mere poenalis.

Sed putamus licitum corruptis etiam officialibus a militia se subducere, quando ob negligentiam Status attentaque pie exculta adolescentis educatione vere nimia timentur pericula spiritualia ex consortio tot corruptorum iuvenum; tunc enim admitti potest pro illo particulari doctrina de vexatione iniusta.

tis tenetur nec est absolutionis capax, nisi aut officium deserat aut saltem scientiam sibi comparare velit, abstinendo interim a munere per se ipsum gerendo. Deinde debet: 1° eam diligentiam adhibere in suo munere adimplendo, quam casus occurrentis natura et gravitas secundum prudentum communem agendi modum postulet; 2° cavere ne clientis expensas inutiliter augeat; 3° peritiores consulere vel consulendos proponere in casibus difficilioribus; 4° pauperum curam vel negotia in necessitate gratis suscipere, iuxta praecepta caritatis; sed in mala adimpletione negotii ex caritate suscepti potest etiam laedi iustitia.

Nonnulla de quibusdam officiis in specie addere oportet.

a) **Medicus** *tenetur remedia tutiora praebere*, ut diximus **289**
n. 183, ubi de quinto decalogi praecepto; nam ex quasi-contractu se obligavit ad providendum aegroto meliore modo quo possit. Circa haec vide ibidem dicta; nam hic pressius agendum de iis, quae iustitiam magis directe respiciunt.

Ad restitutionem tenetur medicus, qui absque praevia conventione honoraria exigit solito maiora; cliens enim cum eius servitia petiit, tacite consensit in honoraria usualia; haec tamen diversa pro pauperibus ac pro divitibus solent esse. Etiam in operationibus chirurgicis aliisve servitiis extraordinariis prudenti ac rationabili usui standum est, attenta rei difficultate, maiore securitate ex medici peritia, lucro ipsi cessante etc. In qua re, saltem quando de operatione plane difficili aut periculosa agitur, non semper de iniustitia accusari debent summae plura francorum millia attingentes; nimirum attendendum est ad specialem medici peritiam et praesertim ad maius minusve famae periculum, quod ipse subeat, si res adverse succedat, atque ad detrimentum magnorum redituum, quos fama servata lucrari sperat[1].

Praxim considerat FERR. II, n. 46 quorumdam chirurgorum et specialistarum tribuendi partem honorariorum medico, qui clientem ad ipsos remisit, item pharmacopolarum, qui similiter se gerunt erga medicos. Bene respondet praeclarus auctor nec medicum remittentem posse aliquid hoc titulo exigere, quoniam vi ipsius officii per consultationem suscepti

---

1 Circa materiam de honorariis pro servitiis professionalibus haec habet C. C. *mex.* a. 2408: « Cuando no hubiere habido convenio, los honorarios se regularán atendiendo juntamente a la costumbre del lugar, a la importancia de los trabajos prestados, a la del asunto o caso en que se prestaron, a las facultades pecuniarias del que recibe el servicio y a la reputación que tenga adquirida el que lo ha prestado. Si los servicios prestados estuvieren regulados por arancel, éste servirá de norma para fijar el importe de los honorarios reclamados ».

tenetur clientem ad peritiorem in re difficiliore remittere, nec posse medicum, ad quem cliens remissus est, plus a cliente exigere quam par esset, si primo ad eum venisset.

Quamvis cura morbi desperata sit, potest medicus ex voluntate aegroti rationabiliter praesumpta, praesertim si is sit dives, operam suam continuare, quae ad illius solatium multum conferre iudicatur, et remedia quamvis innocua praescribere, quae in his adiunctis inutilia non sunt; modo familia de statu aegroti certior fiat.

290 *b*) **Iudex** *sententiam ferre debet iuxta statuta a legibus;* quod si hae sacris canonibus adversantur, petat a S. Sede aut ab Episcopo facultatem, quae facile concedetur, ne societas probis iudicibus privetur.

Non potest aliquem condemnare, cuius culpabilitatem privata solum scientia novit, quoniam iudicare debet iuxta allegata et probata; e contra si quem de culpa iuridice convictum privata scientia noverit innocentem, potest, postquam omnia media tentaverit ad eum liberandum et modo non agatur de poena mortis aut mutilationis, ei poenam imponere pecuniariam, exsilii etc.; potest enim id facere respublica ob valde gravem causam publicam, qualis est, ut iudicium feratur iuxta legis praescripta[1]; iurati tamen illum condemnare non possunt, quia postulantur suffragium ferre iuxta intimam suam convictionem.

In causis criminalibus non potest reum condemnare, nisi de eius culpabilitate certo constet.

In causis civilibus dubiis[2], si una pars rem possidet, pro ea stare debet, nisi parti contrariae faveant rationes probabiliores, quarum excessus probabilitatis elidat praesumptionem iuris, quam fundat possessio; si vero neutra pars est in possessione, rem adiudicare debet parti, cui assistat ius probabilius.

Munera si magni momenti sunt et sententia nondum lata est, iure naturae accipi aut retineri prohibentur, etsi sponte oblata sint; moraliter enim impossibile est, ut iudex non multum propendeat in favorem donantis[3]. Quod si munus exi-

---

1 Hic non supponitur applicanda lex aperte iniqua, v. gr. Episcopum in exsilium mittendi. Si tamen ageretur de poena levi, minus difficulter excusaretur legis iniquae applicatio, si ob toleratam consuetudinem non adest scandalum, v. gr. mulctae legalis impositio parocho admittenti militem ad nuptias.

2 Intellige de dubio iuris; nam probabilitas circa factum, v. gr. institutionem heredis, vim non habet in iudicio, ubi facta probari debent.

3 Iudices ecclesiasticos omnesque tribunalis administros Ius Canonicum munera quaevis acceptare prohibet, can. 1624.

gatur ad ferendam sententiam iniustam, iudicandum sicut in contractu de re turpi.

Mulctas a lege assignatas in poenam si non imponit, non ideo ipse fisco restituere tenetur, ut probabile censet S. Alph. [1]; aliud vero dicendum, si reum a compensandis damnis liberaret.

Hac occasione nonnulla de teste et de reo.

Testis potest quidem se abscondere, ne citetur a iudice, potest tamen ad testimonium deponendum teneri aliunde, v. gr. ex caritate, si innocentem liberare potest; si citatur, tenetur ex obedientia comparere, iurare et veritatem dicere (de revelando secreto cf. n. 353). Non tenetur ad reparanda damna ex eo secuta, quod veritatem mere celaverit, siquidem ad eam aperiendam ex obedientia, non ex iustitia tenebatur; at si falsum testimonium dixit, tenetur de damnis.

Reus coram tribunalibus saecularibus potest crimen suum semper negare, cum iura civilia hodie nullam fatendi obligationem imponant nec iuramentum ab eo exigant; ideo negatio attentis adiunctis erit restrictio late mentalis; idem dic de explicationibus a reo confictis ut se tueatur; nemo enim prudenter fidem adhibebit. Reo etiam sonti licet carcerem effringere et fugere; videtur enim non esse damnatus ut maneat, sed ut detineatur in carcere, modo ex effractione non sequatur gravissimum damnum custodibus, dum ipse tantum leve damnum conatur evadere; corrumpere autem custodes non licet nisi innocenti, monitis custodibus de sua ipsius innocentia, ne ipsi peccatum committant.

c) **Advocatus** multiplici ex capite teneri potest ad resti- **291**
tutionem pro damnis. Erga clientem quidem, si eius secreta non servet, si honoraria supra iustam normam exigat, si eum cogit ad sumptus inutiles non monendo de iniustitia causae. Erga partem adversam, si mendaciis aliisve fraudibus eam a sua causa, quam iure prosequi poterat, deiiciat; item si causam certo iniustam defendit [2].

Praeterea licet ei suscipere tuendam causam etiam minus probabilem, dummodo clientem moneat de minore spe successus; forsan enim sua causa iudicibus probabilior apparebit. Statim ac causam iniustam esse detegit, admonere debet clientem ipseque causam deserere; nec poterit tunc compositionem suadere inter partes, quia haec solum in causa dubia locum habere potest, nec partem adversam adiuvare detegendo clientis secreta, nisi is admonitus nollet ab iniusta et gravi vexatione

---

1 S. Alph., l. 4, n. 196.

2 Si tamen de iniustitia causae praemonuerit clientem, is ad restituendum parti adversae teneretur primo loco, advocatus vero in eius defectu.

desistere, ad quam avertendam revelatio secreti requireretur. Si cliens sine ratione sufficienti causam inceptam deserit, neque per advocatum stet quominus litem prosequatur, poterit is totum pretium, de quo conventum fuerat, exigere, modo illud iustum sit[1]. — Licet suscipere defendendum mediis licitis reum etiam certo culpabilem, non minus ac licet ipsi reo. — Non licet exigere salarium quodcumque, sed iuxta gravitatem causae, peritiam advocati etc.; recta norma est praxis timoratorum.

Hac occasione addemus *notarium* ad restitutionem obligari, si ob culpabilem imperitiam aut negligentiam instrumenta conficiat invalida, aut si partes non monet de iis, quae illis nocere possunt. Ad restitutionem non tenetur, si consentientibus partibus pretium minus apponat in instrumento, ut tributum solvendum minuatur; non enim tributorum exigendorum officium habet.

Art. 7. De contractibus in genere.

292 1. *Contractus*[2] est conventio, qua unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum, intelligendo quidem obligationem oriri ex iustitia commutativa (non e mera virtute constantiae aut fidelitatis), ita ut sine alterius partis stricta iniuria non possit prateriri. Quando huiusmodi obligationis onus tacite assumitur eo ipso, quod aliquod officium suscipitur, v. gr. medici, notarii, depositarii, negotiorum gestoris etc., dicitur *quasi-contractus*[3].

Contractus dicuntur *unilaterales* vel *bilaterales*, prout contrahentes sese mutuo obligant, vel una tantum pars se obligat erga alteram sine obligatione reciproca.

Quoniam obligatio versatur circa aliquid dandum vel faciedum, hinc contractus bilaterales omnes comprehendi possunt his quatuor formulis: « do ut des » (vel « do ut alicui iuri renunties »), « do ut facias » (vel « ut aliquid omittas »), « facio ut des », « facio ut facias ».

---

1 S. Alph., l. 4, n. 225.

2 C. C. *arg.* a. 1171-1177, *br.* a. 1079, *chil.* a. 1437-1444, *col.* a. 1494-1501, *gall.* a. 1101-1107, *hisp.* a. 1254-1260, *lus.* a. 641-643, *mex.* a. 1272-1281, *ur.* a. 1221-1235.

3 Parum differt sensus, quo Codices Civiles usurpant vocem quasi-contractus; designant nimirum obligationem, quae absque praevia conventione oritur e lege, aut ex aliquo facto, v. gr. in herede onus solvendi debita defuncti, obligationes negotiorum gestoris, etc.; C. C. *chil.* a. 2284, *col.* a. 2302 iuxta a. 34 legis 57 anni 1887, *gall.* a. 1371, *hisp.* a. 1887, *ur.* a. 1282.

Potest autem dari aut res (vel ius ad rem, v. gr. ius ad laborem operarii) aut spes aliquid obtinendi; hinc contractus bilaterales dispescuntur in *commutativos* et *aleatorios*.

Contractus sub quatuor illis formulis contenti saepe speciale nomen accipiunt in iure, quando versantur circa materias magis usuales, v. gr. contractus « do ut des » dicitur « emptio - venditio », quando unus dat rem, alter pretium; dicitur « contractus loteriae », quando unus dat rem vel pretium, alter dat spem aliquid obtinendi per iactum sortium; et ita de reliquis. Hi dicuntur *nominati*. Ceteri speciali designatione carent et propterea dicuntur *innominati*, v. gr. solvam tua debita, si ingrederis religionem, vel si duo mutuo paciscuntur, ut qui superstes sit, suffragia persolvat pro altero; tunc hi sibi invicem dant spem accipiendi ab altero suffragia.

Contractus omnes, quatenus sub generalibus illis formulis continentur, regulantur in Iuribus civilibus sub titulis, qui inscribi solent: « De obligationibus aliquid dandi », « De obligationibus aliquid faciendi vel omittendi », etc.; sed praeterea pro singulis contractibus nominatis speciales regulae adduntur sub totidem titulis.

Prae oculis haberi debet can. 1529: « Quae ius civile in **293**
territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur », quod proinde etiam bonis et reditibus ecclesiasticis applicari debet. Nonnulla tamen excipiuntur alibi in iure canonico; v. gr. in c. 1513, § 2 validae habentur donationes sive inter vivos sive per actum mortis causa in favorem causarum piarum, etiamsi solemnitatibus et requisitis civiliter legalibus caruerint.

2. *Materia* contractus debet esse pretio aestimabilis, saltem si pretium vere ut pretium, non ut donum gratuitum dandum est; proinde pretium ut tale non potest dari nisi pro privatione aut onere, quod alter subit. Quare non potest quis exigere ex contractu pretium pro ostendenda via, quam sine ullo incommodo ostendere potest, quamvis alter possit hac occasione se ad aliquid ex gratuita promissione dandum obligare. — Debet praeterea materia exsistere in se vel in spe, v. gr. messis anni proximi. — Materia quoque intelligitur ordinarie debere esse moraliter possibilis; nemo enim censetur se ad rem difficillimam obligare velle, nisi id aperte manifestet[1].

---

1 Licet cum alio pacisci de actione alii iam debita, dummodo nulli eorum fiat inde minus utilis et cum altero vere te obliges

294 Praecipua quaestio est de obligatione orta ex conventione circa materiam turpem, v. gr. circa patrandum homicidium, fornicationem, furtum etc. Nullam posse dari obligationem ad ponendum opus turpe, ideoque antequam id ponatur, contractum esse invalidum et pretium, si acceptum est, restituendum nemo negat. Sed quaeritur an, opere turpi iam praestito, obligatio detur pretii solvendi. Opinio multo communior affirmat, quia etsi conventio fuerit invalida quatenus obligans ad ponendum opus turpe, non tamen fuit invalida, quatenus erat determinatio pretii, post quam exsurgit deinde pactio innominata « facio ut des », quae non constat promissione faciendi aliquid, sed ipsa operis positione; sicut si Petrus dicat Paulo « si vis laborare in agro meo, dabo tibi 3 fr. unoquoque die » et Paulus acceptet, nondum perficitur contractus, quoniam Paulus ad laborandum non manet obligatus; sed si post hanc aestimationem pretii Paulus ponat laborem, iam exsurgit contractus « facio ut des » (qui in hac materia nominatur contractus conductionis), et Petrus iam debet pretium conventum. Aliqui tamen partem negativam amplectuntur eo quod, aiunt, ipsa conventio pretii ab initio fuit nulla, ideoque positione operis nequit convalidari. Practice igitur opere praestito obligatio solvendi pretii non aderit ob horum sententiam, pretium tamen acceptum retineri poterit nec poterit repeti ab eo, qui iam solverat, ob sententiam priorem [1].

Mulier, cui munus donatur cum prava intentione, non agit iniuste illud retinendo cum animo denegandi consensum; cum enim nullum intercesserit pactum, donatio liberalis

---

seorsim ab altero. Cf. LEHMK., n. 1247; FERR., n. 892. — Obiicies: Posset ergo Societas lineae ferreae absque iniustitia exigere a singulis viatoribus pretium omnium expensarum, quas ipsa pro illa itineratione subit. Resp. Ita sane, dummodo vere et serio ita cum singulis pacisceretur, ut se obligaret ad unumquemque transvehendum et ad omnes expensas necessarias subeundas in defectu ceterorum, id etsi ceteri deinde ab itinere desisterent (per accidens tamen ita contrahere non posset, quia novit certo id non eventurum, si ii, qui transvehi sollicitarunt, non sunt valde pauci; cf. dicenda de iustitia contractus aleatorii). De facto tamen ita non fit, et nec Societati nec viatoribus in mentem venit sic pacisci, nec Societas exsistere posset, si ita contractum iniri exigeret. — Dices forte: Nihilominus ita res eveniunt, quia Societas currus solvit, etsi perpauci adsint viatores. Resp. Id non facit vi contractus cum viatoribus (cum enim ita cum iis pactum non sit, posset contractum cum iis rescindere), sed vi contractus cum Gubernio vel Municipio, et quia ipsi quoque maxime expedit currus fideliter horis constitutis solvere.

[1] Contractus de re lege prohibita vel immorali vel bono publico nociva declarantur nulli C. C *.br.* a. 145, *chil.* a. 1467, *col.* a. 1524, *gall.* a. 6, 1108, 1131, 1133, *hisp.* a. 1275, *lus.* a. 669, 692, *mex.* a. 1304, 1306, *ur.* a. 1262, 1539; C. C. *arg.* a. 536, 1007, 1071, 1100-1102 non quoad omnia cum ceteris C. C. cohaeret.

est. Saepe tamen nequit fieri sine scandalo et laesione caritatis, cum inde ansam sumat alter ad nova peccata, ad fovendam scilicet spem, tentanda alia media etc.

3. *Contrahens* debet habere liberam dispositionem bono- **295**
rum, de quibus contrahit, nec esse per legem incapax contrahendi.

Minorennis non emancipatus [1] et uxor non possunt generaliter loquendo contrahere firmiter per se ipsos, sed respective vel per patrem, per tutorem etc., vel cum consensu mariti [2]. Si igitur per se ipsos contrahant, contractus non est firmus, sed rescindibilis in favorem ipsorum [3]; quare altera pars, quae cum illis contraxit, tenetur contractum servare, donec beneficium rescissionis a lege concessum rite invocetur; rite, inquam, seu per personam, cui ius invocandi rescissionem lex concedat et quoad contractus, pro quibus concedat. Rescissione invocata adhuc quidem non tenetur altera pars ad rescissionem, donec interveniat sententia iudicis; sed si haec praevidetur obtinenda, saepe iubebit caritas alium ad huiusmodi molestissima media, qualis est recursus ad forum, inutiliter non cogere, praeterquam quod in re, in qua lex aperte favet, is qui litis causa est, expensas iudiciales omnes solvere damnatur. — Saepe concedit lex, ut posita rescissione minorennis vel uxor id tantum restituere debeant, quod in se vel in aequivalenti retineant.

Minor non potest rescissionem invocare, si contraxerit **296**
mala fide, v. gr. si se finxerit maiorem vel si contraxerit cum animo rescindendi postea contractum; tunc enim lex non iuvat in conscientia, sicut legem praescriptionis diximus n. 236 non iuvare in mala fide, immo tenebitur omnia damna reparare ex sua mala fide secuta. Quod si aliquis alius, cuius intersit, rescissionem obtinet, minor (vel uxor) nihilominus tenebitur in conscientia compartem indemnem reddere. Secluso igitur casu malae fidei rescissio invocari poterit (probabiliter), etiamsi pecunia in ludis et compotationibus dilapidata fuerit, quando

---

1 Quinam minorennes habeantur, diximus n. 228 nota.

2 Nisi in conventionibus matrimonio praeviis aliter statutum fuerit (n. 229).

3 De contractibus minorennium et uxorum vide praesertim C. C. *arg.* a. 54-57, 135, 212-213, 327, 1076 seqq., 1194 seqq., 1198, *br.* a. 5, 6, 147, 152, 154-158, 242, 247, *chil.* a. 1445, 1447, 1683 seqq., *col.* a. 1504, 1742 seqq., *gall.* (qui tamen ius rescissionis concedit pro minorenni in casibus tantum, in quibus is in bonis suis laesus fuerit; hanc restrictionem non apponit pro uxore) a. 217, 225, 1125, 1305 seqq., *hisp.* a. 61, 62, 65, 1261, 1300-1304 (quae omnia vim habent etiam in regionibus, quae iure forali reguntur, aa. 9 et 11), *lus.* a. 98, 99, 688, 694 seqq., 1189-1202, *ur.* a. 133, 146, 1254, 1535 seqq.

alter mala fide vel imprudenter cum minore contraxit; lex enim statuens hanc minorum inhabilitatem ad contrahendum intendit cavere eiusmodi dilapidationes et impedire, ne alii abutantur minorum imperitia; si igitur alter ex rescissione damnum passurus est, sibi imprudentiam adscribat, lex enim est iusta[1]

Uxor contractus firmos init ad comparanda necessaria rei familiaris; in his enim rationabilis consensus mariti deesse non potest. Similiter minor, etsi non emancipatus, qui seorsim vivit a parentibus vel tutore (v. gr. studiorum causa), valide contrahit in iis, quae necessaria sunt ad ducendam vitam statui suo congruentem; in his enim consensus parentum vel tutoris iure praesumitur[2].

297 4. *Consensus*[3], qui ad validum contractum requiritur, debet esse:

a) **Externus;** nam cum finis immediatus contractus sit dare alteri aliquod ius, finis autem iuris inter homines sit, ut unus prae aliis praeferatur in ordine ad aliquid, hinc ad translationem iuris requiritur signum externum sensibile.

b) **Internus;** nam verba externa non habent in seipsis vim ullam translativam iuris, sed tantum instituta sunt ad significandam voluntatem transferendi; voluntate igitur deficiente ius non transfertur. Hinc qui ficte contrahit, contractu revera non tenetur; si tamen contractum non servet, debebit compartem reddere indemnem, quoniam damni causam efficacem posuit, ac proinde, si aliter damnum reparare nequeat aut nolit, debebit verum consensum ponere et contractui stare.

c) **Mutuus;** nam contractus *gratuiti* videntur non perfici per solam unius voluntatem, nisi accedat alterius acceptatio; etsi enim sola voluntate possit quis dominium alicuius rei vel iuris abiicere, non tamen intelligitur quomodo sine alterius consensu possit facere, ut is rem vel ius illud acquirat[4]; proinde prior poterit valide voluntatem suam revocare ante acceptationem; praeterea contractus gratuiti censentur fieri sub condicione tacita « si alter acceptet ». Ceterum non est necesse, ut utriusque consensus eodem tempore ponatur, sed sufficit

---

1 Rescissione facta tenebitur minor (vel uxor) reddere ea, quae adhuc in se vel in aequivalenti retineat, non vero cetera iam consumpta et nullo modo exstantia, quoniam iste est favor legis.

2 Cf. Ferr., n. 899, NB. 3° et n. 904.

3 De consensu in contractibus cf. C. C. *arg.* a. 947 seqq., 1178 seqq., *br.* a. 1079, *chil.* a. 1445, *col.* a. 1502, *gall.* a. 1108, *hisp.* a. 1261, *lus.* a. 643, 647, 648, *mex.* a. 1286, 1287, *ur.* a. 1235.

4 Cf. Lugonem, d. 23, s. 3.

eum moraliter uniri, id est unius acceptationem poni, postquam consensus alterius positus est et non retractatus; tunc enim prior consensus virtualiter perseverat. Nisi lex contrarium statuat, non est necesse, ut priori vicissim renuntietur alterius acceptatio [1].

In contractibus *onerosis* seu bilateralibus eadem ratione probatur requiri ex utraque parte acceptationem, quod tamen difficultatem nullam habet, cum expressa manifestatio voluntatis unius sit tacita acceptatio voluntatis alterius futurae, et vicissim huius expressa acceptatio sit tacita manifestatio suae voluntatis se obligandi. Quaestio tantum fit, an contractus censeatur iam perfectus, antequam consensus posterioris innotescat priori. Affirmat Lehmkuhl [2], negat vero Lugo [3], quia, ait [4] per solam voluntatem exterius non manifestatam nemo se alteri obligat [5]. « Ideo practice venditor absque iniustitia pollicitationem per litteras factam nuntio telegraphico revocare potest, quandium nondum accepit, immo et legit litteras, quibus alter acceptationem suam significat; emptor similiter petitionem venditori factam nuntio telegraphico revocare potest, quamdiu litteras, quibus acceptatio continetur, nondum legit. Haec tamen dicuntur spectata rerum natura; nam si insuper speciali stipulatione se obligarunt ad responsum per tempus determinatum exspectandum, iniuste ante hunc terminum resilirent » [6].

---

1 Acceptationis notitiam exigunt pro donationibus inter vivos C. C. *chil.* a. 1412, *col.* a. 1469, *hisp.* a. 623, 629, *mex.* a. 2603, *ur.* a. 1587, 1594. Sed perficitur donatio per acceptationem, quin requiratur acceptationis notitia, ex C. C. *arg.* a. 1826, 1827, *br.* a. 1165, *gall.* a. 894, 932, *lus.* a. 1456.

2 LEHMK., n. 1258.

3 LUGO, d. 22, s. 3.

4 LUGO, ibid. n. 29.

5 Quod autem contractus aliquando perficiatur ante notitiam priori datam, v. gr. si scribo alteri, ut mittat librum, simul mittens pretium quod accipiat sibi, id LUGO, n. 34 explicat dicens venditorem simul a me constitui procuratorem, qui nomine meo ratum habeat contractum.

6 GÉN. S., n. 587.

Ex C. C. *arg.* a. 1183-1190, *hisp.* a. 1262, *ur.* a. 1236-1242 acceptatio per epistolam non perficit contractum, donec innotuerit offerenti. Ex C. C. *br.* a. 1081-1088 contractus valet, ex quo acceptatio transmissa est, etsi nondum ad offerentem pervenerit; quod si casu impraeviso nimis sero perveniat, offerens id sine mora monere debet, secus tenetur de damnis. Ex C. C. *lus.* a. 648-655 et *mex.* a. 1288-1295 contractus perficitur, statim ac acceptatur propositio, dummodo acceptatio transmittatur intra (*lus.* octo, *mex.* tres) dies a recepta propositione, intervallo aditus et reditus computato iuxta communicationum media; acceptatione nondum facta propositio retractari non potest nisi sub onere reparandi damna.

298 *d*) **Plene deliberatus;** saltem si materia natura sua sit gravis; nam actus imperfectus sicut nec peccatum grave, ita nec obligationem gravem parere potest. Hoc igitur loco nonnulla subiungenda sunt de causis, quae libertati contractus obstare possunt.

1° **Error**[1] dicitur substantialis, si versatur circa substantiam rei, v. gr. si emas vitrum putans esse gemmam, vel si circa naturam contractus, v. gr. si putas rem donari, dum tantum commodatur, vel domum vendi, dum tantum in locationem traditur.

Error est accidentalis, si versatur circa accidentalia rei vel contractus: accidentale tamen intelligi debet in ordine ad voluntatem contrahentis. Potest enim aliquod accidens primario et principaliter intendi a contrahente, et tunc dicitur redundare in substantiam rei; generaliter id evenit 1° si explicite ponitur ut condicio limitans consensum, v. gr. « emo hunc equum, si nondum habet quinque annos aetatis, aliter non emo »[2]; 2° si ita notabiliter mutat rem, ut haec moraliter alia sit ac ea, quae intenditur, seu aliis verbis, si illud accidens limitat consensum virtualiter seu apponitur implicite ut condicio. Porro quaenam mutatio censenda sit ita notabilis, aestimari debet iudicio prudentum attenta natura contractus. Nam minor mutatio sufficit in contractibus facile solubilibus, quales sunt promissiones, donationes gratuitae, quam in contractibus difficulter solubilibus, quales sunt onerosi; et minor requiritur in istis quam in indissolubilibus, quale est matrimonium (Giné, adnot. de Iust. et Iure).

Error dicitur dans causam contractui, quando ita inducit ad contrahendum, ut eo absente non fieret contractus; dicitur vero concomitans, quando etsi error abesset, nihilominus iniretur contractus, licet non ita libenter, aut pro minore pretio.

Dolus dicitur fieri, quando adhibetur fraus vel artificium, ut alter incidat in errorem.

299 Error substantialis, sive det causam contractui, sive sit mere concomitans, irritat quemcumque contractum. Defuit enim consensus substantialis, cum defuerit cognitio

---

1 Quomodo error vitiet contractus de iure positivo, cf. C. C. *arg.* a. 957 seq., *br.* a. 86-97, 147, *chil.* a. 1451-1455, 1458, 1459, *col.* a. 1508-1512, 1515, 1516, *gall.* a. 1109, 1110, 1116, 1117, *hisp.* a. 1265, 1266, 1269, 1270, *lus.* a. 656-665, 667, 668, *mex.* a. 1296, 1297, *ur.* a. 1243-1245, 1249, 1250. Circa errorem vide praeterea Ius Can. can. 104.

2 Hoc etiam fit, quando contrahens expresse declarat venditori finem, quem ex re intendit.

circa substantiam; et quamvis forsan etiam consensisses, si scivisses, quod tibi vendebatur non esse v. gr. vinum sed oleum, tamen de facto non consensisti in emptionem olei sed vini.

Error accidentalis mere concomitans non invalidat contractum nec eum reddit rescindibilem. Ratio, quia adest consensus sufficiens; nam ad validitatem contractus non requiritur, ut consensus feratur in omnes rei circumstantias, secus enim pauci contractus inirentur. Cum tamen servanda sit aequalitas, ius manet ad defectum supplendum, v. gr. si vilis pannus pro pretioso emptus fuit; quod si venditor egit mala fide, alterum omnino indemnem facere debet.

Error accidentalis dans causam contractui — *a*) contractus onerosos non videtur invalidare[1], consensus enim sufficiens ponitur, etsi non feratur in aliquam rei qualitatem, ut diximus; et revera stabilitas commercii ideoque bonum commune, exigit, ut voluntas firmiter feratur in tales contractus[2]. Attamen si res adhuc integra est, affirmat Lessius deceptum posse in foro conscientiae a contractu resilire, dummodo alterum, qui inculpabiliter egit, indemnem praestet. — Quando error accidentalis dans causam contractui provenit ex dolo alterius contrahentis, v. gr. is dolose dixit vinum esse plurium annorum vel esse Xerezanum, deceptus potest contractum rescindere; habet enim ius, ut reddatur indemnis et liber, sicut erat ante contractum. Deceptor igitur, si ex contractu damnum aliquod alteri evenire possit, tenetur rescissionem proponere, quantum sine suo incommodo multo maiore (v. gr. notabili infamia) facere possit. Contractus tamen non est rescindibilis, quando dolus non dedit causam contractui, ut eruitur ex dictis de errore concomitante, nec quando dolus dedit quidem causam contractui, sed adhibitus fuit a tertio non contrahente, quoniam rescindibilitas contractus tantum oriri potest ex iniuria alterius contrahentis; deceptus tamen ius habebit adversus tertium, qui dolose decepit. — *b*) Contractus gratuitos facit irritos vel saltem rescindibiles: cum enim in his contractibus nulla ratio obiectiva exigat, ut consensus hoc aut illo modo feratur, sed is prorsus pendeat a voluntate unius, facilius error accidentalis redundat in substantiam consensus, vel saltem hunc facit infirmum.

Error vel dolus circa motivum finale invalidat contractum, v. gr. das eleemosynam diviti, quem reputas pauperem; non invalidat, si motivum fuit mere impellens, v. gr. si dedisti vero pauperi, quem falso censebas probum.

---

1 Nisi accidens redundet in substantiam, ut paulo superius exposuimus.

2 Haec est sententia communis; citat tamen S. Alph., n. 715 nonnullos in contrariam partem.

300 2° **Metus**[1] (cf. n. 4) dicitur gravis, cum cadit in virum constantem, id est cum solida ratione timetur malum grave (v. gr. mutilatio, longus carcer, amissio status aut magnae hereditatis), sive timeatur sibi, sive filiis, parentibus, uxori et, ut aliqui volunt, fratri aut arctissimo amico. Ad metum gravem reducitur metus reverentialis, quo quis sibi timet parentes vel superiores graviter offensos et minantes. Si timetur malum leve aut etiam malum grave, sed valde remotum, aut si absint minae gravisque indignatio Superioris, metus dicitur levis. Iam notavimus n. 4 metum de se levem posse evadere gravem respectu quarumdam personarum, quae ob suam pusillanimitatem vehementius levibus malis commoventur, ut sunt pueri, feminae, senes.

Metus gravis, etiam iniuste incussus ab altero contrahente, et quamvis incutiatur in ordine ad extorquendum consensum, non invalidat ullum contractum[2], quoniam, ut diximus n. 4, non tollit voluntarium ac proinde nec verum consensum; idque inde etiam patet, quia consensus valet iuxta omnes, si metus proveniat a causa necessaria, vel si a causa libera iuste incutiatur; atqui consensus est in se eodem modo voluntarius, etsi metus provenerit a comparte eumdem iniuste incutiente. Cum tamen is iniuriam faciat alteri contrahenti, quam tenetur reparare, ac proinde hic habeat ius, ut fiat indemnis et liber, sicut erat ante contractum: propterea contractus est rescindibilis ad nutum istius, qui metum a comparte iniuste passus est. Quare parum commodi is reportavit, cum possit alter, si velit, rem nondum datam negare vel datam repetere. Sunt tamen auctores qui contractus quoslibet, saltem quando metus iniuste incutitur a comparte ad extorquendum consensum, dicunt irritos; in hac sententia metum incutiens non obligatur ad standum contractui, etsi alter velit, modo eum aliter servet indemnem.

Si metus ad extorquendum consensum iniuste incutitur a tertio quodam, altero contrahente non cooperante, contractus iure naturae probabilius nec est irritus nec rescindibilis, ut eruitur ex dictis, sed omnino validus; saepe tamen iure positivo sunt irriti, saltem posita sententia iudiciali.

Si metus iniustus non incutitur ad extorquendum consensum, contractus valet, si metus incutitur a tertio, v. gr. si a latrone impetitus promittis alicui pecuniam, ut te liberet; rescindibilis est, si metus incutitur ab altero contrahente, v. gr. si conanti infligere vulnus promittis pecuniam.

---

[1] Quatenus metus contractum vitiet de iure positivo, cf. C. C. *arg.* a. 970 seq., *br.* a. 98-101, 147, *chil.* a. 1456, 1457, *col.* a. 1513, 1514, *gall.* a. 1109, 1111-1115, 1117, *hisp.* a. 1265, 1267, 1268, *lus.* a. 656, 666-668, *mex.* a. 1298-1303, *ur.* a. 1243, 1246-1248. Circa metum vide praeterea Ius Can., can. 103.

[2] Lugo, d. 22, s. 7; Lessius, Sánchez, etc.

Metus levis iniuste incussus ab altero contrahente **301** ad extorquendum consensum facit etiam contractum rescindibilem, iuxta aliquos, quia ibi etiam intercedit iniuria compartis; contrarium sentiunt alii, quia videtur iniuriam voluntarie admittere, qui adeo facile metum, utpote levem, potuisset repellere. Lugo primam sententiam admittit, si contractus unice ob illum metum initus fuit; si vero etiam ob alia motiva, tunc consequenter ad dicta n. 274 de cooperatione, reparatio iniuriae, ait, debetur solum partialiter, seu iuxta influxum metus. Saepe igitur rescindibilis est contractus initus propter importunas preces.

NB. — Ex dictis sequitur valere contractum, si alicui v. gr. in furto deprehenso mineris te eum ad dominum vel iudicem denuntiaturum esse, nisi certam det pecuniae quantitatem, quae iudicio prudentis excessiva non videatur. Idque valet [1], etsi verum animum denuntiandi non habeas, sed solum terrendi; cedis enim tuo iuri denuntiandi, quod pretio aestimabile est.

5. *Obligatio* [2] contractus maxime regitur iuxta ea, quae **302** expresse paciscentes statuerunt, et nisi contrarium statuerint, iuxta aequitatem, consuetudines receptas, leges etc.; ita enim intenderunt se obligare, si bona fide egerunt, ut praesumendum est. Hinc ad obligationem dignoscendam inquirenda est intentio contrahentium imprimis ex ipsorum verbis; in horum defectu ex materia ipsa, consuetudine, indole personae etc.; si adhuc manet dubium, suadeatur amicabilis transactio.

Debitor igitur, nisi aliud expressum fuerit, se obligavit ad solvendum intra terminos, quo ceteri probi solutionem peragere solent. Generatim quidem, si terminus non sit fixus, exspectare potest, donec moneatur a creditore; saepe tamen is non monet vel ex oblivione, vel ex timore, ne v. gr. clientem avertat; tunc monitio exspectanda non est.

Nisi aliter conventum fuerit, solutio peragenda est in loco a lege pro diversitate contractuum designato; generatim

---

1 Iuxta multos ap. Lugonem, d. 22, n. 167, 302.

2 Multa de obligationibus in genere persequuntur C. C. *arg.* a. 529-757, *br.* a. 863-1064, *chil.* a. 1437- 1544, *col.* a. 1494- 1601, *gall.* a. 1134-1233, *hisp.* a. 1088-1155, *lus.* a. 672-758, *mex.* a. 1307-1457, *ur.* a. 1219-1420; sed speciatim de obligatione orta ex contractu, C. C. *arg.* a. 1229 seqq., *br.* a. 1080, *chil.* a. 1545-1566, *col.* a. 1602 ad 1624, *gall.* a. 1156-1164, *hisp.* a. 1278- 1289, *lus.* a. 68, 685, *mex.* a. 1324, 1325, *ur.* a. 1271-1281.

solutio rei determinatae facienda est in loco, ubi res erat tempore contractus, solutio vero pecuniae in domicilio debitoris[1].

Debitor servat dominium rei, donec ea pervenerit ad creditorem; proinde ad eum spectant rei detrimenta; cf. tamen dicenda de venditione n. 321.

Quid sentiendum de legibus regulantibus validitatem obligationem in contractibus, diximus n. 224.

303 *Condicio*[2] de praeterito vel praesenti contractui apposita hunc iam ex nunc absolute validum vel nullum reddit (etsi condicio inhonesta fuerit), prout condicio sit vel non sit impleta. Condicio de futuro contingente, v. gr. « si hereditate potiar, dabo tibi equum meum », obligationem suspendit donec impleatur condicio, interimque obligat ad expectandam eius adimpletionem. Quod si huiusmodi condicio sit de re inhonesta, contractus iure naturae nullus est, cum nemo ad inhonestum obligari possit, si tamen v e r e c o n d i c i o est requisita ad exsistentiam contractus et non potius nova obligatio contractui de se valido adiecta, quod pendet a contrahentium intentione. In aliquibus regionibus[3] lex quosdam contractus, v. gr. legata, semper absolute deletis inhonestis condicionibus respiciendos vult; quae legis dispositio an in foro conscientiae sustineri possit, e principiis generalibus iudicari debet[4]. Condicio censetur impleta, quando alter vel tertius, cuius intererat eam non impleri, impletionem impedivit. — Condicio impleri debet sub ea forma, qua exigebatur; poterit tamen praestari impletio aequivalens, si haec satisfacit intentioni illius, qui eam posuit; propterea censent aliqui legatum relictum puellis, ut n u b a n t, dari posse iis, quae religionem ingrediantur; testator enim non poterat id excludere, quin condicio evaderet turpis.

---

1 Ita ex C. C. *arg.* a. 652, 781, 1444, *br.* a. 950, *chil.* a. 1588, *col.* a. 1646, *gall.* a. 1247, 1609, 1651, *hisp.* a. 1171, *lus.* a. 744, *mex.* a. 1520, *ur.* a. 1439.

2 De condicionibus contractui appositis cf. C. C. *arg.* a. 561 ad 591, *br.* a. 114-122, *chil.* a. 1473-1493, *col.* a. 1530-1550, *gall.* a. 1168-1184, *hisp.* a. 1113-1124, *lus.* a. 672-683, *mex.* a. 1328-1354, *ur.* a. 1380-1406.

3 Ita quoad testamenta et legata condiciones de re turpi pro non adiectis habet C. C. *hisp.* a. 792, *lus.* a. 1743, *mex.* a. 3251; idem quoad donationes inter vivos et quoad dispositiones quaslibet testamentarias, *gall.* a. 900. Sed dispositiones testamentariae sub onere rei turpis annullantur C. C. *arg.* a. 3642, 598, *chil.* a. 1093, *col.* a. 1151, *ur.* a. 935.

4 Cf. Lehmk., n. 1282; Gén. S., n. 596).

Poena adiecta contractui[1], ut praestetur ab eo, qui obli- **304**
gationem suam tardius impleat, non debetur in conscientia ante sententiam iudicis, si intercessit sola culpa iuridica; praesumuntur enim paciscentes, nisi aliud expresserint, intendisse obligari solum pro commissa culpa vera seu theologica. In casu autem mere fortuito nullo iure poena potest exigi.

Certus finis aliquando apponitur, praesertim donationibus, quin tamen semper oriatur vera obligatio illum finem procurandi; saepe enim donatio est absoluta et donans intendit solum, ut alter possit illum finem assequi, si velit[2].

Iuramentum certis contractibus solo iure positivo nullis **305**
vel rescindibilibus adiectum eos firmos reddebat ex speciali dispositione Iuris romani. Hodie vero Iura civilia huiusmodi vim iuramento non concedunt. Quare quaestio sequens sese sponte offert: an qui iurat adimplere contractum nullum vel rescindibilem, teneatur contractui stare saltem ex obligatione iuramenti? Communis sententia hanc regulam statuit: iuramentum promissorium servandum esse, quoties servari possit absque peccato. Nihilominus satius ducimus sic distinguere:

1° Si contractus est nullus iure naturae, et iurans intendit iurare illam ipsam obligationem, qua ex solo contractu teneretur, iuramentum nullum est; corruente enim principali corruit accessorium. Si vero intendit se obligare non obstante nullitate contractus (v. gr. quia hanc noverat), iuramentum tenet, si actus est licitus; cum tamen iurans possit re tradita iuxta omnes eam repetere, ob defectum iuris in altero, rectius iuramentum ab initio nullum, utpote inutile, dixeris[3].

2° Si contractus est iure positivo nullus principaliter ob rationem boni communis, iuramentum non valet, quia quod principaliter ob bonum commune prohibetur, censetur esse contra bonos mores.

3° Si contractus est iure positivo rescindibilis, iuramentum tenet, quia quisque favori sibi a lege concesso renuntiare potest[4], v. gr. minor iurans se contractum non rescissurum; iuramentum tamen ab auctoritate ecclesiastica relaxari potest, quoniam alter strictum ius, ut contractus non rescindatur, non acquisivit.

---

1 De poena contractui adiecta, C. C. *arg.* a. 686-700, *br.* a. 916-927, *chil.* a. 1535-1544, *col.* a. 1592-1601, *gall.* a. 1226-1233, *hisp.* a. 1152-1155, *lus.* a. 673-677, *mex.* a. 1311-1321, *ur.* a. 1337-1348.

2 Cf. de hac re LUGONEM, d. 23, n. 111.

3 Cf. GÉN. S., n. 599.

4 Cohaeret can. 1317, § 3.

Art. 8. De contractibus gratuitis.

306 I. **Promissio** gratuita inducit iuxta omnes obligationem ex virtute fidelitatis, ex qua obligamur conformare facta dictis. Utrum inducat etiam obligationem ex iustitia, videtur omnino pendere ab intentione promittentis[1]; potest enim promittens, si vult, dare alteri ius ad rem[2], et proinde se obligare ex iustitia ad eam solvendam, vel potest, si vult, alteri nullum ius concedere, sed tantum se obligare ad servandam in suis actionibus honestatem, quae in fidelitate relucet[3], quo in casu dat alteri solam spem[4]. Porro quod quis promittens gratuito intenderit se obligare ex iustitia, censeri potest v. gr. ex eo, quod dixerit se obligare sub mortali, vel iuramentum addiderit, vel promiserit scriptura publica; nisi tamen quis aliud expresserit, censendus est intendisse solam obligationem fidelitatis[5].

Promissio ex iustitia obligat ex se sub gravi, ait tamen S. Alph.[6] requiri ad materiam gravem quantitatem quadruplo maiorem quam in furto.

Promissio ex sola fidelitate obligat tantum sub levi: non enim apparet turpitudo gravis in mera infidelitate; potest tamen obligatio gravis oriri per accidens, si obveniat nocumentum proximo, v. gr. si is, confisus tua promissione dandi mutuum, sibi aliunde non prospexit.

---

1 Ita Molina, Lugo etc.; et forsan idem sentiunt illi auctores, qui aiunt promissionem obligare ex fidelitate; bene enim id dici potest loquendo de obligatione, quam ex se parit promissio, seclusa speciali intentione promittentis. Profecto adeo non repugnat promissioni obligatio ex iustitia, ut promissio onerosa (i. e. quae elicitur in contractu bilaterali « faciam ut facias », « dabo si dederis» etc.) semper obliget ex stricta iustitia; ita enim censetur quilibet se velle obligare in contractu oneroso, nisi velit alterum decipere.

2 Sicut enim potest quilibet dare gratuito suam domum, ita potest dare gratuito ius ad domum. Si ita facit, promissio iam est quaedam donatio; nomen tamen donationis generaliter usurpatur solum in casu, in quo non tantum ius ad rem, sed ius in re seu ipsa res conceditur.

3 Nam sicut necesse est ad convictum humanum ac proinde honestum est, quod verba concordent menti (quod pertinet ad veracitatem), ut alii possint aliis credere; ita necesse est ad convictum humanum ac proinde honestum est, quod facta concordent verbis (quod pertinet ad fidelitatem), ut alii possint aliis fidere.

4 Proinde promissarius, cum ius nullum acquisierit neque in re neque ad rem, non potest, v. gr. post mortem promittentis, rem sibi vindicare.

5 Lugo, d. 23, n. 93.

6 S. Alph., n. 720.

Monent auctores promissiones, quales communiter fiunt, saepe ne ex fidelitate quidem obligare, sed promittentem mere enuntiare suum propositum seu voluntatem praesentem aliquid faciendi, quin intendat sibi ullam obligationem imponere; manet is tamen obligatus ex virtute constantiae.

Per promissionem mere internam neminem obligari ex iustitia eruitur ex dictis n. 297 a; sed neque ex fidelitate, quia haec obligat ad conformanda facta dictis. Promissio igitur mere interna non distinguitur a proposito, nisi eam appellare velis promissionem inchoatam, quae nondum obligationem causare potest.

Promissionem non valere ante acceptationem[1] eruitur ex dictis n. 297 c, si fiat ex iustitia; sed nec valet, etsi fiat ex sola fidelitate; cum enim fiat in favorem alterius, includit hanc condicionem: « si alteri sit grata seu accepta ».

Cessat obligatio promissionis, si eiusmodi superveniat rerum mutatio, quae si praevisa fuisset, a promittendo deterruisset; non enim cum tanto incommodo censetur voluisse se obligare promittens gratuito. Cessat etiam, si impletio fiat illicita vel promissario inutilis. Cessat etiam morte promittentis, si manifestum est eum voluisse se solum obligare; secus obligatio iustitiae vel fidelitatis transit ad heredes. Cessat etiam morte promissarii, si, ut plerumque evenit, promissio in eius solius gratiam facta fuit.

II. **Donatio**[2] ut valida sit, exigit ut nec donans inhabilis **307**
sit ad donandum nec donatarius ad recipiendum. Carentia rationis (v. gr. in ebrio, in infante etc.) inducit iure naturae inhabilitatem ad dandum, non autem ad recipiendum, cum res accipi possit per alios, v. gr. per parentes vel tutorem. *Inhabilitas minorum, uxorum* etc.[3] ad dandum inducta a lege probabilius non facit donationem nullam in foro conscientiae, sed tantum rescindibilem (n. 226 a). — Donatio non amittit naturam suam gratuitatis, etsi donator simul aliquas condiciones imponat, quae rem donandam non exaequent.

Leges, quae annullant quasdam donationes factas in favorem causarum piarum, omnino iniustae sunt ac proinde invalidae, quoniam adversantur iuri independenter possidendi et acquirendi, quod Ecclesiae, utpote societati perfectae, competit, quodque haec aliis societatibus inferioribus, v. gr.

---

1 Promissio nondum acceptata vocatur pollicitatio.

2 De donationibus C. C. *arg.* a. 1823-1902, *br.* a. 1165-1187, *chil.* a. 1386-1436, *col.* a. 1443-1493, *gall.* a. 893 seqq., *hisp.* a. 618-656, *lus.* a. 1452-1505, *mex.* a. 2594-2660, *ur.* a. 1587-1634.

3 Nam hi ex Iure Civili non habent liberam administrationem suorum bonorum.

Institutis religiosis a se probatis communicat; invalida ergo esset lex, quae Ordinibus religiosis, utpote a territorio exclusis, ius possidendi denegaret. Pariter invalida haberi debet lex statuens incapacitates personarum aut earum libertatem minuens ad donandum, quando agitur de donatione ad causas pias[1], prout magis expresse dicetur in n. 308, 310.

308 *Donatio facta in praeiudicium creditorum* (idem dic de emptione aut venditione) valida quidem est, quoniam debitor servat adhuc ius in re sua, est tamen iniusta erga creditores[2]. Igitur tum donans tum acceptans (vel tum emptor tum venditor), etsi agunt valide, committunt peccatum iniustitiae, ille quidem ob suam impotentiam solvendi creditoribus, hic vero quia cooperatur eius iniustitiae[3]. Acceptans igitur, consequenter ad dicta n. 272 de cooperatoribus ad actionem iniustam, ad nihil tenetur erga creditores alterius, si bona fide egit[4]; defuit enim in cooperatione culpa theologica, tenetur vero eos indemnes reddere in defectu alterius, si egit sciens eius impotentiam. Molina tamen id tantum admittit, si debitorem induxisti ad rem tibi alienandam (sive titulo oneroso sive gratuito), non autem si rem tantum acceptasti a debitore offerente, etsi eius impotentiam noveras, quo in casu nec peccatum quidem scandali erga debitorem offerentem, nec (si res accipitur titulo gratuito) peccatum contra caritatem in creditores[5] agnoscit; hanc sententiam Lugo probabilem dicit « propter eius auctores »[6]. — Licet certe cum tali debitore contrahere, quoties ipse contrahere potest non obstante praeiudicio suorum creditorum; quod intellige non solum de contractibus onerosis, sed etiam de donationibus, quas ipse omittere non potest absque dedecore sui status; immo huiusmodi donationem petere raro erit contra caritatem, si quis petat sibi[7].

Donatio facta in praeiudicium legitimae probabilius non est iniusta contra iustitiam commutativam; cum enim heres nondum asquisierit ius strictum ad portionem testatoris, is durante sua vita disponit de re sua. Est tamen iniusta contra iustitiam legalem, agitur enim de

---

1 Possunt nihilominus heredes necessarii portionem legitimae laesam reclamare. Cf. dicenda in n. 308, 310 nota.

2 Sicut traditio rei mobilis secundo emptori bonae fidei est valida, ut dicetur de contractu emptionis-venditionis, est tamen iniusta erga primum emptorem; is enim acquisierat ius ad rem.

3 Cf. Lugonem, d. 20, n. 111 seqq.

4 Saepe tamen Iure Civili huiusmodi donatio est intra certum tempus rescindibilis.

5 Quia caritas non obligat ad postponendum hoc lucrum, ut creditor eodem bono non careat.

6 Lugo, l. c., n. 113, 115, 116.

7 Lugo, d. 20, n. 121, 133 seqq.

lege iusta; peccatum tamen videtur in praesenti materia esse leve; immo nullatenus peccaret, qui iusta causa duceretur, v. gr. ut provideret honestae educationi filii illegitimi, ut parentibus graviter egentibus subveniret, ut servitia moderate remuneraret etc. Potest tamen esse grave contra caritatem, non intercedente iusta causa, cum inde gravia saepe odia nascantur inter fratres.

Patrem posse insumere bona in opera pia, etiam in praeiudicium legitimarum, modo filii non priventur alimentis iure naturae debitis, tenent probabiliter multi [1], quia lex civilis nequit tollere libertatem donandi causis piis, quam sartam tectamque servari voluit Ius Canonicum can. 1513; contradicunt tamen alii probabiliter [2], ideoque possunt filii et heredes necessarii partem legitimae reclamare, in qua laesi fuerant.

Donationes inofficiosae (id est ultra quantitatem a donante **309**
disponibilem per testamentum) ex dispositione legis reducuntur post donantis mortem ad limites legales; reductio tamen non debetur, si ab herede non petatur. Pariter lex obligat heredes necessarios, ut conferant in massam coheredibus dividendam quasdam donationes [3], quas a defuncto acceperant; sed collatio etiam non debetur, nisi id alii heredes iure suo utentes postulent.

Donatio inter vivos statim ac perficitur, dominium irrevocabiliter transfert [4]. Est tamen donatio quaedam, quae dicitur *mortis causa*, media inter donationem inter vivos et testamentum; nam cum illa in eo convenit, quod vivente donatore iam dat ius ad rem vel in re (quod non accidit in testamento), cum hoc vero in eo convenit, quod semper potest ad nutum donantis revocari (quod non accidit in donatione inter vivos); cum enim fiat intuitu mortis, plenam vim non obtinet, donec ista sequatur [5].

---

1 S. Alph., n. 740.

2 S. Alph., ibid.

3 Fructum tamen seu reditus non sunt referendi in collationem, nisi a die apertae successionis; secus donatio fuisset nullius effectus. Ita etiam ex C. C. *br.* a. 1792, *chil.* a. 1205, *col.* a. 1263, *gall.* a. 856, *hisp.* a. 1049, *lus.* a. 2106, *ur.* a. 1086.

4 Quasdam tamen causas leges assignare solent, ob quas donatio revocari potest, cuiusmodi sunt: condicionum appositarum praeteritio et ingratitudo erga donantem in quibusdam casibus. Circa haec C. C. *arg.* a. 1882-1902, *br.* a. 1181-1187, *chil.* a. 1424 ad 1434, *col.* a. 1483-1491, *gall.* a. 953-966, *hisp.* a. 644-656, *lus.* a. 1482 ad 1492, *mex.* a. 2633-2652, 2660, *ur.* a. 1605-1612.

5 Iure *chil.* a. 1136, 1139, *col.* a. 1194, 1197, *hisp.* a. 620, *lus.* a. 1457, *mex.* a. 2602, *ur.* a. 1588, donatio mortis causa non distinguitur a legato atque eius legibus prorsus regitur. Ius *gall.* a. 893 donationes mortis causa prohibet.

Actus, quo quis nunc et irrevocabiliter donat rem, sibi reservans usumfructum usque ad mortem, est donatio inter vivos. Pariter est donatio inter vivos, quae fit ab aegroto dante aliquid nunc et irrevocabiliter alicui praesenti absque ulla condicione mortem respiciente.

310 *De testamentis*[1]. Neque successio ab intestato neque testamentum inter contractus proprie computari possunt; hoc tamen loco de ipsis agere opportunum est ob magnam, quam habent, affinitatem cum donatione gratuita.

Testamenti validitas[2] pendet praesertim a pluribus condicionibus lege positiva impositis, v. gr. Iure hisp. ad validitatem requiritur testatoris aetas quatuordecim annorum, certus numerus testium pro testamento non holographo, appositio diei, mensis et anni aliaque plura, quae hic recensere non vacat. Sed quamquam testamenti valor, etiam in conscientia, pendet a voluntate legislatoris iustas quasdam condiciones decernentis, tamen quaenam fuerit eius mens, vix unquam plane liquet, utrum scilicet dispositiones testamentarias debita forma carentes omni vi pro utroque foro destituere voluerit, an tantum dare ius ad actionem civilem; et propterea tum ab antiquis theologis quoad Ius tunc temporis vigens[3], tum a recentioribus quoad pleraque Iura moderna[4], disputatur, utrum testamenta vel legata informia (id est forma legali carentia) nulla sint in conscientia ante sententiam iudicis, an vero nonnisi post huius sententiam[5]. Vide etiam dicta in n. 224 sub finem.

---

1 Fuse de hac materia C. C. *arg.* a. 3313-3908, *br.* a. 1572 ad 1805, *chil.* a. 951-1385, *col.* a. 1008-1442, *gall.* a. 718-1100, *hisp.* a. 657-1087 (nonnulla tamen diversa sunt in regionibus, quae forali iure reguntur), *lus.* a. 1735-2166, *mex.* a. 3227-3823, *ur.* a. 751-1161.

2 Pleraque Iura diversas testamentorum formas tamquam validas admittunt, dummodo condiciones expleverint pro unaquaque forma a legibus requisitas, videlicet testamentum *holographum*, quod testatoris manu totum exaratum fuit (haec forma testandi non admittitur a quibusdam CC. CC.), *publicum*, quod fit coram notario et testibus, *clausum*, quod in involucro contentum notario traditur coram testibus. Haec vocantur testamenta communia; alia praeterea specialia sunt, nempe testamentum militare, maritimum et quod in extera natione conficitur. Haec fusius si vis, adi CC. CC. locis citatis.

3 Lugo, d. 22, sect. 9; S. Alph., n. 927; Wirceb., tom. 6, diss. 4, c. 3, a. 2.

4 Lehmk., n. 1381 seqq.; Marres, n. 134; Waffelaert, I, n. 578 seqq.; Ferr., n. 960, quaer. 3; Gén. S., n. 674.

5 Revera non liquet, in quo sensu nullitatem voluerint Codices, (id est utrum voluerint actum in conscientia nullum esse ante quemlibet recursum ad iudicem, an vero ut nullus habeatur mere civiliter, ita ut quis non adigatur in conscientia ad actum omittendum vel ponendum, donec nullitas iudicialiter obtineatur),

Hinc sequentia inferuntur ad praxim. 1° Potest heres ex testamento informi hereditatem adire, quin teneatur monere heredes ab intestato de vitio testamenti. Nequaquam vero licet eos fraudulenter impedire a suo iure petendi annullationem, v. gr. supplendo propria manu aliquod requisitum in testamento holographo (n. 265). Rescissio testamenti non debetur, etiam illis petentibus, ante sententiam iudicis; si tamen vitium est manifestum, caritas iubebit eos non cogere inutiliter ad molestias iudicii subeundas. 2° Quaecumque dispositio defuncti sive verbis facta sive in scripto informi probabiliter est valida ante sententiam iudicis, ut diximus, ac propterea licet quantitatem a defuncto sic legatam denegare heredi: an liceat eam sibi vindicare ab herede per occultam compensationem, cf. dicta n. 247 in nota. Si dispositio defuncti inofficiosa fuerit, cf. dicta in n. 309. Heres non tenetur his dispositionibus informibus satisfacere, quia etiam probabiliter sunt invalidae. 3° Facta a iudice annullatione testamenti informis, eius sententiae etiam in foro conscientiae parendum est. 4° Heres si testatori viventi promisit quasdam eius voluntates adimplere et is propterea abstinuit ab iisdem in legitima forma conscribendis, tenetur in conscientia eas persolvere non obstante defectu formarum; urget enim obligatio ex contractu.

Et haec dicta sunto relate ad causas profanas. Nam dispositiones etiam informes relativae *ad causas pias*[1] certe validae sunt ex Iure canonico[2], cui soli subiiciuntur, et

---

quando C. C. *arg.* a. 1020, 1078, *br.* a. 145, *gall.* a. 931, 1001, *hisp.* a. 687, *lus.* a. 1741, 1919, actus solemnitatibus legalibus destitutos vocant « nullos », C. C. *chil.* a. 1682, *col.* a. 1741, *ur.* a. 1534 « nullos absolute », C. C. *mex.* a. 1679, 3471, 3519 etc. « nullos » aut « sine effectu ».

1 « Causae piae nomine veniunt ecclesiae, monasterium, pauperes, divinus cultus, suffragia vel quidquid praecipue fit Dei intuitu et finis supernaturalis »; Lugo, d. 22, n. 265. Eadem tradit Gén. S., n. 675 et fusius Noldin, II, n. 783. Nomine piarum causarum C. C. *lus.* a. 1836 nimis late intelligit quaevis « opera beneficentiae et caritatis ». Cf. Ferraris. v. *Testamentum*, art. 2, n. 4.

2 Ius canonicum plenam libertatem tribuit ad donandum sive inter vivos sive per dispositiones quasvis testamentarias ad causas pias, proindeque invalidae sunt leges civiles (v. gr. C. C. *lus.* a. 1775 coarctans libertatem testandi ad procuranda animae suffragia) iuri Ecclesiae nativo in hac materia oppositae. « Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere. In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant » can. 1513. Possunt nihilominus filii et heredes necessarii portionem legitimae reclamare, in qua per donationes vel legata, etsi ad causas pias, laesi fuerint. Verm. Creus., n. 835, 850; Gén. S., n. 677 circa finem.

omnino adimplendae, quoties de testatoris voluntate certo constet, v. gr. ex scripto, quod indubie est testatoris. Non tamen tenetur heres credere uni testi etiam probatissimo, v. gr. confessario, sed opus est concordi testimonio duorum testium. Prudenter tamen vitanda est perturbatio bonae fidei in eo, qui post sententiam iudicialem annullationis testamenti aegre sibi persuaderet hanc adhuc manere obligationem.

Testamentum est revocabile ad nutum testatoris, etsi factum in favorem causae piae; testatori enim plenum bonorum suorum dominium conceditur usque ad mortem. Quoniam lex civilis soleat dispositiones testamentarias declarare essentialiter revocabiles [1]; hinc promissio non revocandi testamentum haberi potest ut nulla, etiam ante sententiam iudicis, saltem probabiliter iuxta dicta n. 226 nota. Promissio vero non mutandi nisi monitione praemissa servanda est, nisi iusta causa excuset; promissio enim praemonendi non annullatur a lege.

311 *Heredes* triplicis generis distingui solent, nempe: 1° necessarii seu ii, qui ex praescripto legum a testatore praetermitti non possunt: possunt tamen exheredari ex causis specialibus ab iisdem legibus recensitis. Heredes necessarii assignantur descendentes legitimi, saepe etiam coniux superstes, ascendentes et filii naturales legaliter recogniti aut aliter legitimati; quae eruenda sunt ex peculiari iure cuiusque regionis. Huiusmodi heredibus testator certam portionem suorum bonorum a lege determinatam relinquere debet, quae legitima appellatur. 2° Ab intestato, quibus lex bona defuncti tribuit, quando is vel nihil disposuit vel testamentum condidit informe; generatim assignantur a lege inter proximiores defuncti consanguineos. Dicuntur etiam heredes legitimi, quia a lege constituuntur. 3° Voluntarii seu a libera testatoris voluntate in heredes electi, deficientibus heredibus necessariis, aut iis debita portione relicta.

---

1 Iure *arg.* a. 3858, *br.* a. 1746, *chil.* a. 1001, *col.* a. 1057, *gall.* a. 895, *hisp.* a. 737, *lus.* a. 1754, *mex.* a. 3472, 3473, *ur.* a. 973. Haec difficultatem non habent quoad testamenta ad causas profanas. Attamen propter applicationem canonis 1529 videtur etiam idem dici posse de promissione non revocandi testamentum factum ad causas pias in nationibus, ubi vel promissio revocandi testamenti expresse vocatur « nulla » aut « nullius effectus », ut accidit in C. C. *arg.* a. 3858, *mex.* a. 3473, *ur.* a. 973, vel expresse statuitur ius revocandi non esse renuntiabile, ut in C. C. *lus.* a. 1754, vel virtualiter idem dicitur testamenta vocando « essentialiter revocabilia », C. C. *chil.* a. 1001, *col.* a. 1057, *hisp.* a. 737. Promissio iurata non revocandi testamentum conditum in favorem causae piae valida erat in Iure canonico antiquo; cf. Lugonem, d. 24; sect. 2.

Manifestum est dispositiones iuris civilis, quae ecclesias aut instituta religiosa hereditatis incapacia declarant aut quavis alia ratione praeiudicant causis piis, invalidas omnino esse, ut iam saepe diximus, nisi ex iure cum S. Sede concordato latae fuerint.

Heres libere potest vel hereditatem acceptare vel intra certum tempus ei renuntiare. Si acceptet, succedit defuncto in omnibus eius iuribus et debitis realibus teneturque legata fideliter persolvere. Non tamen tenetur debita solvere defuncti ultra vires hereditatis, id quod probabiliter teneri potest in conscientia, etiam post sententiam iudicis, ex multorum sententia, quamvis hereditatem non acceptaverit sub beneficio inventarii (i. e. recensione bonorum defuncti facta per notarium); creditores tamen licite possunt ab herede solutionem urgere, quia eorum ius est etiam probabile.

Legatum est donatio alicui relicta a defuncto citra titulum **312**
hereditatis. Generatim Iura legatario non concedunt statim ius in re, sed tantum ut sibi ab herede (vel ab aliis testamenti exsecutoribus) solvatur. — De valore legati informis idem dicendum, quod supra de validitate testamenti informis. Si quid testator iubet dari pauperibus, regulariter dari nequit uni; sic enim frustraretur testatoris intentio. Potest autem dari iis omnibus, qui iuxta condicionem suam in necessitate versantur; intelliguntur etiam religiosi mendicantes et opera pia; per se etiam praeferendi sunt pauperes loci, in quo defunctus domicilium habuit et testamentum condidit[1].

« § 1. Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit. — § 2. Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, tunc Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta Missarum reductione quae semper Sedi Apostolicae unice competit » [2] can. 1517.

De collatione quarumdam donationum et de donationibus vel legatis laedentibus legitimam diximus n. 308.

---

1 Plura utilia circa legata apud LUGONEM, d. 24, sect. 9-13; SÁNCHEZ, *Cons. mor.*, l. 4, c. 2; S. ALPH., n. 930; BALL. P., tr. 8, p. 3, c. 3, n. 744 seqq.; LEHMK., n. 1413.

2 Cf. S. ALPH., n. 931, etsi plura habeat, quae Iuri moderno non aptantur, FERR., n. 985 quaer. 5; VERM. CREUS., n. 836.

313 *Testator tenetur quandoque quibusdam, etsi heredes necessarii non sint, aliquid relinquere.* Tenetur nempe sub gravi subvenire gravi necessitati fratrum, sororum et uxoris, v. gr. si haec secus e sua condicione decideret: ceteris vero cognatis graviter indigentibus sub levi tenetur subvenire; haec est enim obligatio subveniendi illis prae reliquis pauperibus, quam sicut in vita ita et in morte pietas imponit[1]; haec obligatio defuncti ad heredes transit[2].

Hoc adimpleto officio iuris naturalis, quatenus teneatur testator portionem legitimam heredum necessariorum incolumem servare[3], diximus n. 308.

Fideicommissum est dispositio, qua heres iubetur hereditatem totam vel eius partem alii tradere. Fideicommissa, nisi intra certos limites, a lege statuuntur invalida; in foro tamen conscientiae idem de fideicommissis lege prohibitis teneri potest, quod supra n. 310 de testamentis aliisve testatoris dispositionibus informibus; immo invaliditas a lege civili statuta nequit afficere fideicommissa circa causas pias, uti ex saepe dictis eruitur.

314 III. **Mutuum**[4] est contractus gratuitus, quo res fungibilis datur post certum tempus reddenda in eodem genere et bonitate. Dicitur contractus «gratuitus», quatenus excluditur *lucrum* mutuantis; proprie tamen contractus onerosus est, cum mutuans se privet facultate utendi re et mutuatarius vicissim assumat onus respondendi de ea etiam in casu fortuito. Dicitur contractus de «re fungibili», seu quae fungi potest vice alterius eiusdem generis, v. gr. vinum, triticum, pecunia, quia communiter de huiusmodi rebus mutuatio fit[5].

Mutuatarius, quoniam fit dominus rei, potest de ea disponere ad quemlibet usum, etiam destruendo; ipse rei periculum subit nec liberatur ab obligatione praestituto tempore reddendi, etsi res casu perierit, aut ablata fuerit.

---

1 S. Alph., n. 946.

2 Lugo, d. 23, n. 100.

3 Cf., sis, Ferr., n. 978, 979; Gén. S., n. 677-679.

4 De mutuo C. C. *arg.* a. 2274-2288, *br.* a. 1256-1264, *chil.* a. 2196-2210, *col.* a. 2221-2235, *gall.* a. 1892-1914, *hisp.* a. 1753-1757, *lus. a.* 1523-1536, 1636-1643, *mex.* a. 2684-2700, *ur.* a. 2171-2189.

5 Res, quae mutuo traduntur, dicuntur fungibiles, si non in individuo sed in eodem genere reddendae sint. Huiusmodi sunt triticum, vinum etc., quia idem pro humano commercio est iste saccus tritici ac ille, dummodo easdem habeat qualitates. Ratio est, ait Lehmk., n. 1295, quia huiusmodi res sunt primo usu consumptibiles; nam, qui eas mutuo tradit, sane nequit intendere, ut alter ipsas reservet et postea reddat, sed ut consumendo iis utatur, et dein res similes in eadem quantitate et qualitate restituat.

Mutuans debet mutuatarium monere de vitio rei damnoso nec potest rem ante tempus repetere: quod si tempus praefixum non fuerit, aestimandum erit prudenter iuxta finem a mutuatario intentum et manifestatum. Mutuans non potest plus exigere ex s o l a ratione, quod res tempore traditionis plus valitura est, quia aequalitas contractus iam habetur ex hoc, quod res tradatur in eodem genere et bonitate, qua accepta fuit: similiter non licet mutuatario minus tradere, eo quod res pretio decreverit. Licet tamen, si aequaliter dubitetur num res pluris vel minoris valitura sit, pacisci ab initio, ut res tradatur in ea quantitate, quae exaequet valorem actualem; tunc enim accedit contractus aleatorius, qui, cum uterque subeat aequale periculum, iustus est. Diximus non licere plus exigere «ea s o l a ratione» etc., nam si mutuans statuerat servare rem usque ad tempus maioris pretii, accedere poterit alia ratio, nempe lucrum cessans.

Ex caritate oriri potest obligatio dandi mutuum egentibus iuxta regulas caritatis n. 85. Pauperibus tamen, cum res ab eis saepe recuperanda non sit, melius subvenitur per aliquam eleemosynam; aliquam, inquam; sunt enim alii, qui opitulari possint et debeant.

Nihil exigi potest vi mutui; secus enim laederetur aequa- **315**
litas inter datum et acceptum, quam in contractibus onerosis iustitia postulat. Profecto tria in mutuatione considerari possunt: datur dominium rei, datur facultas utendi re, assumitur onus carendi ad tempus hac facultate utendi re. Iam vero imprimis omne datum compensatur ad aequalitatem, quia redditur res eiusdem generis et bonitatis cum facultate ea utendi. Deinde onus carendi ad tempus facultate utendi non tanti aestimari potest, siquidem mutuans supponitur nullum emolumentum inde percepturus (secus iam adesset titulus extrinsecus, de quo mox); id proinde sufficienter compensatur securitate, quam toto illo tempore praestat mutuatarius etiam pro casu fortuito, et quam mutuans, si rem servare mallet, non haberet[1]. Nihil igitur sine iniustitia exigi potest vi mutui ultra rem traditam, cum in ipso mutuo iam detur aequalitas; proinde nequit imponi v. gr. onus adeundi officinam mutuantis ad res emendas. — Nec quidquam licet exigere, eo quod mutuatarius pecuniam in negotiatione valde lucrosa vult impendere[2]; is enim fructum capiet ex re sua. Nisi igitur alium

---

1 Profecto haec securitas est pretio aestimabilis, eamque multi hodie quaerunt et pretio emunt, deponentes actiones papyraceas aliave bona apud securissimam Domum Bancariam, ut in ea conserventur; eaque securitas, quo maior est, eo carius venditur.

2 Consideratur hic tantummodo lucrum, quod *ipse* mutuatarius facturus est et quod ab *ipso* pendet ideoque *ipsi* debebitur,

contractum (v. gr. societatis aut trinum) iniveris, nulla pars lucri ad te pertinet: non ratione pecuniae, quae tua non est, non ratione industriae, quae etiam non est tua, non ratione periculi, quod non est tuum, non ratione beneficii mutuatario praestiti, quia praecise ob beneficium debetur solum gratitudo; secus venditor posset ultra pretium rei aliquid plus exigere ob beneficium vendendi, eoque plus, quo iucundior aut magis necessaria emptori fuerit res vendita. — Nec si aliquid plus exigitur, retineri potest, eo quod mutuatarius consentiat; is enim non intendit illud excedens dare gratis[1], sed ratione mutui compulsus necessitate; proinde mutuans facit ei iniuriam. Quamvis igitur dicere velimus mutuantem acquirere dominium auctarii sic extorti, saltem tenebitur is ex iustitia[2] compensare damnum secutum ex iniuria[3]; ergo restituere debebit excessum.

316 *Licet aliquid supra rem mutuatam exigere ratione alicuius tituli mutuo extrinseci;* tunc enim praeter contractum mutui aliquod onus subis pretio aestimabile[4]. Huiusmodi tituli recenseri solent: 1° Lucrum cessans; nam si v. gr. pecuniam in negotiationem impensurus eras, exigere potes pretium spei, qua privaris. 2° Damnum emergens, v. gr. si ob defectum pecuniae mutuatae tenearis aliqua mobilia vili pretio vendere. 3° Periculum sortis, v. gr. si ob conditiones speciales mutuatarii is praevideatur impar forsan fore solvendo. — Licet quoque pacisci de aliquo moderato auctario, si sors praefinito tempore non reddatur; sed haec poena non potest exigi, nisi mora sit culpabilis, nec licet de ea pacisci ex desiderio ut incurratur.

---

non lucrum, quod *ipsa* pecunia capax est facere, id est lucrum, quod attentis generalibus rerum condicionibus quilibet negotiator sperare potest; hoc enim postremum *pecuniae* deberi dicendum est, ideoque eam reddit pro quolibet homine aptam ad lucrandum, consequenter facit eius praestationem, sicut rei valde utilis, pretio aestimabilem. Sed cum huiusmodi generales circumstantiae non sint ipsi praestationi essentiales, possent enim abesse, propterea dicuntur esse titulus mutuo *extrinsecus*, cuius gratia, ut mox dicemus, auctarium aliquod fit licitum.

1 An liceat auctarium retinere in dubio, an datum fuerit gratis, cf. S. Alph., n. 761 et 763.

2 Pari ratione ac is, qui adhibet dolum (n. 299).

3 Scilicet iniuria, quam intulit privando mutuatarium libertate denegandi excessum.

4 « Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus ttiulus suffragetur » (can. 1543).

Hodie, attenta peculiari condicione societatis, omnibus **317**
fas esse videtur credere pecuniam moderato foenore[1]. Etenim hodie, cum tam magna reperiatur in societate facilitas negotiationis et commercii, pecunia et consideratur et est instrumentum aptissimum ad omnes operationes lucrosas. Hinc pecuniae praeter intrinsecum valorem, quem habet pro commutationibus, alius insuper valor advenit ex peculiaribus adiunctis societatis, ideoque independenter a peculiari condicione mutuatarii. Hinc, quamvis cessio summae pecuniariae cum facultate ea utendi tum ad commutationes communes tum ad negotiationem compensetur ad aequalitatem per traditionem aequalis summae cum facultate pariter ea utendi tum ad commutationes communes tum ad negotiationem, tamen privatio illius facultatis ad tempus tanti hodie aestimatur, attenta hodierna facilitate negotiandi, ut nullatenus compensari censeatur per securitatem sortis, quam praestat mutuatarius pro eodem tempore, sed aliquanto pluris aestimatur, quod traditione certi auctarii compensari debet.

Hinc intelligitur: 1° Cur hodie omnibus indiscriminatim liceat perceptio alicuius auctarii; nam quamvis mutuans forsan pecuniam in negotiationem impendere aut nollet aut non posset et proinde illa privatio, si ex his adiunctis aestimari deberet, nullius aut vix ullius esset valoris, tamen hodie iam pretium illius privationis non desumitur praecise ex adiunctis mutuantis, sed ex communi aestimatione, quae tali privationi tale pretium figit. Sicut igitur potes vendere pretio currente rem, quae forsan tibi inutilis vel etiam perniciosa est et quam forsan proiiceres, sic quoque potes vendere pretio currente privationem illam, id est potes percipere auctarium a communi prudentum aestimatione assignatum, quantumvis pecuniam in negotiationem impendere aut nolles aut non posses. 2° Non quodlibet auctarium fieri licitum, sed quod communiter a timoratis et boni iudicii personis percipitur: id enim indicat communem aestimationem, sicut etiam dicitur de pretio currente mercium. 3° Non idem auctarium licere ubique; communis enim aestimatio desumitur ex eo, quod sit in regione maior aut minor facilitas obtinendi pecuniam, eam collocandi in negotiis, quod negotia sint magis aut minus lucrosa etc. 4° Rationem a nobis assignatam, cur omnibus indiscriminatim liceat hodie percipere aliquod auctarium, non posse reduci ad titulum lucri cessantis aut damni emergentis,

---

1 Haec conclusio hodie satis communiter docetur et ex S. Sedis documentis recentibus eruitur. Varie tamen auctores laborant in ratione reddenda. Cf. Ball. P., tr. 8, p. 3, c. 2, n. 231 seqq.; Verm., n. 357 seqq.; Waffelaert, I, n. 749 seqq.; Ferr., n. 1017; Gén. S., n. 617, 620.

cum ratio adducta vim adhuc retineat pro iis, quibus ex privatione nullum lucrum cessat aut damnum emergit, immo ex privatione forsan beneficium magnum advenit, v. gr. si quis servando pecuniam vix posset eam a cupiditate et insidiis contubernalium defendere, sed desumi ex communi aestimatione privationis pecuniae in hodiernis adiunctis. 5° Minus apte rationem repeti posse ex solo titulo legis civilis: lex enim vel illam communem aestimationem supponit et tunc iam tota licitudo habetur antecedenter ad legem; vel illam non supponit et tunc recurrendum est ad voluntatem principis proprietatem pecuniae vi dominii alti transferentis, quod durissimum est, cum illa voluntas et probari debeat quod exsistit et debeat iustificari. Saltem titulus legis nihil probaret pro regionibus, ubi lex lata non esset. 6° Legem, quae regularet aestimationem auctarii determinando eius quantitatem, servandam omnino esse, nec posse limitem auctarii a lege fixum excedi sine iniustitia, sicut dicemus de lege determinante pretium mercium.

Duplex interesse seu auctarium distinguere oportet: conventionale et legale. Interesse *conventionale* est, quod partes inter se paciscuntur; *legale* est illud, quod lex solvi iubet, quando de nullo determinato foenore inter partes conventum fuit.

Interesse *conventionale* nequit excedere limitem, quem lex assignaverit; quidquid ultra exigeretur, iniustum esset et ante iudicis sententiam restituendum. — Paucis in regionibus leges limites imposuerunt interessibus conventionalibus. In *Gallia* lex 3 sept. 1807, figens id quod indeterminatum reliquerat C. C. a. 1907, statuit ut interesse conventionale pro praestatione pecuniae non possit excedere 5 % in materia civili, 6 % in materia commercii; sed haec altera pars abrogata fuit per legem 12 ian. 1886, ita ut nunc nihil lege statutum habeatur in materia commerciali; pro Algeria lex 13 april. 1898 limitem assignavit 8 % in materia sive civili sive commerciali. — In *Hispania* lex prodiit 23 iul. 1908, qua annullantur omnes contractus mutuationis pecuniae, in quibus interesse conventum fuerit, quod notabiliter excedat taxam normalem, aperte improportionatum rei circumstantiis vel iis in adiunctis, ut censeatur crudele, ita ut mutuans videatur abusus fuisse angustiis mutuatarii aut eius inexperientia aut mente obtusa; nullum pariter edixit contractum, in quo maior quantitas pecuniae apposita fuerit, quam quae reapse fuit praestita. Atque haec quidem lex, quantumvis ad « annullativas » pertineat (n. 226), nequit censeri omni vi carere in conscientia ante sententiam iudicis. Quod quidem asserendum censemus quatenus lex conventionem penitus annullet et foenus totum restitui iubeat. Immo quoad quantitatem taxam normalem multum excedentem lex virtualiter prohibitionem continet, quae in hac materia non mere poenalis putanda est, sed ob bonum publicum omnino obligans in conscientia. Quidquid igitur notabiliter excessum fuerit, non solum graviter caritatem laesit, sed etiam iustitiam, ideoque ante iudicis

sententiam restituendum. Adverte, quod sententia Trib. 30 iun. 1917 declaravit interesse normale esse 8 %. Cf. MACH - FERR., *Tes. del sac.* II, n. 485, NB.; FERR., n. 1017. — Quoad limitandum interesse conventionale, nihil speciale habetur, quod sciamus, in *Lusit.* nec in iis Nationibus *Amer. Lat.*, de quibus agere solemus; immo expressis verbis libertatem concedunt C. C. *arg.* a. 655, *br.* a. 1262, *lus.* a. 1640, *mex.* a. 2696, *ur.* a. 2180. Sed C. C. *chil.* a. 2206 et *col.* a. 2231 dicunt: « El interés convencional, que exceda de una mitad al que se probare haber sido interés corriente al tiempo de la convención, sera reducido por el juez a dicho interés corriente, si lo solicitare el deudor », ubi tacite innuitur huiusmodi interesse, excedens dimidio taxam tempore conventionis normalem, esse immodicum seu iniustum.

Interesse *legale* seu quod solvendum est, quoties partes nihil determinate pactae fuerint, statuitur 6 % a C. C. *br.* a. 1062, 1063, *chil.* a. 2207, *col.* a. 2232, *mex.* a. 2692, *ur.* lege 5 iul. 1905, qua derogatum fuit, quod decretum erat in C. C. a. 2180. Statuitur 5 % in C. C. *lus.* a. 1640, et iure *hisp.* per legem 2 aug. 1899, qua abrogatur in hac parte C. C. a. 1108, ubi assignabatur 6 %. Interesse legale Iure *gall.* per legem 7 april. 1900 assignatum est 4 % in materia civili, 5 % in materia commercii, pro Algeria autem per legem 13 april. 1898 fixum fuit 5 % in materia sive civili sive commerciali. Iure *arg.* C. C. a. 2282, 2283 in defectu cuiuslibet conventionis mutuum censetur gratuitum, et nulla datur obligatio solvendi interesse, nec creditor poterit aliud interesse exigere, nisi propter moram in solvendo; sed Cod. Comm. a. 565 ait: « Mediando estipulación de intereses, sin declaración de la cantidad a que éstos han de ascender, o del tiempo en que deben empezar a correr, se presume que las partes se han sujetado a los intereses que cobren los Bancos públicos y sólo por el tiempo que transcurra después de la mora. Siempre que en la ley o en la convención se habla de intereses de plaza o de intereses corrientes, se entiende los que cobra el Banco Nacional ».

Quamvis leges fere ubique libertatem concedant in convenienda taxa foenoris pro pecunia praestita, non ideo tamen, ut iam diximus, taxa quaelibet est iusta, et difficultas est in determinandis taxae huiusmodi limitibus; pendet enim a condicionibus oeconomicis et statu negotiorum cuiusque regionis hoc vel illo tempore. Haec tantum possumus dicere:

1° Taxam legalem omnino et certo habendam esse ut iustam etiam in pactionibus privatorum.

2° Taxam 8 %, tamquam normalem (id est satis usitatam seu currentem), saltem in materia commercii, non videri iniustam in Hispania (cf. sententiam 30 iun. 1917) nec, putamus, in Rep. Argentina.

3° Taxam normalem 8 % notabiliter excedere, puta taxam plusquam 10 % ordinarie iniustam esse in Hispania (cf. legem 23 iul. 1908), quin propterea iustas dicamus taxas inter hos limites; et generatim ubique applicari potest optimum criterium in C. C. chil. et col. expressum, quo ut certo immodicum habetur foenus excedens dimidio taxam currentem, quin ideo probatum dici debeat, quidquid intra hos limites continetur.

4° Porro quaenam sit taxa currens seu usitata, aut quidnam ultra eam iam putari debeat nimium, exactius hauriendum esse in quavis regione ex praxi timoratorum, qui sufficientem in hac materia experientiam habeant. Certe id saltem videtur asserendum taxam currentem, si iusta est, debere esse valde infra lucrum, quod per negotiationes iustas in respondente regione et in ordinariis adiunctis sperari potest; nam multum ex hoc lucro est imputandum negotiantis industriae.

5° Denique in Gallia omnino standum esse praescripto legis.

Taxa, quam normalem vocavimus seu usitatam, ita per usum introducta est, ut iam usus rationem habuerit periculi communis, quod incurritur in pecunia praestanda inter privatos. Non ergo licebit eam ideo excedere, quod mutuatarius minorem securitatem praebet quam v. gr. Societas Bancaria. At si propter speciales mutuatarii circumstantias peculiare periculum timeatur, tunc adest titulus specialis « periculi sortis », propter quod semper licet foenus pacisci periculo proportionatum.

Atque haec dicta sunto habita tantum ratione iustitiae; nam caritatem exigere saepe, ut de taxa remittatur, quam alias iustitia non damnaret, diximus alibi.

318 Denique adverte:

1° Si quis modicum auctarium mala fide accepit, potest illud retinere, quoniam cum iusto titulo, etsi ab eo ignorato, accepit[1].

2° Titulus lucri cessantis non potest ex integro superaddi communi auctario. Nam suppone te velle impendere pecuniam in negotiationem, ex qua speras 9 %, et spem adeo esse firmam, ut aestimari possit ad 8 %. Si pecuniam das mutuo, non potes exigere 8 % + 5 % = 13 %, ea ductus ratione quod vendas spem valentem 8 % et commune auctarium sit v. gr. 5 %; nam ideo licet percipere auctarium 5 %, quia communiter sic aestimatur in regione spes lucrandi; quod si tu spem maiorem habes in casu particulari, haec spes illam includebat.

3° Pariter qui pecuniam mutuo accepit iusto auctario, non potest eamdem remutuari alii et exigere auctarium duplum; nullo enim titulo id fieret.

4° Nulla iniustitia est, nisi obstet lex civilis, stipulari inter partes, ut si elapso anno neque capitale redditur neque auctarium ei respondens solvitur, istud censeatur adiectum capitali, ideoque ex illo auctario auctarium dein debeatur[2], dummodo

---

1 Cf. Ferr., n. 1026.

2 Ex C. C. *chil.* a. 2210, *col.* a. 2235, *lus.* a. 1642 prohibetur stipulari « interesse ex interesse », quod scilicet ita intellige, non posse mutuantem stipulari interesse compositum, quando mutuatario non relinquitur facultas restituendi capitale post annum, v. gr. si petenti pecuniam ad 5 annos dixeris: « Dabo, sed ad interesse compositum, cum obligatione non reddendi pecuniam per totum illud tempus ». Ita sese expressis verbis explicat C. C. *lus.*

mutuatario concedatur libertas solvendi auctarium elapso anno: perinde enim est ac si mutuans auctarium perciperet iterumque in capitale traderet.

Sed nec est iniustum, etiamsi ab initio paciscantur partes ne capitale reddatur elapso anno, dummodo id pactum fuerit propter condicionem impositam a mutuatario, qui exigit ne pecunia possit repeti ultra certum annorum numerum. Cum enim mutuatarius hoc onus imponat mutuanti ipsumque coniiciat in periculum carendi pecunia eo tempore, quo iam forte magis valitura sit, vel ob mutata aliquantum societatis adiuncta mutuans forte occasionem habeat ineundi negotia magis lucrosa, iustum videtur, ut mutuans vicissim hanc condicionem exigat, ut auctarium non possit solvere, sed teneatur istud capitali adiicere, ut rursus auctarium producat. At iniustum esset pacisci ab initio, ut pecunia non ante hoc vel illud tempus reddatur, ut deinde interesse ex interesse vel maius interesse simplex debeatur. Sic enim praeter foenus iustum mutuationi respondens, aliud onus imponeret, accumulandi nempe foenus capitali, quod iniustum esset, non aliter ac si venditor mercem emptori venderet iusto quidem pretio, sed imposito onere ut alias quoque merces iusto pretio simul emat. Iniustum etiam esset considerare interesse capitali adiungi post tempus breve;

---

cit. art. aiens: « partes posse foenus non solutum in capitale redigere per *novum* contractum »: ita igitur etiam praedictos C. C. interpretari poteris. Quare non prohibetur mutuans de interesse composito pacisci libertate concessa reddendi capitale, saltem expleto quolibet anno; nonne enim posset elapso anno capitale cum interesse recipere et rursus mutuatario totum tradere? Nec videtur lege prohiberi, aut saltem id permitti potest in conscientia, interesse compositum stipulari, quando obligatio retinendi capitale per annos imponitur a mutuatario. — In C. C. *gall.* a. 1154, *mex.* a. 2699, *ur.* a. 2189 ius agnoscitur percipiendi interesse ex interesse, si ita explicite conventum fuit; attamen propter nuper exposita iam intelligis non plus in conscientia licere, quam sub regimine luris chil., col., vel lus. est licitum. C. C. *gall.* art. cit. prohibet capitalisationes fieri per periodos anno breviores, dum C. C. *mex.* art. cit. periodos quaslibet permittit; quid in hac re vetitum sit, ne locus detur illicitis usuris, dicimus supra in textu. — Iure *hisp.* per legem 14 mart. 1856 interesse ex interesse percipere non licet, nisi interesse redigatur in capitale per novum contractum; quod quidem nihil differt a dispositione Codicis *lus.*, de qua nuper.

Licitae sunt capitalisationes, quas iuxta consuetudines generatim a Codicibus Commercii sancitas (v. gr. Cod. Comm. *arg.* a. 778, 788, *chil.* a. 606,617) nummularii introducunt in computos currentes (cuentas corrientes, comptes-courants) post quodlibet semestre vel trimestre, addita quadam retributione (comisión) propter onus habendi semper praesto pecuniam. Etenim, bene ait GÉN. S., n. 619, 6°, hic non habetur verus mutui contractus, qualem spectant leges, sed alius plane diversus, quo uterque contrahens sua vice creditor aut debitor fieri, ac proinde neuter anatocismi stipulatione nimis gravari potest.

sic enim palliaretur usura, nisi lucra inde exsurgentia v. gr. post annum non excederent interesse simplex annuum omnibus licitum.

5° Interdum mutuatarius minus pecuniae accipit (v. gr. 96) loco summae petitae (v. gr. 100), quam postea reddere debet et pro qua, quasi totam accepisset, foenus soluturus est. Haec conventio erit licita, dummodo differentia simul cum foenore soluto non superet iustum auctarium, quod respondet pecuniae acceptae, aut alios titulos extrinsecos, qui forte adsint, v. gr. periculum sortis.

6° Non est iniustum, si mutuans exigat pignus, dummodo ob maiorem hanc securitatem, quam postulat, seu ob minus periculum detrimenti incurrendi quantitatem auctarii proportionate minuat, et dummodo pignus non excedat debitum; secus lucrum iniustum perciperetur.

7° Caritas obligare potest, ut in mutuo exigatur nihil, si mutuatarii nempe condicio ea est, ut caritas iubeat auctarium in eleemosynam erogare.

8° Communiter nihil licebit percipere ex praestatione rerum primo usu consumptibilium, v. gr. vini, tritici etc., quia non sunt in societate instrumentum immediatae negotiationis, nisi forte mutuator facilitatem habeat eas res convertendi in lucrum, quo se nunc privet.

319 IV. **Commodatum**[1] est cessio gratuita usus rei ad certum tempus cum onere restituendi eamdem in individuo. Cessio est gratuita, secus res non commodatur sed locatur. *Commodans* servat dominium rei, ideoque seclusa culpa aut pacto ipse sustinet rei pericula nec potest rem repetere ante tempus praefixum, nisi casus superveniat plane impraevisus, in quo ipse re indigeat. *Commodatarius* re uti non potest nisi ad usum sibi commissum, aut cui commodans prudenter censetur consentire; subire debet expensas ordinarias pro rei conservatione eiusque curam gerere sicut bonus paterfamilias.

Precarium commodato affine est: est enim concessio gratuita usus rei, sed revocabilis ad nutum concedentis.

Depositum[2] est susceptio gratuita custodiae rei alienae. Potest quidem pretium exigi, sed tunc contractus est onerosus. Deponens tenetur solvere expensas, quas depositarius in re conservanda subit.

---

1 De commodato C. C. *arg.* a. 2289-2321, *br.* a. 1248-1255, *chil.* a. 2174-2195, *col.* a. 2200-2220, *gall.* a. 1874-1891, *hisp.* a. 1740-1752, *lus.* a. 1506-1522, *mex.* a. 2661-2683, *ur.* a. 2190-2212.

2 De deposito C. C. *arg.* a. 2216-2273, *br.* a. 1265-1287, *chil.* a. 2211-2248, *col.* a. 2236-2272, *gall.* a. 1915-1954, *hisp.* a. 1758-1784, *lus.* a. 1431-1451, *mex.* a. 2545-2587, *ur.* a. 2213-2258.

V. **Mandatum**[1] est susceptio gratuita negotii alieni ge- **320**
rendi. Potest quidem negotium suscipi gerendum non gratis, sed mercede conventa; at haec susceptio est locatio operae, proinde inter contractus onerosos computanda. *Mandans* adimplere debet obligationes vi mandati contractas a mandatario, eique refundere sumptus necessarios ad mandati exsecutionem. *Mandatarius* tenetur negotium diligenter gerere et intra limites mandati se continere. Mercedem exigere non potest, nisi de ea convenerit expresse aut tacite, v. gr. si haec sit recepta consuetudo; non potest pretii excessum retinere, nisi aut res melior evaserit ex sua industria, aut cum domino convenerit de reddendo solum certo pretio, vel excessus in sui gratiam datus fuerit.

Negotiorum gestio[2] est susceptio negotii, domino absente et ignorante, ex eius mandato rationabiliter praesumpto; v. gr. si quis curam suscipit alendi et reducendi ad dominum animal aberrans. Obligationes fere eaedem sunt, quae in contractu mandati. Gestor probabilius ius habet ad mercedem suo labori congruentem[3], nihil tamen proprie exigere potest ex eo, quod rem domino reddit aut non destruxit.

Art. 9. De contractibus onerosis.

I. **Emptio - venditio**[4] est contractus, in quo certa res mu- **321**
tatur pro pretio.

1. *De natura huius contractus*[5]. *Materia* emptionis - ven-

---

1 De mandato C. C. *arg.* a. 1903-2019, *br.* a. 1288-1330, *chil.* a. 2116-2173, *col.* a. 2142-2199, *gall.* a. 1984-2010, *hisp.* a. 1709-1739, *lus.* a. 1318-1369, *mex.* a. 2342-2415, *ur.* a. 2025-2075.

2 De negotiorum gestore C. C. *arg.* a. 2322-2344, *br.* a. 1331 ad 1345, *chil.* a. 2286-2294, *col.* a. 2304-2312, *gall.* a. 1372-1375, *hisp.* a. 1888-1894, *lus.* a. 1723-1734, *mex.* a. 2416-2433, *ur.* a. 1283-1285.

3 Ferr., n. 1001.

4 De contractu emptionis - venditionis C. C. *arg.* a. 1357-1467, *br.* a. 1122-1163, *chil.* a. 1793-1896, *col.* a. 1849-1954, *gall.* a. 1582-1685, *hisp.* a. 1445-1520, *lus.* a. 1544-1591, *mex.* a. 2811-2925, *ur.* a. 1635-1728.

5 De iure positivo haec tene:
Contractus emptionis - venditionis *tunc perficitur, quando* ambae partes convenerint et de re et de pretio, etsi neutrum solutum fuerit: ita C. C. *arg.* a. 1375, *br.* a. 1126, *chil.* a. 1801, *col.* a. 1857, *gall.* a. 1138, 1583, *hisp.* a. 1450, *lus.* a. 1548, *mex.* a. 2818, *ur.* a. 1638.
Attamen venditio immobilium non perficitur, donec redacta fuerit per scripturam publicam, C. C. *arg.* a. 1218, *br.* a. 134 (pro immobilibus excedentibus « um conto de réis »), *chil.* a. 1801, *col.* a. 1857, *mex.* a. 2920 (sed ex a. 2921 pro immobilibus non excedentibus 500 pesos sufficiet scriptura privata, additis signaturis duo-

ditionis possunt esse res omnes, quae in commercio sunt, etiam iura incorporea, v. gr. credita, usufructus etc. — Venditio rei

---

rum testium), *ur.* a. 1638. Scripturam publicam necessariam esse ad effectus civiles patet, idque supponunt C. C. *gall.* a. 1593, *hisp.* a. 1455; C. C. *lus.* a. 1722, 1590 idem exigit, sed pro immobilibus non excedentibus 50.000 réis sufficit scriptura privata, additis signaturis duorum testium. — Si agatur de re, quae sive ex contractu sive ex consuetudine probari vel gustari debet, venditio praesumitur fieri sub condicione suspensiva «si res emptori placebit», C. C. *arg.* a. 1370, *br.* a. 1144, *chil.* a. 1823, *col.* a. 1879, *gall.* a. 1587, 1588, *hisp.* a. 1453, *lus.* a. 1551, *mex.* a. 2825, *ur.* a. 1659. — In ipsis CC. CC. vide effectus condicionis suspensivae, ubi agunt in genere de obligationibus sub condicione. Generatim effectus sunt sequentes: si interea res perit culpa venditoris, hic tenetur de damnis; si culpa venditoris fit deterior, potest emptor vel resilire vel damni reparationem exigere; si interea res fit melior vel sine culpa venditoris deterior, id spectat ad emptorem.

Pariter in rebus, quae determinato pondere, numero aut mensura vendi solent, v. gr. frumentum, vinum etc., si emitur quaedam quantitas assignato pretio unitatis, contractus non perficitur, donec facta fuerit ponderatio, numeratio aut mensura, C. C. *arg.* a. 1376 et *mex.* a. 2825 (ex C. C. *ur.* a. 1657 contractus videtur etiam nondum perfici); sed ex C. C. *lus.* a. 1551 contractus fit sub condicione suspensiva; at vero ex C. C. *br.* a. 1127, *chil.* a. 1821, *col.* a. 1877, *gall.* a. 1585, *hisp.* a. 1452, contractus quidem perfectus erat per solum partium consensum, nihilominus donec facta fuerit ponderatio, numeratio aut mensuratio, rei detrimenta vel periculum, nisi emptor fuerit in mora, spectant ad venditorem (ex C. C. *br.* a. 1127 in rebus, quae ponderando, numerando etc. accipiuntur ab emptore, casus fortuiti occurrentes in ipso actu ponderandi, mensurandi etc. spectant iam ad emptorem); tenebitur ergo venditor de damnis, si ante ponderationem, mensuram etc. a contractu resiliat (ut bene ait C. C. *gall.* a. 1585), quia contractus iam perfectus erat.

Partes posse pacisci, ut contractus perficiatur sine condicionibus lege praescriptis, idque valere in conscientia non est dubium. Posse quoque alias condiciones contractui adiicere admittunt omnes C. C.: *arg.* 1397, *br.* a. 115, *chil.* a. 1887, *col.* a. 1945, *gall.* a. 1584, *hisp.* a. 1255, *lus.* a. 672, *mex.* a. 1310, *ur.* a. 1648, et speciatim posse pacisci, ut contractus, etsi de rebus mobilibus, non perficiatur nisi per scripturam publicam, agnoscunt expresse C. C. *chil.* a. 1802, *col.* a. 1858, *ur.* a. 1638, vel tacite C. C. *br.* a. 1129, *gall.* a. 1593, *hisp.* a. 1455, *lus.* a. 1552, *mex.* a. 2826.

Perfecto contractu, 1° ex C. C. *arg.* a. 611, *br.* a. 868, *hisp.* a. 1095 emptor acquirit solum *ius ad rem*, non acquirit autem ius in re, donec res ipsi tradatur. Sed quamvis ante traditionem nondum acquiratur ius in re, tamen *fructus rei* ex C. C. *hisp.* a. 1095 pertinent ad emptorem; ex C. C. *arg.* a. 1450, 617, *br.* a. 868 fructus percepti, sive naturales sive civiles, pertinent ad venditorem, pendentes ad emptorem. Praeterea, *si res inculpabiliter perit*, ex C. C. *arg.* a. 612 obligatio utrinque exstinguitur; ex C. C. *br.* a. 1127 hoc infortunium patietur venditor, ex C. C. *hisp.* a. 1452, 1182 hoc infortunium sustinebit emptor. Adverte tamen ex C. C. *hisp.* pericula pertinere ad venditorem, quando agitur de rebus ponderandis, numerandis etc., ut nuper diximus. — 2° Ex C. C. *gall.* a. 1583, 1614, 1624, 1302, 1138, *lus.* a. 1549, 1575, 717, *mex.* a. 2822, 2824, 1430,

alienae est nulla[1], venditorque malae fidei tenebitur in conscientia emptorem bonae fidei servare indemnem. — Res uni vendita et nondum tradita nequit vendi alteri[2].

Ad quid teneatur venditor circa rei vitia, eruitur ex dictis **322** n. 298, 299 de errore in contractu oneroso. Scilicet:

1° *Vitia substantialia* tenetur venditor sponte manifestare, secus venditio evaderet nulla: huiusmodi vitiis diximus accenseri ea vitia accidentalia, quae opponuntur fini manifestato ab emptore, v. gr. si vinum cito acescit et emptor expresse petit vinum diu conservandum.

2° *Vitia accidentalia* tenetur manifestare, quando eorum occultatio aequivaleret dolo, unde contractus evaderet rescindibilis. Proinde: *a*) Si emptor expresse vel tacite interrogat de aliquo vitio accidentali, venditor illud manifestare debet, nisi forte vitium adeo esset parvum, ut emptor nihilominus censeri possit idem pretium soluturus. *b*) Si emptor nihil interrogat et vitium est manifestum, v. gr. equus caret uno oculo, iniustum non est illud non manifestare, dummodo pro rata vitii minus pretium postuletur. Excipe, si emptor sit adeo rudis, ut pro eo vitium censendum sit occultum. *c*) Si emp-

---

2860 emptor acquirit statim ius in re seu rei dominium, ideoque ad eum pertinent sive rei fructus sive rei pericula. Pariter ex C. C. *chil.* a. 1820, 1816, *col.* a. 1876, 1872, *ur.* a. 1656, 1309 ad emptorem pertinent sive rei fructus, (nisi stipulatum fuerit, ut res non tradatur nisi post elapsum certum tempus, C. C. *chil.* a. 1816, *col.* a. 1872) sive rei pericula. Adverte tamen ex C. C. *chil.*, *col.*, *gall.*, *hisp.* rei pericula pertinere ad venditorem, quando agitur de rebus ponderandis, numerandis etc., ut paulo superius diximus. — 3° Venditor non tenetur rem tradere, nisi pretium solutum fuerit aut de die traditionis peragendae convenerit ex C. C. *arg.* a. 1452, *br.* a. 1130, *chil.* a. 1826, *col.* a. 1882, *gall.* a. 1612, *hisp.* a. 1466, *lus.* a. 1574, *mex.* a. 2852, *ur.* a. 1662.

1 Aliquam tamen exceptionem meminimus in n. 238 nota, quoad res emptas in publica venditione. Cf. ibidem.

2 Si tamen vendatur alteri eique tradita fuerit, iste secundus emptor, dummodo emerit bona fide, praeferendus est, sed venditor tenetur de damnis erga primum emptorem: ita ex C. C. *arg.* a. 626 seqq., *chil.* a. 1817, *col.* a. 1873, *gall.* a. 1141 (quoad res mobiles), *ur.* a. 1654, 1311; idem tene ex C. C. *hisp.* a. 1473, *lus.* a. 1578-1580, *mex.* a. 2869-2872 quoad res mobiles, sed quoad immobilia praefertur ea venditio, quae prior inscripta fuerit in Regesto civili. Atque haec quidem Codicum Civilium resolutio, supposito quod rei dominium sit adhuc penes venditorem, vel quod emptor non acquisierit nisi solum ius ad rem, fluit ex ipso Iure naturali, et nihil differt a casu superius tractato de donatione facta in praeiudicium creditorum. — Si res adhuc tradita non fuerit, vel si secundus emptor egerit mala fide, id est si emit conscius prioris venditionis, priori emptori ius suum servandum est. Lugo, d. 26, sect. 11; S. Alph., n. 827.

tor nihil interrogat et vitium est occultum, venditio rei est iusta, quamvis res non deserviat emptori ad usum intentum, dummodo: *α*) emptor finem suum non manifestaverit, uti nuper diximus; *β*) non postuletur maius pretium, quam quod reapse valet res attentis suis defectibus, v. gr. si cum merce optimae qualitatis admixta est alia inferioris, nequit peti pretium mercis tamquam optimae; pariter si galerus duraturus per annum valet 12 et ob vitium occultum durabit per semiannum, debet vendi dimidio[1]; *γ*) vitium non fiat occultum per dolum, v. gr. si equo tardo immittatur aliquid in auriculam; *δ*) venditor non protestetur se rem vendere sine vitio, idque neque protestetur expresse, v. gr. si in publicis ephemeridibus nuntiet se vendere vinum purum, neque tacite ex adiunctis, v. gr. si in foro piscario, ubi communiter veneunt pisces recentes, exponat pisces salitos ita compositos, ut videantur recentes; tunc non sufficeret pretium minuere, si vitium non manifestetur; emptor enim praesumitur petere id quod alter se protestatur vendere[2].

Non sunt illicitae eae mixtiones aut sophisticationes, quae iam passim in societate tolerantur nec solent ab emptoribus ignorari, v. gr. vinum aqua mixtum, butyrum non e lacte confectum etc., dummodo non postuletur pretium excedens veram qualitatem mercis et venditor non protestur se vendere vinum purum, butyrum e lacte etc.

Si res perit vitio intrinseco, quo iam inficiebatur tempore venditionis, pretium restitui debet; res enim erat nullius valoris.

823 **Emptor, qui ab alio falsam monetam accepit,** non potest eam adhibere ad solvendum: quod enim deceptus fuerit, non dat ei ius ad decipiendum.

---

1 Cf. Lugonem, d. 26, n. 124, 134.

2 Ex C. C. *arg.* a. 2198, 2207, 2208, *br.* a. 1101, 1105, *chil.* a. 1858, 1860, *col.* a. 1915, 1917, *gall.* a. 1641, 1644, *hisp.* a. 1484, 1486, *mex.* a. 2873, 2875, *ur.* a. 1692, 1694 si vitium *occultum* ita reddit rem minus utilem fini intento, ut emptor, si illud cognovisset, rem non emisset aut minus pretium solvisset, poterit is vel contractum rescindere vel pretii differentiam a peritis taxatam sibi reclamare. Huiusmodi ius emptoris non agnoscit C. C. *lus.* a. 1582, et generatim Codices Civiles huiusmodi ius non concedunt quando res emitur in licitatione iudiciali. Praeterea venditiones animalium (ovium, boum, equorum etc.) solent in hac materia regi specialibus statutis, v. gr. pro *Gallia* cf. leges 21 iul. 1881, 2 aug. 1884 etc., pro *Hispania* C. C. a. 1491-1499.

Huiusmodi dispositiones Codicum Civilium iuris naturalis restrictivae non obligant venditorem ante sententiam iudicis; cum enim ad huiusmodi onus iure naturali non teneatur et ipsius intersit rem vendere, censendus non est in illud onus consensisse, donec a lege compellatur.

Quod si eam expenderit bona fide, ad nihil tenetur[1], si alter nullum damnum passus est, v. gr. quia et ipse eam aliis ignotis tradidit; sin autem is eam adhuc servat, tenetur ille ex iustitia bonam monetam ei rependere: ita enim se obligavit ex contractu — immo ex caritate, ne tertius decipiatur, monere, si potest absque infamia, ut monetam falsam sibi restituat.

Quod si illam expenderit mala fide et ignoratur dominus laesus, restitutio facienda esset aerario publico, si tamen verum detrimentum inde passurum est, secus pauperibus.

Falsam monetam regulariter non licet donare, ne iniustitiae occasio praebeatur.

Neque licet solvere cum pecunia antiquata, cum inferioris pretii soleat esse: excipe, si forte vulgus eam pro nativo valore adhibere soleret[2].

2. *De iusto pretio.* Triplex pretium iustum distinguitur. **324**

Pretium vulgare, quod rei assignat communis aestimatio in tali regione. Porro hanc aestimationem efformant homines naturali iudicii aequitate perpendentes rei abundantiam, expensas pro ea comparanda, emptorum et pecuniae copiam etc. Et quamvis pretium iustum, iuxta naturam iustitiae commutativae, sit in se certum et determinatum, tamen difficulter assignari potest, cum difficile sit illas circumstantias ad apicem aestimare; ideo in pretio iusto distinguitur infimum, medium, summum.

Pretium legale est, quod assignatur a lege, quae ad bonum subditorum limites iusti pretii incertos figit; hanc legis taxam servandam esse ex iustitia patet ex dictis n. 225, 59 nota, quoniam a lege imponitur ex motivo iustitiae.

Pretium conventionale est, quod inter partes convenit circa res (aut actiones), quae cum rarae sint, pretium vulgare non habent, v. gr. tabella pretiosa, flos rarissimus, vitam pro naufragi salute exponere; iustum est hoc pretium, nisi iudicio prudentum irrationale videatur.

Licet carius vendere 1° *ob specialem affectum venditoris erga rem*, v. gr. domum paternam: is enim non solum re, sed etiam hoc speciali affectu se spoliat in gratiam emptoris. Non tamen licet carius vendere ob specialem affectum aut utilitatem **325**

---

1 Probabiliter, etsi inde ditior evaserit, puta quia monetam donatione acceperat: ita eruitur ex dictis de possessore bonae fidei n. 252.

2 Cf. LUGONEM, d. 28, n. 6.

alicuius emptoris, cum eapropter nulla maior privatio venditori superveniat[1]. 2° *ob dilationem solutionis*, modo excessus pretii non superet auctarium iustum respondens durationi dilationis. 3° *si merces minutatim vendantur*, sic enim venditor maiores expensas laboresque subit.

Licet vilius emere. 1° *Res apud veteramentarios* expositas: minoris enim communiter aestimantur. 2° *Merces ultroneas*, id est quae ob necessitatem venduntur, v. gr. quia venditor alio abiturus est, nam tunc etiam censentur vilescere[2, 3]. 3° *Credita solutionis difficilis*, emptor enim periculum subit: et quamvis solutio sit alicui facilis obtentu, probabiliter emere poterit creditum pretio communi[4].

Iniustum est fraude inducere emptorem, ut emat maiore pretio quam emisset, etsi intra limites pretii iusti, v. gr. si mercator merces vili pretio venales exponat, ut emptores attrahat, deinde vero in pondere defraudet: emptor enim ius habet, ne a minore pretio dolose impediatur. Idem sentiendum foret de mendaciis, quibus v. gr. mercatores asserunt et iurant res sibi tanti valuisse vel tale pretium sibi oblatum fuisse; cum tamen iis fides non soleat adhiberi, sufficit excipere casum, in quo ob specialem fiduciam in venditorem vel ob extraordinarias protestationes sinceritatis mendacium causa contractus censeri posset.

Iniustum non est 1° pretium initio exaggerare, ut emptor in certum pretium minus consentiat, dummodo tandem pretium acceptum sit adhuc iustum. 2° Vendere pretio currenti rem, quam nosti minoris mox valituram, dummodo notitia sit privata, non communis.

---

1 Recentiores nonnulli contrarium huius communissimi asserti opinantur probabile; sed eorum sententiam putamus ad consectaria inadmissibilia ducere, v. gr. quod mutuator possit auctarium maius percipere ob negotiationem pinguem, quam faciet mutuatarius; item, quod vi mutui numquam iniustum fuerit aliquid exigere ob specialem necessitatem mutuatarii, immo eo plus foenoris licuisse exigere, quo maior mutuatarii necessitas; item, quod ob merum beneficium nullo praestitum labore debeatur non solum gratitudo, sed etiam merces etc.; unde eam censemus probabilitate intrinseca destitutam, probabilitatem tamen mere extrinsecam negare non audemus.

2 Huius aestimationis communis fundamentum non est beneficium venditori praestitum, sed quod communiter, nisi vilius vendatur, exiguus est numerus emptorum.

3 Hoc tamen non debet intelligi de rebus communibus, ut frumento, vino etc.; immo si res venditur ob paupertatem, laedi potest caritas, praesertim si emptor non emat mere in gratiam venditoris.

4 Lugo, d. 26, n. 93 seqq.

Si emptor et venditor ignorent pretium rei et de certo pretio conveniant, valet contractus, modo procedant ambo bona fide; uterque enim iure suo cedit, dum aequali periculo damni se exponit.

In restitutione ob laesum iustum pretium venditor resarcire tenetur, quantum excedit pretium summum, emptor quantum deest usque ad infimum; id enim totum restituendum est.

3. *De quibusdam venditionibus.* **326**

a) **Venditio sub hasta seu licitatio** iusta venditio est, etsi pretium non attigerit limitem infimum aut etiam devenerit supra summum; nec mirum, cum ex una parte res ultroneae vilius emi possint, ex altera vero commune pretium rerum augeatur ex concursu maiore emptorum. In licitatione igitur pretium iustum est, quod concursu emptorum sponte, id est absque fraudibus creatur[1]. Proinde:

1° *Venditor debet rem tradere plus offerenti*, etsi oblatio non attigerit pretium infimum; excipe tamen, si in venditione voluntaria consuetudo permittat retrahere rem, pro qua pretium saltem infimum non offeratur; tunc enim licitatio fit cum pacto tacito consuetudines servandi[2].

2° *Venditor non potest mittere emptores fictos*, ut pretium artificiose augeatur. Si tamen vigeat praedicta consuetudo, de qua supra, nihil obstat quominus emissarii ficti licitent, donec ad pretium infimum perveniatur.

3° *Venditor in venditione coacta seu auctoritate publica imposita potest rem suam emere* per emissarios: potius enim quam ipse eius creditores sunt venditores. In venditione autem voluntaria id non licet, nisi consuetudo ferat, ut pro illo pretio, quod emissarii offerent, res possit retrahi; emptio enim, qua venditor praetendit sibi rem emere, mera fictio est, reapse autem est rei retrotractio.

4° *Emptor paciscens cum aliis, ut a licitando abstineant*, probabiliter non agit iniuste, quia etsi hi venditorem a maiore pretio impedient, at non impedient per media i n i u s t a (n. 265); graviter tamen laedi potest caritas erga venditorem in venditione coacta.

---

1 Lugo, d. 26, n. 45.

2 Iam fere ubique videtur vigere consuetudo, quod in licitatione offerendum sit saltem pretium infimum, quo res in ordinaria venditione aestimatur. In licitationibus iudicialibus offerri debent, in prima subhasta, saltem duae tertiae partes valoris rei a peritis taxati, iuxta Ius *arg.* Cód. de procedimientos en materia civil y comercial a. 515, *chil.* Cód. de proced. civil a. 514, *hisp.* a. 1504-1506; quod quidem in huiusmodi licitationibus coactis minore difficultate intelligitur, quoniam merces ultro non venduntur. Cf. Ball. P., tr. 8, p. 3, c. 2, n. 398; Marres, n. 126-128.

5° *Exsecutor venditionis* iniuste agit, si ex industria captat tempus, in quo pauciores emptores sunt, ut amicus vilius emat.

b) **Venditio cum pacto retrovenditionis** per se est licita: potest enim sive venditor sive emptor condiciones contractui apponere. Potest autem fieri duplici modo: 1° per venditionem sub condicione resolutoria: « vendo rem cum condicione, ut cum velim, possim venditionem resolvere, seu rem redimere soluto pretio, quod nunc accipio, et solutis, ut par est, rei meliorationibus; 2° per duplicem venditionem: « vendo (vel emo) rem cum condicione, ut eamdem mihi revendas (vel tibi revendam) ». Iustitia exigit, ut pretium minuatur vel augeatur iuxta gravamen impositum in gratiam venditoris vel emptoris, ut res restituatur qualis tradita est, et ne rei pericula imponantur venditori, quia pertinent ad emptorem, nisi pro hoc onere plus venditori solvatur. Praeterea si fit 1° modo, reddi debet idem pretium, quin pacisci liceat de solvendo maiore vel minore. Si 2° modo, potest pretium augeri in secunda venditione, quantum in priore fuerat imminutum, quia in secunda venditur res absque gravamine adiecto. Debet insuper adesse verus animus emendi et vendendi: secus, praesertim in 2° modo, facile sub venditione ficta palliatur usura[1].

327 *c*) **Venditio per proxenetas** seu commissarios est venditio ex mandato assumpta ac proinde obligationes n. 320 expositae observandae sunt. Observandae sunt quoque consuetudines in huiusmodi contractu receptae: dominus enim et proxeneta, nisi contrarium expresse convenerit, tacite iuxta consuetudines pacisci censentur.

Regulariter dominus certum pretium indicans rei emendae aut vendendae solum intendit, ut ne carius ematur aut minoris vendatur, ac proinde non potest proxeneta differentiam pretii sibi retinere; lucrum tamen retinere potest, si res melior evaserit ex sua industria, aut cum domino iam convenerit saltem tacite de reddendo solum certo pretio, aut si lucrum in sui gratiam donetur[2]. Porro favor praesumi potest factus in gratiam proxenetae, si is crebro et pro diversis personis apud mercatorem emat; si vero semper pro eadem persona, favor in gratiam istius censetur fieri.

d) **Monopolium** est potestas vendendi exsistens tantum apud unum aut paucos.

---

[1] Vendere alicui necessitate presso rem 500 aureis, quos emptor solvet postea, cum pacto ut in eodem instanti venditor rem acquirat 400 aureis, quos alteri tradit, est contractus dictus « mohatra », sub quo atroces usurae palliari possent.

[2] S. Alph., n. 825.

Monopolium, quo gubernium sibi venditionem alicuius rei reservat, rationem habet tributi; iustum igitur est, etsi pretium iustum excedat, nisi tributum censeri possit iniustum.

Monopolium, quod gubernium concedere solet quibusdam privatis, praesertim novae rei inventoribus, observandum est a ceteris, nec possunt hi sine iniustitia in privilegiatum illas res imitari et vendere. Privilegiatus vero iniustitiam committere potest, si rem pretio excessivo vendat; difficilius tamen limites iusti pretii statui possunt pro novis inventionibus.

Monopolium privatum, quo unus aut pauci certas merces omnes coemunt, ut postea possint carius vendere, iniustum non est, dummodo res non vendantur maiore pretio quam quod, secluso tali monopolio, summum fuisset. Nec caritas laeditur, si res vendantur hoc pretio summo: caritas enim non iubet postponere proprium bonum, ne proximus impediatur ab aequali bono. Quod si monopolium iniusto pretio exerceatur, non ideo licet aliis eodem iniusto pretio res vendere; excipe, si venditores non potuerint rem nisi hoc iniusto pretio sibi procurare.

Quasi - monopolium seu conventio, qua venditores inter se conveniunt de non vendendo nisi tali pretio, quod non excedat summum, iniusta non est, dummodo ad impediendum ne quis minore pretio vendat, non adhibeantur media iniusta, v. gr. vis, metus, dolus. Attamen huiusmodi conventio adversatur caritati erga emptores; nam quamvis caritas non te obliget remittere de pretio summo, at obligat ne dissuadeas volentem remittere, sicut quamvis non te obliget dare in aliquo casu eleemosynam, at obligat non dissuadere volentem dare [1].

Idem censendum de conventionibus, quibus emptores conveniant de non emendo nisi pretio infimo, operarii de non prosequendo opus ab alio coeptum etc. Videndum tamen ne, si in conventionem non consentiant, a sociis gravia mala merito timere debeant; tunc consulendae regulae de cooperatione et caritate.

Res vendere infra pretium infimum ad evertendos aemulos, ut iis amotis postea larga compensatio obtineatur, prorsus adversatur caritati.

e) **Census** est ius percipiendi pensionem annuam ex re **328** vel persona alterius.

Dicitur *reservativus*, quando unus transfert alteri rem suam, v. gr. agrum, reservans sibi ius ad pensionem ex illa re quotannis percipiendam; id esse per se licitum patet: quilibet enim rem suam donare aut vendere potest, partem aliquam iuris sibi reservans.

---

1 Lugo, d. 26, n. 175.

Dicitur *consignativus*, quando certo pretio emitur ius ad percipiendam pensionem annuam e re, quae iam erat alterius, v. gr. ad percipiendam quartam partem fructuum agri (census consignativus realis), vel e persona, v. gr. ius percipiendi quotannis certam pecuniae quantitatem (consignativus personalis). Censum consignativum sive realem sive personalem per se esse licitum patet; sicut enim quilibet potest dare alteri gratis ius ad percipiendam annuam pensionem e re vel persona, ita potest illi istud ius vendere: est enim hoc vere pretio aestimabile; idque valet, etsi census redimibilis sit ad arbitrium debitoris; is enim ius pensionis vendens potest sibi reservare ius rescindendi contractum; si vero census sit redimibilis ad arbitrium etiam emptoris, facile palliari potest usura [1].

f) **Cambium** seu permutatio pecuniae sive praesentis (aureae, argenteae, chartaceae) sive alibi solvendae iuste fit, si 1° servatur monetae valor variabilis, qui illi assignatur attentis diversis adiunctis et solet quotidie in ephemeridibus prostare; 2° si merces exigitur non immodica, attento servitio praestito, expensis pro conservando telonio, onere magnam pecuniae summam praesto habendi ad satisfaciendum petentibus etc.

329 II. **Locatio** [2] est contractus, quo quis pro pecunia alteri concedit usumfructum alicuius rei aut sui laboris. Potest quidem pro pretio solvi res diversa a pecunia, sed tunc contractus, etsi a locatione non diversus, nullum speciale nomen habet (contractus innominatus); quod si nihil solvendum est, commodatum habes. — Cum locatio et venditio in eo tantum differant, quod pro pretio detur vel res ipsa (venditio) vel eius usus aut labor personae (locatio), hinc patet plerasque regulas de venditione datas, praesertim quoad iustum pretium, huc quoque applicandas esse.

a) **De locatione rei.** Iura et obligationes locationis transeunt ad heredes. Si tempus locationis non fuit determinatum, unus potest cessare a contractu, dummodo alterum moneat tempore congruo iuxta consuetudinem loci et rei naturam.

Locator aperire tenetur vitia rei noxia expensasque subire necessarias pro rei conservatione, nisi sint eae modicae, de quibus mox.

---

[1] Plura de censibus reperies apud LUGONEM, d. 27, vel S. ALPH., n. 839 seqq.

[2] De locatione C. C. *arg.* a. 1527-1681, *br.* a. 1188-1236, *chil.* a. 1915-2021, *col.* a. 1973-2078, *gall.* a. 1708-1831, *hisp.* a. 1542-1603, *lus.* a. 1595-1635, *mex.* a. 2434-2544, 2936-3065, *ur.* a. 1750-1829.

Conductor debet uti re locata tamquam bonus paterfamilias ad solum finem locationis; tenetur praeterea subire expensas ad modicas reparationes, quae dicuntur locativae, v. gr. reficere vitra, ea etiam detrimenta, quae res eius culpa experiatur [1].

b) **De locatione laboris.** Hoc loco tractanda venit quaestio **330** de mercede operariis debita [2].

Ex iustitia debetur salarium sufficiens alendo operario frugi et bene morato. Nam quamvis hominis labor in se inspectus sicut res venalis quaelibet pretium habet iustum ex variis circumstantiis deductum, et quidem infimum, medium, summum: istud tamen infra valorem infimum salarii praedicti deprimi non potest. Nam homo ius nativum habet ad procurandam sibi mediis honestis non tantum sustentationem, sine qua non possit vivere, sed etiam, cum sit natura sociabilis, eam sustentationem, sine qua attenta aetate sua, condicione, moribus regionis etc. vivere non potest sine dedecore. Si igitur quis in sui gratiam postulat ab homine totum laborem, quem rationabiliter possit ab eo exigere, iam ei, nisi illam sustentationem det, nullum relinquit medium, quo possit suo iuri satisfacere. Saltem igitur haec taxa ex iustitia debetur, nisi forsan adhuc accrescenda sit eo, quod labor in se consideratus vulgo pluris aestimetur. Diximus «laborem totum, qui rationabiliter exigi possit»: homo enim necessario quibusdam otiis indiget finemque habet supernaturalem, ideoque animae saluti debitis temporibus debet intendere.

---

1 Ferr., n. 1070-1072.

Generatim Codices locatariis agrorum ius non concedunt, ut pretium locationis minuatur propter casus fortuitos adversos, qui non sint extraordinarii. Propter casus fortuitos extraordinarios, qui non potuerunt praevideri, puta bellum, pestem, incendium, insolitam inundationem etc. alii Codices ius diminutionis concedunt, alii denegant.

2 Contractus, quo operarii labor conducitur pro convenienti *salario*, omnino est iustus, nec habet operarius ullum ius, ut in partem beneficiorum admittatur. Quod enim is laborem ponat, id quidem ius dat ad aequum salarium, non ad ineundam cum domino societatem. Quod autem participatio beneficiorum magnos operariis stimulos adiiceret, eo quod valde eorum interesset, ut res prospere succederet: quod ita augerentur industriae atque in dies florerent magis: quod, id si fieret, operistitiae et publicae perturbationes in perpetuum evanescerent: haec nihil aliud probant nisi facultatem Statui inesse decernendi hunc novum modum locandi operam, si vere ad bonum commune necessarium esset, illumque legibus iustis regulandi (iustis, inquam, quae ius patronorum nimis non coarctent atque incitamentum ad industrias ineundas, quibus ipsa indiget societas, non tollant, sicque communitati nocivae non evadant), non vero operariis inesse ius ad hanc rationem contrahendi, praeciso quolibet statuto legis.

Hinc colligitur *iniustum esse herum*, 1° si a salario hebdomadario excludat dies dominicos et festos de praecepto[1]; 2° si iustum salarium non tribuat, eo quod operarius necessitate compulsus minori pretio consenserit (n. 240); proinde, etsi ob multitudinem operariorum et paucitatem operum, plures sint qui sese offerant ad laborandum pro minore pretio, eis nihilominus taxa supra statuta rependenda est. — *Non est tamen iniustum* infra illam taxam manere 1°, quando herus labore huius hominis non indiget, sed eum ex misericordia tantum admittit, utilitasque, quam ex eius labore percipit, iusti salarii limitem infimum non attingit. 2° si mercis confectae pretium ita viluit, ut iam dominus non possit, consuetum salarium solvens, se iuxta suam condicionem sustentare; tunc licebit operariis proponere, an inferiore mercede contenti sint potius quam a labore cessent; tunc enim quaestio magis quam de iustitia est de caritate, qua dominus sibi et operariis in gravi necessitate providet meliore modo, quo potest.

331 *De salario familiali* quaeritur, qua ratione debeatur. Huius autem nomine venit salarium, quo operarius valeat etiam honeste sustentare familiam ordinariam trium quatuorve liberorum, seponendo tamen aliquid ante matrimonium, parcius vivendo, dum filii nondum laborare possunt, et adiuvante uxore per laborem suae condicionis proprium. Hoc salarium deberi ex iustitia legali facile conceditur, quoniam a bono societatis videtur exigi. An vero debeatur etiam ex iustitia commutativa, probabilius affirmandum censemus cum pluribus auctoribus, cum ex pari ratiocinio, quod nuper pro salario individuali usurpavimus, satis recte videatur colligi: habet enim homo ius naturale, ut matrimonium inire et eo inito familiam sustentare possit; hanc tamen iustitiae commutativae obligationem alii probabiliter negant[2].

332 *De operistitio* (huelga, grève) opportunum est nonnulla breviter indicare. Iustitia laeditur, si cessatur a labore ante elapsum tempus initi contractus, quin ulla advenerit causa

---

1 Evidenter ergo iniuste ageret herus, qui sub hac condicione famulum domesticum sibi assumeret.

Aliquando tamen conducitur operarius ad laborandum per certum tempus, puta duos menses, ideoque conducitur totus eius labor per illud tempus, quin solvatur salarium pro diebus, quibus a labore vacatur. Non tamen putandi sunt excludi per hunc contractum dies festi; quando enim convenitur de quantitate salarii diurni, iam suo modo habetur ratio festorum plus minus frequenter occurrentium.

2 Nobis obiiciunt officium alendae familiae esse homini extrinsecum, hypotheticum, quasi nos in hoc *officio* obligationem fundaverimus et non in *iure ut possit* etc., hoc autem ius est homini naturaliter intrisecum, absolutum.

resiliendi, qualis esset, v. gr. si herus laborem notabiliter augeret sine iusto salarii augmento, si notabile periculum valetudini crearet, si pericula poneret contra bonos mores, si salarium nolit augere, quod mutatis temporis adiunctis, aperte iniustum iam evasit, etc. Iustitia quoque laeditur, si per media iniusta, vim, minas graves, etc., ceteri operarii cogantur, ut a laborando desistant; quae quidem agendi ratio generatim ne in operistitio quidem licito liceret, non enim mihi licet aggredi eum, qui iniuste non aggreditur; porro alii, etsi tunc forte caritatem, at generatim iustitiam non laedunt[1]. Praeterea, ut huiusmodi conventio cessandi a labore sit licita, requiritur finis aliquis certo aut fere certo obtinendus maximi momenti, tanti quidem momenti, ut iuxta principium n. 8, bonum obtinendum exaequet malis et perturbationibus vere ingentibus, quae in publicam rem (ne dicam in multos etiam ex ipsis operariis) redundabunt. Hinc apparet quam raro iusto et licito operistitio locus erit[2].

III. **Societas**[3] est conventio aliquorum conferendi aliquid **333**
pretio aestimabile (pecuniam, merces, operam etc.) ad usum vel lucrum commune iuxta proportionem rerum collatarum. Huiusmodi contractum esse iustum et licitum nemo negat, dummodo non ineatur ad finem illicitum (v. gr. ad diffundendos pravos libros) et lucra pro rata collatae partis dividantur. Socius quisque dominium servat pecuniae collatae, et consequenter ad eum pertinent eiusdem pericula; non potest tamen eam retrahere ante tempus conventum: secus tenetur de damnis ex retractione societati secutis[4].

---

1 Cf. VERMEERSCH, *De Iustit.*, n. 474.

Diximus « generatim », ut casum rarissimum exciperemus, quo v. gr. certum sit vere multos, nisi per operistitium, alio medio non evasuros extremam necessitatem: vere multos, inquimus, adeo ut evidens sit bonum tranquillitatis publicae debere iam cedere tam multorum iuri, aliis verbis, ut operistitium postulet ipsa extrema necessitas publica.

2 Bona magni momenti obtenta fuisse per operistitia est certum; non paucae enim odiosissimae vexationes cessarunt, cautius etiam agunt heri, ne operariorum condicione abutantur. Sed iuste vel iniuste haec omnia obtenta fuerint, non inde infirmantur principia, quae traduntur supra.

3 De contractu societatis C. C. *arg.* a. 1682-1822, *br.* a. 1363 ad 1409, *chil.* a. 2053-2115, *col.* a. 2079-2141, *gall.* a. 1832-1873, *hisp.* a. 1665-1709, *lus.* a. 1240-1297, *mex.* a. 2219-2316, *ur.* a. 1849-1911.

4 Plura quaedam de hoc contractu, praesertim si alius socius pecuniam, alius operam conferat, dabit S. ALPH., n. 904 seqq.

Olim contractus societatis iniebatur aliquando hoc modo: Tradis capitale societati, a qua speras lucrum te obtenturum 16 %, tradis tamen hac condicione, ut eadem societas assecuret tibi capitale, atque ad id cedis 6 %, et assecuret tibi lucrum, atque ad

334 IV. **Contractus aleatorii** dicuntur ii, quorum exitus pendet ab eventu incerto, adeoque contrahentes et spem subeunt obtinendi lucrum et periculum incurrendi damnum.

a) **Assecuratio**[1] est contractus, quo quis pro certo pretio obligationem assumit praestandi indemnitatem pro casibus fortuitis. Iustitia huius contractus postulat: 1° *Ut pretium sit periculo proportionatum;* aequitas enim contractus stat in aequalitate dati et accepti. 2° *Ut periculum sit verum et utrique parti aequaliter notum;* propterea nullus esset contractus, si v. gr. assecuratus sciret tempore contrahendi rem iam periisse. 3° *Ut assecuratus nihil faciat, quo periculum augeat*, ideoque iniustitiam committunt qui v. gr. domum assecuratam de industria incendunt. 4° *Ut assecurans possit solvere in casu infortunii*, secus pretium accipit pro securitate, quam revera non praestat.

De assecuratione super vitam non raro difficultates solvendae occurrunt, eo quod assecuratus bona vel mala fide declarationem non recte praestitit. Iuxta regulas generales de contractibus, si quid bona vel mala fide dictum vel reticitum fuit tanti momenti, ut assecurator nullatenus contraxisset, contractus fuit nullus, utpote vitiatus quoad substantiam[2], et insuper qui mala fide egit, tenetur de damnis. Quod si vitium subreptionis vel obreptionis non tanti fuit, ut alium a contrahendo deterruisset, sufficit congrua compensatio.

Praedicta intellige pro heredibus, si mors evenerit ante elapsum tempus sanandi contractus; solent enim societates assecuratrices clausulam sanationis apponere, vi cuius post certum tempus (puta 5 annos aut unum) contractum validum habent etiamsi assecuratus eas deceperit. Nam si elapso hoc tempore evenit, patet nihil esse restituendum[3].

---

id cedis ius ad 5 %. Ita certitudinem habes servandi capitale et percipiendi 5 %. Hic contractus, quoniam tres includit, vocatur « trinus », atque aequivalet mutuationi pecuniae. Propterea hodie inutilis evasit, quoniam pecunia facile collocatur.

1 De assecuratione Cod. Commerc. *arg.* a. 492 seqq., 1155 seqq., C. C. *br.* a. 1432-1470, Cod. Commerc. *chil.* a. 512-601, 1216 ad 1312, C. C. *hisp.* a. 1791-1797, *lus.* a. 1540, *mex.* a. 2705-2771.

De assecuratione super vitam Cod. Commerc. *arg.* a. 549 ad 557, C. C. *br.* a. 1471-1476, Cod. Commerc. *chil. a.* 2264-2283, C. C. mex. a. 2749-2755.

2 Cum societas assecurationis per examina medicorum et adiectionem poenarum sibi tutamen quaerat, putat Ferr., n. 1096 cum Lehmk. contractum forte posse dici rescindibilem ad nutum societatis; quare si causa celata in mortem non influxerit, heredes nihil teneantur restituere. Propterea, si accidit mors e morbo, qui tempore contractus prorsus ignorabatur, nihil restituendum, perinde enim est ac casus fortuitus, quem societas sustinere debet.

3 Nihilominus si assecuratus medicos corruperat, restitutio videtur urgere non obstante clausula sanationis; societas enim

b) **Sponsio**[1] est contractus ludo valde similis, quo aliqui **335** de veritate quadam contendentes aliquid spondent, ut sit eius, qui verum dixerit. Iustitia postulat 1° *ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur*, secus error committeretur in substantia contractus; 2° *ut eventus sit utrique incertus*. Casu, quo unus rem certo sciat, sponsio non valet, quia deest aequalitas; attamen si aperte manifestat se rem scire certo et alter nihilominus spondere perseveret, plures auctores[2] sponsionem censent validam. — Si sponsio fit de re illicita, v. gr. de patrando furto aut ingluvie, cf. dicta de contractu turpi n. 294. — Non paucae prodigalitates in sponsionibus committuntur. Et quamquam prodigalitas sit ex se peccatum leve, non raro tamen aliis gravibus ob neglecta officia augetur.

c) **Loteria** est contractus, quo emitur spes obtinendi rem sortiendam. Iustitia postulat, ut nulla sit fraus in educenda sorte. — Dominus loteriae debet schedulas eo pretio vendere, ut ex iis simul sumptis fere non plus lucri reportet quam alias in honesto negotio[3]; haberi tamen debet ratio periculi, cui forsan exponatur, non vendendi sufficientem schedularum numerum. Taxa praedicta excedi potest in loteria ad opus pium; tunc enim participantes, cum id sciant, in aliquam eleemosynam sponte consentiunt.

d) **Ludus** est contractus, quo aliqui consentiunt, ut res, **336** quam exponunt, victori cedat. Iustitia postulat 1° *ut ludens alienare possit ea, quae exponit;* secus contractus nullus est: nam sicut non potuit se obligare ad solvendum, si vinceretur, ita nec potuit ius acquirere ad accipiendum, si vinceret. Attamen qui pecunia ludit aliena, contractum init validum, si aliunde in propriis bonis habeat unde solvat, lucrumque suum facit, utpote suae industriae fructum. Ait Lugo[4] posse filium ex iis, quae a patre accipit ad studia, ludo exponere 5 %, cum is ludus moderatus videatur pertinere ad recreationem honestam; immo, addunt alii, etiam si aliquid parce vivendo sub-

---

non censetur pericula deceptionis velle suscipere, nisi supposito quod assecuratus ea non impediat media apta adoptare ad vitandam deceptionem.

1 De sponsione et ludo C. C. *arg.* a. 2085-2103, *br.* a. 1477-1480, *chil.* a. 2259-2263, *col.* a. 2283-2286, *gall.* a. 1965-1967, *hisp.* a. 1798 ad 18001, *lus.* a. 1541-1543, *mex.* a. 2772-2782, *ur.* a. 2142-2155.

2 Ap. S. Alph., n. 879 et Gén. S., n. 662.

3 Nam quanti valeat spes obtinendi rem ex una schedula, eruitur ex summa valoris rei et lucri honesti numero schedularum divisa. Si igitur lucrum quaeritur immodicum, pretium spei venditae erit inaequale.

4 Lugo, d. 31, n. 20.

trahat, modo plura a patre non petat. Advertit Lugo[1] eum, qui filiumfamilias in ludo vicit, nisi constet ex circumstantiis periculum probabile, quod is summam illicitam exponat, praesumere debere, quod licite alienat. Nihil restituere debet victor, si filiusfamilias amittit ea, quorum dominium habet, etsi administratio pertineat ad patrem aut tutorem. 2° *Ut absit coactio ad ludendum.* Attamen victor, qui alterum ad ludendum coëgit, probabiliter nihil restituere tenetur, etiamsi victus reclamet; non enim restituere debet ratione contractus, quia is non solum validus est (n. 300), sed probabiliter etiam irrescindibilis[2], cum victus nequeat iam restituere spem ab altero acquisitam; nec ratione damni, quia id probabiliter non ex coactione, sed ex infortunio sequitur[3]. Debet tamen victor, etiam non rogatus, partem lucri restituere iuxta mensuram peritiae, qua victum superabat. 3° *Ut uterque moraliter aequale habeat periculum*, ut evenit, si unus non est notabiliter peritior altero, vel si uterque ignorat alterutrius notabilem peritiae excessum. Quando autem unus scit se esse notabiliter peritiorem altero, distinguendum est: si is alter id quoque scit et nihilominus vult ludere, de iniuria conqueri non potest; si is alter id nesciat, alii dicunt contractum esse iniustum, alii vero minus peritum debere sibi imputare, quod ausus fuerit ludere cum eo, cuius peritiam perspectam non habebat; supponitur tamen peritiorem non fingere positive aequalem aut minorem peritiam, id enim dolo verteretur[4]. Certe iustus est ludus, si notabiliter peritior concedit inferiori maius commodum, ut res ad aequalitatem reducatur. 4° *Ut non committantur fraudes*, v. gr. si quis suffuratur chartas aut eas a tergo signat aut utitur signatis aut arte eas componit, ut meliores sibi contingant, aut se ita collocat, ut videre possit chartas adversarii, aut alium constituit a quo admoneatur, aut dicit se habere chartas, quas non habet, aut fraudulenter numerat pro se plura puncta etc.; fraudator tenetur restituere lucrum fraude acquisitum, et insuper, si adversarius habebat maiorem probabilitatem vincendi remota fraude, aliquid pro hac spe fraudata rependendum est. Non sunt tamen iniustae eae astutiae, quas secundum regulas lusus consuetudo patitur, etiamsi alter eas ignoret, quia contractus censentur fieri iuxta consuetudines loci (n. 302), v. gr. si potiores chartas habens et securus de victoria augeas sponsionem vel simules metum, ut adversarius augeat; si sciens te inferiores chartas habere dissimules augeasque sponsionem, ut alter timeat et relinquat

---

1 Lugo, ibid., n. 22.
2 Lugo, d. 31, n. 28 contra S. Alph., n. 880 et 717.
3 S. Alph., loc. cit. contra Lugonem, loc. cit.
4 Cf. Lugonem, d. 31, n. 44 seqq.; S. Alph., n. 881.

tibi, quod appositum erat; si inspicias chartas alterius ex sola ipsius negligentia; si chartas discas a tergo agnoscere inter ludendum, quas antea nec signaveras nec noveras[1].

In ludo lege prohibito victus non tenetur solvere, si lex huiusmodi ludum fecit irritum, vel saltem concedat victo ius repetendi solutum, aut saltem dicat victum non cogi ad solvendum[2]. Victor non tenetur lucrum restituere ante sententiam iudicis, nisi adsit lex, quae ipso facto irritet. 337

---

1 Cf. LUGONEM, d. 31, n. 33 seqq.; S. ALPH., n. 882.

2 Quotquot auctores consuluimus defendentes non teneri victum solvere debita ex ludo prohibito, vel ex proposito de hac re agentes (SALMANT., tr. 14, c. 4, n. 62; SÁNCHEZ, *In Decal.*, l. 2, c. 23, n. 144; *De Matrim.*, l. 6, d. 33, n. 34; LUGO, d. 22, n. 300-302, d. 31, n. 69, 70; S. ALPH., n. 890; BALL. P., tr. 8, p. 3, c. 2, n. 607-612; WAFFELAERT, I, n. 710), supponunt dari legem, prout accidebat in Iure romano, concedentem ius repetendi in iudicio, quod solutum fuerat in ludo prohibito, in eaque lege nituntur. Quod vero lex ludum prohibens ipso facto censeri possit « obligationem naturalem solvendi in poenam victoris sustulisse », legere non potuimus nisi apud LEHMK., n. 1372, qui tamen satis obiter id dicit, et apud FERR., n. 1103, qui forte id a LEHMK. desumpsit nam LUGO et SALMANT., quos affert, id non dicunt. Nimis cito igitur nobis videntur isti intentionem annullandi tribuisse legi mere poenali. Fatemur quidem aliquod discrimen affulgere inter ceteras leges prohibitivas, v. gr. venationis, exportationis quarumdam mercium etc., atque eas, quae ludos aleae prohibent; ceterae enim satis suum finem attigisse censentur, si in sensu mere poenali sumantur, istae vero nimis imperfectae videntur ad finem suum assequendum, exitialem nempe ludi plagam coercendi, nisi in poenam victoris obligationem solvendi a victo auferant. Sed leges id, si revera intenderunt, aliquo tandem modo insinuare debuerant; proinde non satis motivi apparet, ut leges voluisse dicamus, quod quidem velle convenientissimum fuisset, sed quod voluisse illae non satis significarunt. Profecto si probabile esset leges, eo ipso quod ludum prohibent, posse in hoc sensu accipi, miramur rationem adeo obviam non allegasse in favorem suae sententiae auctores, qui de hac re tam late disputarunt.

In plerisque Nationibus, quorum Iura persequi solemus, non exsistit lex concedens victo in ludo prohibito ius ad repetendum in iudicio, quod iam solverit, immo leges actionem repetitoriam illi omnino denegant, ut habes in C. C. *arg.* a. 549 (5°), 2097, *br.* a. 1477, *chil.* a. 1468, *gall.* a. 1967, *hisp.* a. 1798, *ur.* a. 2150.

E contra concedunt actionem repetendi soluta ex ludo prorsus aleatorio (v. gr. taxillorum), C. C. *col.* a. 2283 reformato per legem 153 anni 1887, *lus.* a. 1542 (2°), *mex.* a. 2776. Ibi ergo licebit victo debitum non solvere. Idem victo concedi debet ex C. C. *br.* a. 1477, qui generaliter ait « As dividas de jogo, ou aposta, nâo obrigam a pagamento », et ex C. C. *arg.* et *chil.*, qui etsi in locis nuper citatis denegant actionem repetendi, volunt tamen, C. C. *arg.* a. 536 cum lege 4097 diei 6 aug. 1902 et C. C. *chil.* a. 2259, 1445, 1466, 1467 in ludis omni ex parte aleatoriis non adesse obligationem solvendi. Idem quoque dicendum est ex Iure *hisp.;* nam, cum in C. C. a. 1798 denegetur actio propter debita ex ludo prorsus aleatorio, aliunde vero in a. 1801 concedatur actio propter debita ex

Magnam pecuniae summam una vice exponere probabilius est mera prodigalitas, ideoque ex se peccatum leve; saepe tamen gravia peccata admiscentur ob periculum impotentiae ad solvendum creditoribus, ad alendam familiam etc. — Aliqui [1] sentiunt non esse inquietandos in tribunali Poenitentiae eos, qui nollent solvere magnam pecuniae summam, quam in ludo amisissent [2].

---

ludo non prohibito (« el que pierde en un juego o apuesta de los no prohibidos, queda obligado *civilmente* »), sequitur ludos prorsus aleatorios esse prohibitos; iam vero ex C. C. *hisp.* a. 1275 nulla hinc oritur obligatio. — Victum in ludo prohibito posse absque iniustitia debitum denegare, etiam si ab initio animum habuerit utendi beneficio legis, tuetur Lugo, d. 31, n. 53-56, dummodo vere voluerit manere obligatus; verum subtilem huiusmodi distinctionem servaveritne qui lusit animo non solvendi, quis unquam poterit scire?

Ubi autem nulli ludi prohibentur lege, obligatio solvendi semper exsistit (vide tamen mox dicenda de debitis excessivis ex ludo), non enim applicari poterunt leges (si ibi exsistant) annullantes obligationem ex causa lege prohibita, si ludus non computatur inter lege prohibitos. Nec sufficient prohibitiones municipales aut politiales, hae enim non sunt leges proprie dictae, ad quas referuntur Codices, cum de legibus meminerunt. — Ubi vero exsistunt quidem leges proprie dictae quosdam ludos prohibentes, sed nec actionem victo tribuentes repetendi soluta, nec obligationem solvendi annullantes, non videmus satis esse motivi ad applicandum, quod Lehmk. et Ferr. significarunt. Multo minus id applicari potest, si solae exsistant leges municipales; hae enim impotentes sunt per se sive tollendi obligationes naturales sive facultatem dandi rescissionis; nihil aliud facere possunt nisi victori debitum denegare *in poenam*, sed victus nequit *poenam* imponere, donec ab auctoritate publica infligatur.

1 Ferr., n. 1104 et Gén. S., n. 661.

2 Bene notat Gén. S., loc. cit. non videri id applicari posse, quando obligatio ludi non consistit in promissione dandi peracto ludo, sed ab initio summa exponenda collocatur in medio supra mensam; tunc enim locus non est fundamento illius sententiae, nempe non dari obligationem validam ad committendum vitium prodigalitatis; prodigalitas enim iam perpetrata est et pecunia fit alterius eo ipso, quod evadat victor, quin opus sit ut sequatur pecuniae traditio.

Ex C. C. *arg.* a. 2090, *gall.* a. 1966, *hisp.* a. 1801 iudex imminuere potest debita ex ludo etiam licito, si videantur nimia (intellige v. gr. fortunae debitoris improportionata, vel excedentia mores boni patrisfamilias). Similis dispositio non habetur in C. C. *col.*, *lus.*, et *mex.*, utpote inutilis; datur enim ibi victo actio repetendi quod solverit; nec in C. C. *br.* et *chil.*, in quibus iam datur saltem actio ad non solvendum. Quod vero illa dispositio reperiatur in C. C. *arg.*, cum in Rep. Argent. dixerimus quoque tolli victo obligationem solvendi, mirum non est; nam hoc postremum non eruebatur ex Codice: deerat enim in eo lex quaevis certorum ludorum prohibitiva, nec ulla data fuit nisi multis post annis (anno 1902) a promulgatione Codicis.

e) **Speculationes Bursae**[1] licitae per se sunt, si regulae **338**
serventur, quae praesertim pro contractibus aleatoriis sunt datae, maxime enim reducuntur ad contractus sponsionis. Illi-

---

[1] Bursae speculationes, ludi vel operationes vocantur eae praesertim, quae in huiusmodi publico mercatu valorum variabilium peraguntur ad creditum.

Illarum materia sunt iura incorporea, v. gr. tituli debiti publici, actiones, obligationes alicuius societatis viae ferreae, industrialis, commercialis; vel etiam merces, v. gr. triticum, lana.

Multis modis fiunt illae operationes, quorum frequentiores sunt:

Tituli (idem dic de quibusvis aliis iuribus incorporeis vel mercibus) emuntur nunc pretio currenti, sed nec pretium nec tituli tradendi sunt usque ad diem *liquidationis*, quae solet esse 15ª vel ultima mensis (operatio *ad terminum*, *operación a plazo*, *marché à terme*), in qua emptor sperat titulos pluris valituros (is dicitur ludere *ad elationem*, *jugar a la alza*, *à la hausse*) ideoque se lucrum reportaturum, nam v. gr. poterit illa die titulos alii vendere maiore pretio. E contra venditor sperat die liquidationis pretium fore minus (is dicitur ludere *ad depressionem*, *jugar a la baja*, *à la baisse*), ideoque sibi lucrum obventurum.

Saepe die liquidationis nec pretium solvitur nec tituli traduntur, sed is, quem spes fefellit, solvit alteri differentiam, quam amisit; v. gr., si die liquidationis pretium titulorum crevit, venditor solvit emptori incrementum. Propterea saepe istiusmodi operationes fiunt, quin nec venditor titulos aut merces ullas habeat (operatio dicitur *aperta*, *jugar al descubierto*, *à découvert*) nec emptor pecuniam ad titulos aut mercem emendam. His in casibus operatio reducitur ad sponsionem circa eventum futurum et sufficit, ut contrahentes habeant unde solvant *differentias*, nempe incrementum valoris seu *reportum* (*le report*), vel decrementum seu *deportum* (*le déport*).

Per se die liquidationis neuter contrahentium ius habet recedendi a contractu (*operación firme*, *opération ferme*), possunt tamen ita ex nunc pacisci, ut emptor sibi reservet ius recedendi certo die, v. gr. pridie liquidationis, dummodo pro huiusmodi iure, quod certe est pretio aestimabile, solvat nunc venditori certum *praemium* (*marché libre à prime*, *a prima para el tomador*), vel e contra ita pacisci, ut emptor venditori concedat ius recedendi soluto nunc certo praemio (*a prima para el cedente*). Patet eum, qui ius sibi reservat, non plus amittere posse quam praemium nunc solutum, posse tamen quovis lucro frui, si successus illi faveat. Praemii quantitas regulari solet in ipsa Bursa

Ex his operationibus simplicioribus aliae exsurgunt complexiores, quarum exemplum sequens proponimus, desumptum ex Gury, *Casus*, circa finem tomi 1[1].

Cornelius, emissarius Bursae, titulos pro cliente suo emit valore currente 70 %, quos accipiet et solvet die 15ª mensis. Scit profecto clientem suum pecuniam ad solvendum non habere, sed titulos alteri vendet ipsa die 15ª, in qua sperat valituros 71 %, et solvet, quod ex hac venditione obtinebit. Ut vides, Cornelius operatur *ad terminum*, *ad elationem* et *aperte*.

Die liquidationis contra ac Cornelius ratus fuerat, tituli valent 69, 50 %. Cum igitur nolit damnum pati et aliunde speret die ultima mensis valorem auctum iri ad 71 %, en quid faciat: Coram pluribus emissariis ait se velle operationem differre usque

citae tamen redduntur saepe tum ob periculum laedendi officia magni momenti (solvendi creditoribus, familiae alendae, etc.), quod magnam summam exponendo incurritur, tum ob iniustitias, ad quas lucri aviditas impellit, quarum praecipuae sunt: 1° spargere falsos rumores, prosperos vel adversos, operistitia excitare etc., ut pretium valorum artificiose crescat vel decrescat; huius iniustitiae cooperatores esse possunt, qui nuntia in ephemeridibus admittunt. Qui certo scit pretium artificiose esse imminutum videtur non posse eo pretio valores emere, immo videtur teneri ad id manifestandum, quamvis sciat ex secreto commisso [1]; 2° coemere magnum valorum numerum, et hoc quasi monoplio efficere, ut pretium artificiose immutetur.

Caput 8. DE VIII° PRAECEPTO

Art. 1. De mendacio.

339 **Mendacium** definitur ex verbis S. Augustino [2] desumptis «locutio contra mentem ad fallendum prolata», vel potius simpliciter «locutio contra mentem»; quod enim quis intendat fallere alterum, id, ait S. Thomas [3], «non pertinet ad speciem (seu essentiam) mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius».

Cum igitur mendacium consistat in oppositione locutionis et mentis, haec autem oppositio sit innaturalis seu contra finem naturalem loquelae (nam ideo loquelam natura homini dedit, quia medium est humano convictui et societati necessarium, porro loquela humanae societati necessaria est loquela conformis menti), propterea dici debet intrinsece malum.

---

ad alios quindecim dies (hoc vocatur *se faire reporter*), velitne aliquis eorum suos titulos emere. Plures se offerunt, sed Cornelius acceptat Laelium, cum quo sequens pactum init. Laelius hodie accipit a Cornelio illos titulos soluto valore currenti 69.50 % sub ea condicione, ut post quindecim dies Cornelius eosdem iterum emat valore 70.50 %.

Haec secunda operatio speciem habet pecuniae datae Cornelio in mutuum acceptis titulis in pignus, ideoque videtur foenus 1 % acceptum post quindecim dies esse valde nimium. Re vera tamen non est iste contractus mutui, quoniam multum immiscetur aleae; nam etsi Laelius certo reportabit lucrum 1 %, tamen non plus accipiet, quamvis forte valor titulorum multo plus crescat. Nihil paciscuntur, nisi retrovenditionem iuxta valorem, qui creditur tunc probabiliter futurus. Cf. Ball. P., tr. 8, p. 3, c. 2; Ferr., *Theol. mor.*, n. 1106 seqq. et Casus I ad finem; Waffelaert, I, n. 654.

1 Ferr., n. 1112.

2 S. August., *Contra mend.*, c. 4.

3 S. Thom., 2. 2. q. 110, a. 1 in c.

Potest tamen aliquando per accidens oppositio locutionis et mentis fini loquelae seu humanae societatis bono non adversari, immo forte huic bono adversari mentis et locutionis conformitas, et tunc locutio contra mentem est licita, sive dicatur proprie non esse tunc mendacium, utpote quod in definitione mendacii subintelligatur «locutio contra mentem, fini naturae adversa », sive nulla subintellectione facta dicatur mendacium esse per accidens licitum, quando scilicet desinit ratio suae malitiae.

Atque id quidem non obstat, quominus mendacium dici debeat intrinsece malum.

Nam alia sunt intrinsece mala, quorum malitiae ratio *numquam* deficere potest, quia huius malitiae cessatio est metaphysice impossibilis, v. gr. odium in Deum; metaphysice enim impossibile est Deum esse unquam odio dignum, siquidem in terminis repugnat Deus malus. Haec intrinsece mala *strictissimo cum rigore* dicuntur « *semper mala* ».

Sed alia intrinsece mala sunt, quorum malitiae ratio potest *per accidens* deficere; quod si dicuntur « semper mala », ideo est, quia ratio malitiae supponitur subsistere. Sic dicimus homicidium intrinsece malum, quia occisio hominis opponitur directe societati humanae; at potest per accidens non opponi, v. gr. in iniusta aggressione, immo potius humanae societati opponeretur propriae defensionis in huiusmodi casu prohibitio. Pariter intrinsece mala est mutilatio, cum nemo dominium habeat corporis: potest tamen per accidens homo mutilationem aggredi non ex attentatione dominii, quod non habet, sed vi iuris administrationis, quod habet circa corpus proprium, et v. gr. membrum putre abscindere, ut vitam servet. Denique intrinsece malum est cooperari volenti peccare, quia eadem censetur agentis principalis et cooperatoris actio, quamvis diverso modo cuique eorum imputetur; sed desinit esse malum, si fiat iuxta regulas licitae cooperationis; ideo enim tunc licet, quia in talibus adiunctis actio agentis principalis cooperatori iam nequit imputari.

Locutio igitur contra mentem est intrinsece mala, ideoque semper mala, quamdiu tamen ratio eius malitiae non deficiat. Atqui potest aliquando deficere, idque accidit, quoties quis ad secretum omnino teneatur nec aliud medium suppetat nisi negare veritatem, vel dicere se nescire, vel quid confictum, si medium aliud non suppetit, obtrudere. Magnum enim malum esset societati, si homines secreta professionalia prodere tenerentur, quando ad illa tegenda aliud medium non suppeteret nisi locutio contra mentem. Nec dicas adiuncta hominis sacerdotis, medici etc. iam sufficere, ut interrogans imprudenter credat, ideoque responsionem non esse mendacium, sed continere in his adiunctis restrictionem mentalem latam; ne, inquam, id dicas, nam accidere potest, ut huiusmodi adiuncta ignorentur, v. gr. si quis hominem confessarium interroget, an tale crimen noverit, nesciens hominem esse sacerdotem. Nec dicas licere quidem veritatem negare vel nescientiam allegare, non autem, etsi aliud medium non suppetat, confictum quid obtrudere, utpote quod includat intentionem directam inducendi in errorem, quae est intrinsece mala; nam praeterquam quod haec intentio etiam implicite continetur in aperta negatione

veritatis et in affirmatione falsa nescientiae, potest rursus responderi, quod haec intentio desinit esse mala quando alter desinit habere ius, ne inducatur in errorem; desinit autem ille hoc ius habere, quando, quovis alio medio deficiente et hoc unico remanente cedere debet iuri altiori humanae societatis exigentis medium necessarium, ut secreta professionalia non pandantur. Fere sicut licet innocentem damnare ad mulctam vel exsilium iudici innocentiae privatim conscio et nullum medium habenti quo id declinet, quamvis damnatio innocentis sit intrinsece mala; nam desinit esse mala, quando ille desinit habere ius ut non damnetur; desinit autem ius habere, ne damnetur in bonis fortunae vel in vitae commodis, quando quovis medio deficiente ut evitetur, hoc ius debet cedere iuri altiori societatis requirentis, ut serventur omnino procedurae legales.

Hucusque exposita discedunt quidem a communi modo loquendi in hac materia, iuxta quem mendacium est simpliciter oppositio locutionis et mentis, nulla explicatione addita, et illicitum semper, nulla exceptione admissa. Sed certe aliqua explicatio excogitanda est, ut conciliari possint haec duo sat communiter recepta: non licere unquam verba proferre menti opposita, et licere secretum celare etiam, si opus sit, negata veritate.

Non desunt quidem, qui malint difficultatem de medio tollere aientes sine haesitatione mendacium esse aliquando licitum. Nimis id quidem aperte adversatur communi Doctorum asserto. Propterea maluimus dicere, id in casibus, quibus dicitur licere, non esse mendacium, vel quia non verificatur definitio communis, si debite explicetur, vel quia cessat ratio malitiae mendacii. Specie igitur magis quam re Doctoribus adversamur; ab eorum verbis propter necessitatem discedimus, non ab eorum mente.

Alii vero, ut illam conciliationem faciliorem redderent, maluerunt definitionem mendacii mutare in hanc: «mendacium est negatio veritatis debitae» (Cf. opus. *Etude sur la malice intrinsèque du mensonge*, Parisiis 1899; *L'Ami du Clergé*, 2 iulii 1896, cf. etiam ibid. a. 1910, pag. 301, 471, et a. 1912, pag. 358, 360). Quae quidem definitio cum alia communi, prout hucusque fuit explicata, in idem recidit; haec quidem nova definitio expeditius difficultates praecidit, praebet tamen facilius abusibus ansam, cum nullatenus definiat, quandonam veritas desinat deberi in ordine ad posse eam negari conscie; putamus enim non posse negari, nisi ex gravissimo motivo boni totius societatis, nam veracitas in loquendo est societati quam maxime necessaria. E contra definitio communis, etsi largiorem explicationem postulet, ut cum difficultatibus nonullis concilietur, clarius exprimit conceptum vulgarem mendacii, abusibus non patet, in quos homines tam facile in hac materia laberentur, auctoritate denique et longo usu magis commendatur.

Atque haec dicta sunto pro casibus rarissimis, in quibus secretum nequit pandi nisi ope alicuius dicti conscie prolati contra mentem, quin ex adiunctis alium sensum induere possit, ideoque necessario prolati cum intentione non mere celandi veritatem, sed inducendi in errorem. Casibus, inquam, rarissimis: nam alii nunc in mentem non veniunt nisi ii, in quibus homo interrogetur de rebus, quas e sola professione norit et secretas servare tenea-

tur, ab eo, qui eius professionem ignorat, vel ab aliquo professionis quidem gnaro, sed tam simplici obtusoque ingenio, ut nullatenus apprehendat huiusmodi homines in multis ad secreta teneri.

Nam in aliis casibus, quando condicio professionis ab interrogante noscitur, id nullam difficultatem patitur propter doctrinam de mendacio. Etenim quando adiuncta satis indicant locutionem, qua sono tenus negatur aliquid, posse in mente loquentis significare necessitatem tegendi veritatem, iam non agitur de mendacio sed de restrictione late mentali. Possunt ergo confessarii, medici, advocati, ministri Reipublicae etc. dicere statim se nescire, vel, si opus est, negare veritatem, si de rebus sui officii, quae secreto servari debeant, interrogentur; cum enim interrogans eorum officia norit insipienter eis credet circa haec negotia respondentibus, ideoque si credit, error propriae credulitati, non alterius dicto imputandus erit. Et quamvis nesciat is res, de quibus interrogat, pertinere ad materiam professionalem, potest tamen alter idem ac antea, respondere; debet enim cordatus quisque scire in huiusmodi hominum responsis semper subintellectum latere: « Ita est, nisi id, quod interrogas, ad secreta professionis pertineat ». Et quoniam iam non versamur circa proferendam locutionem prorsus falsam, sed ex adiunctis reapse veram, seu circa restrictionem late mentalem, nullo modo exspectandum erit motivum illud gravissimum boni socialis, sed quodvis aliud pro circumstantiis satis rationabile sufficiet ad idem respondendum cuivis de re aliqua imprudenter interroganti, v. gr. de statu fortunae vel de discordiis familiae; cum enim ille imprudentiam suam, si recogitet tantisper, deprehendere possit, bene suspicari poterit in responso latere forte evasionem veri, ideoque si credit, non alteri sed propriae imprudentiae tribuere debebit (vel dic, si mavis iuxta alteram definitionem, hominem posse nosse veritatem ipsi non deberi).

Adverte denique difficilius licere negare veritatem quam dicere « nescio »; facilius enim suspicantur homines in hoc responso latere posse subterfugium, difficilius in negatione veri, nisi alter aliquo modo instet; quod si adeo instat, licet etiam conficta obtrudere; tunc enim ipsa haec imprudentissima instantia motivum illi praebere debet ad suspicandum, quod illa forte nonnisi ex necessitate instantiae conficta sint, ideoque non cessat locutio esse restrictio late mentalis. Saepe tamen in praxi non tantus locus datur reflexioni, ut servari possit haec gradatio, fere sicut subita aggressione exorta difficile est servare moderamen inculpatae tutelae.

Mendacium est ex se peccatum veniale; potest tamen gravitas ei adiungi aliunde, v. gr. ratione gravis damni illati.

Mendacium est: 1° Sive locutio fiat verbis formalibus sive gestibus sive actione aliqua; haec enim aequivalent verbis. Attamen non est mendacium ponere actionem, quae nihil falsum in se significat, etsi inde alii aliquid falsum erronee deducant, v. gr. si sacerdos induat vestem saecularem, ut lateat persequentes.

2° Dicere aliquid quod putatur falsum, etsi deinde deprehendatur fuisse verum.

3° Si locutio falsum sonat et tantummodo fit vera per aliquid adiectum in mente loquentis, quod neque in se neque ex adiunctis potest percipi, v. gr. si dicas «cras pergam in oppidum vicinum», mente subintelligendo «in spiritu vel desiderio». Haec restrictio vocatur pure mentalis.

340 *Mendacium non est*: 1° Dicere quod putatur esse verum, etsi deinde deprehendatur falsum.

2° Si verba in sensu obvio habent sensum falsum, sed tamen hic et nunc ob aliquam circumstantiam exterius perceptibilem admittunt sensum diversum. Hanc restrictionem vocant late mentalem. V. gr. si conviva laudet cibos insipidos, perperam verba sumerentur ut sonant, notum est enim haec saepe proferri ad captandam gratiam vel ad urbanitatem; item si aliquis interrogatus de rebus secretis officii sui respondeat «nescio» vel aliud simile; attentis enim circumstantiis personae idem sonat ac «sive ita sit sive secus, non est prudens ut dicam»; si aegroto quaedam grata dicas, quaedam ingrata neges; debet enim ipse meminisse homines sic agere in his adiunctis, ut sanitas facilius recuperetur; si ad dirimendos rixantes vel ad compescendum blasphemantem aliquid dicas falsum, adiuncta enim manifestant intentionem, ac proinde imprudenter tibi crederetur; si famulus dicat dominum exiisse vel non esse domi; nam ob consuetudinem nihil amplius significat nisi eum non esse visendum. Ad restrictiones late mentales reduci possunt plures locutiones generales, quibus mercatores res suas extollunt; imprudenter enim iis fides adhiberetur.

341 *NB.* — 1° Restrictio pure mentalis illicita est sicut mendacium, restrictio autem late mentalis est licita, si fit ex iusta causa (immo, si opus est, potest etiam iuramento firmari); nam cum attentis adiunctis locutio obscure quidem, sed tamen vere contineat sensum intentum, non est contra mentem ideoque nec mendacium[1]; qua tamen sine causa uti non licet, secus passim homines sibi invicem diffidere deberent[2]. Restrictione late

---

1 Inde tamen non sequitur v. gr. mercatores iuramento firmare posse exaggerationes plures ab ipsis usitatas; eae enim tunc tantum non sunt proprie mendacia, quando sine protestatione seria (quale esset iuramentum) proferuntur; sola tamen usurpatio verbi «iuro» in ordinariis adiunctis verum iuramentum non sonat, ut notavimus in n. 140.

2 Restrictione late mentali licere uti ad tegendam veritatem, quando eam tegi interest, v. gr. respondere se nihil pecuniae habere secum, quando alius in commodatum postulat, admittunt

mentali uti non licet, quando interrogans ius habet ad plenam veritatem, v. gr. in contractibus celebrandis vel in legitimo iudicio. Iurare sine causa cum restrictione late mentali non esset plus quam veniale; grave tamen quando, ut diximus, interrogans ius habet ad plenam veritatem.

2° « Quacumque ratione res explicari debeat, istud in dubium vocari nequit: oportere ut praesto sit omnibus, non tan-

---

omnes. Sed hoc quidem non satis efficaciter probares, ut faciunt aliqui, ex eo solum, quod locutio duplicem sensum habeat, alterum litteralem sola vi verborum falsum (non habeo pecunias), alterum ex adiunctis, quae audientem non latent, verum (nolo commodare pecunias), invocando deinde principium expositum in n. 8 in hoc sensu, quod homo unum sensum eligit, alium permittit. Haec ratio, inquam, non est efficax. Nam etsi homo, dum illud profert, habet in mente sensum verum, tamen nec intendit ut ab altero intelligatur sensus verus, ut patet, nec ut intelligatur falsus, quia fallere non intendit (non enim licet data opera inducere in errorem per locutionem, nisi ex gravissimo motivo generali societatis humanae, ut diximus). Ratio, ergo, cur illud respondere licet, debet esse quia cum locutio per se dubii sensus sit, nequit esse causa per se erroris; error ergo causatur per accidens ex simplicitate alterius qui sensum falsum eligit. Potest ergo homo hoc medium ambiguum, quod praevidet fore occasionem (non causam) eroris, apponere ex iusta causa cum intentione occultandi veritatem, errorem vero permittere; fere, sicut licet cum iusta causa apponere occasionem peccati (n. 96), non intendendo peccatum, sed v. gr. explorationem indolis ignotae alicuius. Dices forsan, quod occultatio veritatis praecise obtinetur ex errore alterius; ideo enim non revelatur veritas, quia alter falsum sensum assmpsit, proindeque nequit directe occultatio illa intendi, quin directe intendatur error. Sed id non est verum, nam potius ideo non revelatur veritas, quia alter sensum verum non assumpsit; occultatio veritatis exinde provenit, quod illa locutio cum ambigua sit, per se non manifestat veritatem; et praecise hanc ob causam homo illam eligit, quia ex una parte videt, quod illam proferendo verba non erunt menti opposita (ea enim proferet habens in mente sensum, quem circumstantiae reddunt verum), ex alia, quod connexionem per se non habet cum sensu vero, ideoque quod alteri non necessario ingeret sensum verum; quod autem occasionem errandi praebebit, id permittet ex iusta causa. Potius ergo dicendum, quod ideo non revelatur veritas, quia alter verum sensum non assumpsit; nec mirum est non assumpsisse, quia hunc sensum per se locutio non exprimebat.

Cum de restrictione late mentali loquimur, non de pluribus illis formulis loquimur, quae in quibusdam circumstantiis sensum litteralem exuerunt et alium diversum ex consuetudine induerunt; cum igitur hunc tantum retineant, ambiguae non sunt ideoque ne restrictiones quidem latae dici debent. Poterunt ergo usurpari nullo respectu habito ad iustam causam. Sic v. gr. si salutatus interrogaris de statu valetudinis, poteris dicere te bene valere; est enim ex consuetudine formula merae urbanitatis, nec enim alter intendit serio, ut molestias valetudinis adversae declares. Idem dic de locutionibus, in quibus satis se prodit iocus, metaphora vel hyperbole, v. gr. « adeo claudus, ut gradiens terram quatiat barba », vel « venati sumus cuniculos magnos ceu canes ».

tum doctis sed et rudibus, practicum medium, quo secreta sua ab importuno investigatore tueri queant. Quare ubi constat adesse necessitatem tuendi secreti, non est scrupulose procedendum, sed sine haesitatione eligi potest ea respondendi ratio, quae ad secretum servandum necessaria videatur. Nam cum semper detur legitimum medium ad hunc finem obtinendum [1], hoc autem unicum appareat, licet istud arripere, quamvis forsan non distincte cernatur, quomodo e verbis ipsis vel e circumstantiis verus sensus locutioni subsit» (Génicot) [2].

Art. 2. De detractione.

342 **Detractio,** quamvis definiatur laesio iniusta alienae famae, fama autem consistat in bona existimatione apud multos, tamen laesio huius bonae existimationis apud singulos est etiam detractio; nam his existimationibus singulorum tamquam partibus constituitur existimatio illa communis, quam famam dicimus.

Detractio fieri potest non solum directe, seu clare manifestando peccatum alienum, sed etiam indirecte, v. gr. bonum opus alterius negando, frigide laudando etc.

Omnes detractiones, sive directae sive indirectae, sive in hac sive in illa materia, sunt eiusdem speciei [3]. Nec differunt specie detractio simplex seu manifestatio criminis *veri* et calumnia seu manifestatio criminis *falsi* (haec illi tantum addit malitiam mendacii); utraque enim laeditur idem bonum proximi, nempe eius fama; nihilominus saepe debebit has distinguere confessarius, praesertim ad videndum quatenus urgeat obligatio famae restituendae, ut mox dicemus.

Potest detractio in sua specie esse levis et tamen fieri gravis aliunde, v. gr. ob grave nocumentum, quod alteri affert in bonis fortunae.

343 1. **Gravitas** *detractionis desumenda est ex gravitate damni, quod alter in sua fama censetur pati*, et non praecise ex gravitate peccati revelati; potest enim detractio esse levis cum manifestatione criminis gravis, ut si de iuvene saeculari parum pio dicas desiderare illum feminam ad peccandum, vel hunc militarem commisisse duellum [4]; e contra potest esse gravis

---

1 Viva, *in prop. 26 et 27 ab Inn. XI damnatas*, n. 11.

2 Ita Génicot, I, 416 (edit. 1900), qui locus a primis praeclari illius Auctoris editionibus celebritatem quamdam obtinuit. Explicationem satis dedimus nuper in una ex notis praecedentibus.

3 Lugo, *De Poenit.*, d. 16, n. 265.

4 Bus. ap. S. Alph., n. 967. Ratio est, quia, ait Ball. P., n. 42, quaedam peccata mortalia a personis certae condicionis tam frequenter committuntur, ut de illis quasi iam praesupponantur; adeoque de persona huiusmodi referre certum peccatum mortale parum minuit eius famam.

manifestatio peccati levis aut etiam personae detractae inculpabilis, ut si de Episcopo dicas illum esse mendacem vel spurium. Ut igitur iudicetur, quantum detrimenti patiatur fama proximi, perpendenda sunt duo, nempe: *a*) *pondus intrinsecum narrationis*, scilicet quantum damni narratio ex se apta sit causare in fama, quod deducitur perpendendo *quid* narretur et *de quo* narretur, et *b*) *pondus extrinsecum narrationis*, scilicet quantum damni *hic et nunc* narratio causatura sit in fama, seu quod idem est, quantum fidei adhibituri sint audientes, quod deducitur perpendendo *quis* narret et *coram quibus*. Proinde attendi debet:

1° *ad rem quae narratur*, ut per se patet.

2° *ad personam detrahentem*, utrum ab aliis habeatur ut prudens et discreta, an ut garrula et levis; multum enim haec valent ad conciliandam fidem vel secus.

3° *ad personam detractam*, num bonae, num malae famae sit etc. Sic grave esset dicere de sacerdote, quod sit amans puellarum, non esset grave dicere de milite, quod habeat concubinam (Bus., loc. c.).

4° *ad personas, coram quibus detrahitur*, num narranti fidem facile daturi sint, num rem narratam parvi faciant statimque oblivioni dent etc.

NB. — 1° *Manifestatio defectuum naturalium* generatim **344** minus laedit famam quam illa defectuum culpabilium, ideoque dicere v. gr. aliquem esse imprudentem, stupidum, spurium etc. solet esse leve. Idem dicendum, si tantum in genere dicas aliquem esse superbum, iracundum, invidum etc., quia audientes plerumque interpretantur de naturali propensione, neque ea propalare solent sicut facta determinata (Bus. ap. S. Alph., n. 967).

2° *Quando res narratur praemittendo «fertur, audivi etc.»*, generatim non peccatur mortaliter, quia infamatio ob defectum fidei in audientibus plerumque non est gravis. Excipe tamen *a*) si id refertur tamquam auditum a fidedigno; tunc enim iure res creditur; *b*) si res adeo enormis est, ut etsi ut dubia tradatur, sola suspicio graviter infamet, v. gr. sodomia de sacerdote; *c*) si audientes adeo sint leves aut malitiosi, ut facile credituri sint; in hoc casu tamen detrahens laederet solam caritatem, non iustitiam, quoniam actio non est ex se efficax ad infamiam.

3° *Dicere in genere* «est aliquid, quod si manifestarem, eum gravi rubore afficeret» potest esse gravis detractio, quia audientes male sentiunt de proximo et forsan aliquid peius cogitant quam sit verum.

4° *Qui infamis est in una materia*, famam servat in alia prorsus diversa; sic non licet de publico ebrioso dicere, quod fornicetur, vel de publico concubinario narrare furtum. E contra nullum peccatum est vel leve, dicere de publico ebrioso, quod hodie occulte se inebriaverit vel cum uxore rixatus sit, vel de publico adultero, quod hodie miserit litteras amatorias.

5° *Detrahere de aliquo, quem audientes nec noverunt nec noscent*, etsi nominetur, non est grave; nec detrahere de aliquo indeterminato, v. gr. in tali regione sunt multi impudici. Grave tamen esset dicere de aliquo determinato Ordine religioso vel monasterio, quod aliquis (tacito nomine) fornicationem commiserit, vel quod ibi non servetur disciplina religiosa etc., nisi haec sint prorsus notoria.

6° *Prolata sententia iudiciali* reus iuste spoliatus est sua fama, ideoque eius crimen ubique pervulgari potest; si tamen de eius emendatione constaret, caritas iuberet, ut id narrationi adderetur.

345 7° *Crimen, quod evasit publicum*, (etiamsi ita evaserit per iniustitiam detrahentium) manifestare licet non solum ceteris eiusdem loci aut in iis locis, ad quae notitia mox perventura est, sed etiam iuxta sententiam probabilem in iis, ad quae numquam esset perventura. Ad dignoscendum autem quandonam res dici possit publica, assignat S. Alph. cum multis[1], si in communitate octo personarum illud sciant quatuor, vel si centum personarum illud sciant quindecim, vel si mille, illud sciant viginti diversarum familiarum. Nulla tamen aptior regula quam haec: res evasit publica, quando attento communitatis numero, garrulitate personarum aliisque circumstatiis censetur impossibile, ut res amplius secreta maneat[2].

Attamen si res evasit publica solummodo in aliqua communitate restricta, v. gr. Seminario, non licet eam pandere iis, qui ad eamdem communitatem non pertinent, dum res secreta manere possit; nam societas illa particularis ius habet ad res suas secreto conservandas, quando manifestatio in ipsius dedecus redundaret. Quare delictum unius monasterii nequit manifestari in alia domo, etiam eiusdem Ordinis.

Denique factum dici potest aequivalenter publicum, quando homo ita egit, ut ostenderit se nihil curare facti divulgationem.

---

1 S. Alph., n. 975.

2 « Delictum est *publicum* », ait Ius Canonicum, « si iam divulgatum est, aut talibus contigit seu versatur in adiunctis, ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197).

8° *Rem olim publicam, nunc iam oblivioni datam* non licet iterum narrare. Et hoc quidem, nisi agatur de re olim publica ob sententiam iudicialem, adversatur iuxta multos (LUGO), et caritati et iustitiae, probabiliter tamen iuxta alios (LESS.) soli caritati. Quandoque id licite fit ab historiographis [1].

9. *Manifestare rem uni viro prudenti, qui eam alii non revelaturus sit*, alii (LUGO) grave censent, alii (S. ALPH.) leve, eo quod fama, cum consistat in existimatione bona multorum, non laeditur graviter, si apud unum amittatur.

10° *Causae iustae manifestandi* possunt esse *a*) utilitas **346** manifestantis, v. gr. ad consilium in re gravi petendum vel ad aliquod malum a se avertendum. Nec est peccatum, saltem grave, narrare amico prudenti iniurias acceptas doloris leniendi causa, et sine affectu detrahendi; sic possunt quandoque uxores, subditi etc. detegere iniurias acceptas a marito, praelato etc.; sed cavendum, ne res pluribus dicatur aut personae apertius nominentur, quam necesse sit ad solatium capessendum; *b*) utilitas ipsius deliquentis, v. gr. eius correctio, nisi possit alia via obtineri; *c*) utilitas tertii, v. gr. ad avertendum malum ab aliquo privato vel a communitate. Sic de eo, qui suscepturus est matrimonium, officium medici, paedagogi, famuli etc., licet revelare eius impedimenta, inhabilitatem, crimina etc., quatenus necesse sit ad praecavenda mala secus eventura.

Quanta autem debeat esse praedicta utilitas vel quantum debeat esse damnum, quod tibi vel aliis times, ut licite possis occulta alterius proximi revelare et graviora eidem obventura damna contemnere, statuendum est [2] ex regulis generalibus caritatis (supra, n. 86); si nempe ex caritate tenereris tale alterius proximi damnum impedire etiam cum aliquo tuo dispendio, tunc cum eiusmodi tuo dispendio debes ex iustitia rem illam occultam tacere.

Haec tamen dicta sint de manifestatione criminis veri, nam ad calumniandum numquam dari potest iusta causa, quoniam mendacium est intrinsece malum; praeterea ius ad famam fundatam in bonitate vera est strictius, quam ad fundatam in bonitate existimata [3].

11° *Seipsum infamare* non est ex se grave, cum quisque dominus sit suae famae; leve tamen esset id facere sine motivo rationabili, sicut ex se leve esset vane expendere pecuniam propriam; insuper leve peccatum mendacii accederet, si quis sibi imputaret crimen falsum. Attamen peccatum grave committi potest aliunde, v. gr. si fama necessaria sit ad munus obeundum, vel si aliis grave aliquod obveniat damnum.

---

1 Circa historiographos cf. LEHMK., n. 1426; BALI. P., n. 70-73.
2 LUGO, *De Iust.*, d. 14, n. 113.
3 Cf. LUGONEM, *De Iust.*, d. 14, n. 97.

347 12° *Audiens detractionem* regulariter non peccat graviter, nisi vel alium inducat ad detractionem gravem, vel de ea gaudeat ob odium proximi (quod non est confundendum cum gaudio, quod parit expletio curiositatis). Nam omissio correptionis fraternae in his casibus vel est solum peccatum leve, quia omittitur ob verecundiam etc., vel nullum est peccatum, quia vix speratur fructus, quoniam facile se offensos ostendunt detrahentes correpti coram aliis, immo detractionem potius magis obfirmant. Praeterea saepe nescis an res sit notoria; in dubio autem non est cur alium damnes; nescis quoque an alius iustam causam habeat id uni soli manifestandi. Certe nullo modo peccat, qui audiens detractionem sermonem detorquet vel tristem aspectum induit. Superior tamen sive detrahentis sive detracti debet ex caritate (probabilius non ex iustitia) detractionem, quantum commode possit, avertere. Cf. n. 90.

348 2. **Detractor** *tenetur ex iustitia* **reparare** *famam cum damnis inde secutis et saltem in confuso praevisis*, qualia sunt v. gr. amissio officii vel hereditatis.

Prior obligatio est personalis detractoris, altera est realis ideoque transit ad eius heredes.

Prior obligatio est personalis detractoris, altera est realis ideoque transit ad eius heredes.

Ex principiis alibi traditis de obligatione restitutionis infertur: 1° obligationem restitutionis pro damnis non oriri in casibus, in quibus diximus laedi solam caritatem; immo fama tunc non est reparanda ex iustitia; quoniam tamen caritas obligat avertere, quantum fieri possit sine gravi incommodo, damna a proximo (cf. n. 86), obligatio aderit ex caritate illam reparandi; 2° si detractio commissa est sine culpa theologica gravi, v. gr. ex inadvertentia, teneri posse, quoad obligationem ex iustitia, quae dicta sunt in n. 261; 3° non adesse obligationem restitutionis, si quis de uno detraxit et audientes de alio intellexerunt; his enim mala intelligentia imputanda est, ex caritate tamen error corrigendus est, quantum commode fieri possit.

Calumniator debet dicta, etiam aperte si necesse est, retractare, nisi eumdem finem alia via obtinere possit, v. gr. aiens se errasse (revera errat, qui malum facit), vel fuisse deceptum (subintelligendo a propria passione). Simplex detractor autem illud primum seu apertam retractationem nequit facere sine mendacio, alterum saepe faciet inutiliter, saltem apud sollertes, qui potius inde coniicient vera esse quae narrata fuerunt; tunc igitur recurri debebit ad retractationem indirectam, v. gr. data occasione et cum dexteritate (ne retractationem sollertes detegant) laudare et honorare eum, de quo detractum fuit.

Putamus tamen cum Lehmk.[1] etiam simplicem detractorem posse aperte fateri se dixisse falsum seu alterum non commisisse illud crimen; neque id erit plus quam restrictio late mentalis, similis restrictioni, quam usurpat licite v. gr. qui de re secreta interrogatur; nam revera alter, quantum ceteris notum esse possit, crimen non commisit, videlicet non est improbus improbitate revelabili vel quae nota sit, sed tantum occulta, ideoque detractor falsum dixit respectu opinionis publicae.

Fama reparanda est non solum apud auditores immediatos, sed etiam apud mediatos: haec enim omnia satis praevisa fuerunt saltem in confuso, nisi forsan manifestatio facta fuerit apud eos, qui videbantur id ultra non manifestaturi. Haec theoretice; in praxi tamen reparatio apud mediatos est plerumque impossibilis, immo teneri potest sententia plurium[2], qui dicunt sufficere reparationem apud immediatos, quia eo ipso quod detractor se retractat apud auditores immediatos, videtur implicite illis committere, ut ipsi hanc retractationem aliis communicent; hanc autem commissionem videntur acceptare, dum eam expresse non reiiciunt, ac proinde detractor tantum tenebitur erga mediatos, quando scit (vel prudenter dubitat), quod auditores immediati obligationem implere noluerint.

Excusatur restitutio famae: 1° si res iam aliunde innotuit; 2° si prudenter iudicetur auditores fidem detractioni non adhibuisse, ut saepe fit in irae aestu, vel nunc retractationi non adhibituros. Advertit S. Alph.[3] ad restitutionem requiri, ut moraliter certum sit fidem adhibitam fuisse; nam regula generalis est, quod in dubio de damno illato non est obligatio restitutionis; 3° si prudenter iudicetur rem oblivioni iam esse datam, immo in hoc casu saepe magis nocet famae proximi memoriae renovatio; ideo, addit S. Alph. cum aliis, sufficit ad omittendam retractationem, quod oblivio probabiliter credatur; porro oblivio praesumitur, addit S. Alph., si per multum tempus nulla mentio facta fuit. Optima est regula, quam tradit Lugo: pensetur quid prudenter vellet, qui passus est iniuriam, attentis circumstantiis; si enim praesumitur, quod potius vellet memoriam apud auditores non renovari, liber erit detractor ab onere reparandi; ad hoc autem iudicandum optima regula erit, si detractor consideret, quid ipsemet vellet in his circumstantiis secum fieri; 4° si diffamatus reparationem condonavit expresse **349**

1 Lehmk., n. 1437.
2 Ap. Bus. et S. Alph., n. 991.
3 S. Alph., n. 998.

vel tacite: immo sufficit condonatio rationabiliter praesumpta, ut modo diximus; 5° quamdiu reparatio nequit fieri sine multo maiore detrimento proprio.

Art. 3. De contumelia.

350 **Contumelia** est iniusta honoris alieni laesio; regulariter fit homini praesenti vel in se vel in eius signo. Ex contumelia oritur obligatio reparandi honorem cum damnis secutis et saltem in confuso praevisis.

De reparatione honoris eadem fere dici possunt, quae de reparatione famae, et insuper sequentia: 1° Honor reparandus est (per se vel per alium) publice vel privatim, prout laesio illata fuerit publice vel privatim, nisi v. gr. iudicetur laesum malle reparationem privatam, ne ceteri iniuriae recordentur. 2° Omitti potest reparatio, si alter nova iniuria se vindicavit, v. gr. repercutiendo. 3° Superiores (parentes, heri etc.) generatim non possunt honorem reparare eadem ratione, qua ceteri, v. gr. per veniae petitionem, quin proprii honoris longe maius detrimentum subeant; ideo ex communi aestimatione satisfaciunt per aliquod benevolentiae signum, v. gr. amice alloquendo vel invisendo. Aequales autem vel inferiores saepe etiam satisfaciunt praeveniendo in salutatione, cedendo locum, invitando ad mensam etc., veniam autem petere non tenentur, nisi quando aliter iniuria videtur non posse reparari.

Ceterum, monet S. Alph.[1], multoties praestat, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide exsistentem de satisfactione praestanda, v. gr. si praevidet eum postea difficultate deterritum (ut facile continget) id non adimpleturum, vel si periculum est, ne in actu satisfactionis odia inter offensorem et offensum renoventur etc. In his casibus praestat recurrere ad signa extraordinaria benevolentiae.

Art. 4. De iudicio temerario.

351 **Iudicium temerarium,** ut sit peccatum grave, debet esse: 1° graviter laedens famam proximi, iuxta superius dicta de detractione; 2° firmum; nam opinio temeraria, suspicio temeraria etc. sunt tantum peccata venialia; ideoque, si poenitens dicit se iudicium cum quadam haesitatione vel dubitatione efformasse, potest iam confessarius ab ampliore investigatione abstinere[2]; 3° plene voluntarium et deliberatum, sicut gene-

---

1 S. Alph., n. 988.

2 Caietanus (apud Busenb.) dicit eum iudicare, qui interrogatus responderet sibi rem certam videri vel fere certam, eum vero suspicari, qui responderet se non esse moraliter certum, sed facile posse falli.

raliter requiritur ad peccatum grave; 4° innixum in motivis, quae saltem in confuso advertuntur esse vere levia (hinc veniale erit, si motiva sunt sufficientia ad opinionem saltem probabilem). Nam temeritas iudicii praecise stat in hoc, quod, cum mens nequeat sponte trahi motivis, quae percipiuntur esse levia, tamen mala voluntas impellit nihilominus ad assensum.

Omnia iudicia temeraria, sicut detractiones, sunt eiusdem speciei.

Contra malitiam iudicii temerarii nequit obiici manifestatio facta uni vel alteri viro probo; nam illud iudicium potius assimilatur calumniae.

Art. 5. De secreto.

352 **Secretum**, praeter sacramentale, de quo alibi, triplex distinguitur:

a) **Secretum naturale** est secretum, quod servandum est, quando res ipsa talis est naturae, ut nequeat revelari sine damno famae, bonorum etc. vel iusto maerore alterius. Obligat igitur ex iure naturali ob virtutem iustitiae vel caritatis. Quando obligat ex sola caritate, non est obligatio illud servandi cum gravi incommodo, iuxta regulas n. 86; quando autem ex iustitia, consulantur superius dicta (n. 346) de manifestatione criminis occulti.

b) **Secretum promissum** est secretum quod, p o s t q u a m notitiam rei hausisti, promisisti servare, vel sponte vel alio promissionem postulante. Obligat ex se (id est, nisi accedat obligatio secreti naturalis) sicut quaelibet promissio, ideoque generatim sub levi ex fidelitate, nisi intendisses obligari ex iustitia. Et sicut promissio non obligat, ut servetur cum gravi incommodo, nisi quis hoc ipsum expresse promittat, secus enim supponitur id non intendisse, ita nec secretum mere promissum (nisi, ut diximus, accedat obligatio iuris naturalis).

Promissio sequitur naturam actus, cui adiicitur, ac proinde quando res seclusa promissione manifestanda esset (v. gr. iudici vel Superiori legitime interroganti), promissio secreti non obligat.

353 *c*) **Secretum commissum** est secretum, quod servandum est ex contractu oneroso, proinde ex iustitia, quando nempe a n t e manifestationem promisisti te rem servaturum sub secreto, et nonnisi sub hoc onere rem tibi alter manifestavit. Promissio fit e x p r e s s e, quando quis alteri dicenti se rem sub secreto manifestaturum assentitur, vel saltem rem accipit nec protestatur se nolle notitiam accipere cum tanta obliga-

tione; fit autem promissio t a c i t e, quando ex circumstantiis satis constat rem committi et accipi sub secreto, v. gr. eo ipso quod consulatur medicus, advocatus, theologus etc.

Secretum commissum post sacramentale est omnium arctissimum et servari debet, etsi interroget Superior vel iudex; in hoc casu respondere debes te nihil scire, scientia nimirum communicabili. Nihilominus revelari potest: 1° ex praesumpto consensu illus, qui rem tibi commisit, v. gr. quia secus secretum in ipsius damnum vergeret; 2° ad avertendum grave damnum tertii innocentis iniuste vexati ab eodem, qui secretum commisit: v. gr. si medicus scit sponsum esse siphiliticum et videt eum se fingere sanum et nolle, etiam admonitum, desistere, potest sponsae morbum pandere eamque de malo imminente admonere; 3° ad avertendum grave damnum proprium, nisi quis secretum promiserit expresse sub tanto onere. Ex se enim sub tanto onere non obligat. Nam ut de secreto consilii in particulari loquamur, si ex se cum tanto onere obligaret, medici, advocati etc. certe consultationes refugerent, quod cederet in commune damnum; 4° ad avertendum grave damnum commune; 5° si res aliunde divulgata est. —Non est grave rem sub eodem secreto revelare uni vel alteri viro probo, qui illud merito aestimetur servaturus (nisi agatur de viro, cui alter praesumitur rem velle celatam); immo, si fit consilii petendi vel doloris leniendi causa, nullum peccatum est. — Merito advertit Gén. S. [1], non omnia secreta commissa servanda esse cum eodem rigore, sed considerandum esse, quantum damni tibi immineat ex occultatione, quantum alteri ex divulgatione, utrum secretum commissum fuerit tibi in tuam solius utilitatem etc. [2].

354 *NB.* — *Aperitio litterarum* alienarum (similiter cense de legendis scriptis, quae alius amisit, vel recondita servat in loco secreto, v. gr. intra scrinium) est ex se peccatum grave, nisi

---

1 Gén. S., n. 432.

2 Qui consilium ab alio petiit, ita se debet gerere, ut ex favore accepto ansam non sumat illi nocendi, ideoque si putet illum errasse, dicere non debet, quisnam consilium dederit. Nam ratio, quae exigit secretum rigorosum a consilium dantibus servari, ut libertas petentium consilium in tuto collocetur, fere par secretum exigit in petentibus, ut tuta sit libertas dantium; *fere par*, inquam, minus enim rigorose celandus est dans consilium quam petens, quoniam ille libere, non necessitate pressus sicut iste, officium assumit respondendi. Potest tamen ille manifestari, si timetur aliis fore suis erroribus nociturus, et propterea facilius loqui licebit de erroribus eorum, qui cum publicum officium gerant, valde aliis nocere possunt; si vere tamen eos errasse est manifestum, saepe enim multa illis iniuste imputant imperiti homines ex ignorantia vel iudicii praecipitantia, eoque magis iniuste, quod illi in absentia defendere se non possunt.

forte praesumatur eas nihil gravis momenti continere. Licite tamen aperiuntur ex consensu, etiam praesumpto, scribentis, vel destinatarii; item ad avertendum damnum proprium, vel tertii, proinde generatim id licet parentibus ad praecavenda damna, quae filiis obvenire possent. Possunt quoque Superiores aperire litteras subditorum (exceptis litteris ad Superiores mediatos, vel eorum ad subditos, can. 611) quando id eis permittit regula, vel consuetudo, talis enim regula, vel consuetudo, acceptatur ab eo, qui illorum potestati se subdit; non tamen possunt alium usum facere notitiae per litteras haustae, quam qui conducit ad avertendum damnum communitatis, vel singulorum [1].

Esse contra iustitiam legere, iunctis fragmentis, litteras, quas alter dilaceratas proiecit, censet probabilius S. Alph. [2], negat Lugo [3] cum aliis. Advertendum tamens est, quod ex hac lectione oriri potest obligatio secreti naturalis.

Quaeres quousque liceat uti notitia iniuste accepta, v. gr. aperiendo litteras, vel aliter. Lugo et S. Alph. recte dicunt tunc tantum licere uti hac notitia accepta, quando liceret illam per eamdem viam acquirere, v. gr. quando liceret litteras aperire.

NB. — *Praecepta IX et X* vetant peccata interna luxuriosa, aut circa furtum. Sed haec satis iam declarata manent ex dictis tum n. 63 de peccatis internis, tum supra de praeceptis VI et VII.

---

1 Fas Superiori non est litteras legere, quae subdito mittuntur cum inscriptione « res conscientiae » aliave simili, nisi certo ipsi de fraude vel dolo scribentis constet. Quod si de hoc dubitet, subditum pro sua prudentia roget aut si opus est iubeat, ut litteras coram se aperiat iisque perlectis sibi indicet, an re vera de rebus conscientiae agant. Subdito autem semper, si graves rationes aliud non suadeant, significare potest aut si opus est iubere, ut scribentem moneat, ut ab hoc epistolarum genere in posterum abstineat, secus, si abstinere nolit, sciat litteras protinus intactas comburendas fore. Quin potius ipse subditus Superioris monitum ne exspectet, sed vel, quando de huiusmodi litteris mittendis ab aliquo praemonetur, moneat eum vicissim de futura censura Superioris, vel cum primum eas recipit, rescribat, ut ab iis mittendis cesset in futurum, secus illas a Superiore sciat fore legendas. Cf. VERM., *Period.* V, (54).

2 S. ALPH., l. 5, n. 70.

3 LUGO, *De iust.*, d. 14, n. 150.

TRACTATUS VI.

DE COMMUNIORIBUS PRAECEPTIS ECCLESIAE

Caput 1. DE FESTORUM OBSERVANTIA

« Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tan- **355**
tum: Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum » (can. 1247, § 1).

« Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus » (can. 1248).

I. **Dies,** quibus de Iure communi obligat utrumque prae- **356**
ceptum, audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, sunt praeter dominicos decem nuper in can. 1247 recensiti. Sed quoniam diversis in regionibus per particularia Indulta festa quaedam olim suppressa aut translata fuerant, canon autem 1247, § 3 iussit, ut « sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innnovetur »: insuper etiam, quoniam festa in praecedente catalogo universali non contenta (etiamsi nationis, dioeceseos aut loci propria fuerint) ipso facto fuerant tacite

abolita[1], sed eorum quaedam postea restituta sunt, ideo speciales leges in singulis regionibus sunt respiciendae[2].

NB. — 1° Ordinarii locorum peculiares suis dioecesibus seu locis dies festos indicere non possunt, nisi per modum actus (ita ex can. 1244, § 2), id est tantum pro vice hic et nunc occurrente.

2° Praecepto satisfit per auditionem Missae, quocumque catholico ritu celebretur (can. 1249).

3° Dies festus computatur a media nocte usque ad mediam noctem (can. 1246)[3].

357 II. **Locus** adimplendae obligationi aptus, quisnam sit, habes in can. 1249: «Legi de audiendo Sacro satisfacit qui Missae adest, quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis de quibus in can. 1190[4], non vero in aliis oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit».

1. **Satisfit** igitur praecepto per Missam celebratam *a*) sub dio[5], vel *b*) in ecclesia, vel *c*) in oratorio publico, vel *d*) in

---

1 Comm. I. C. 17 febr. 1918.

2 Haec pro sequentibus nationibus teneto:

In *Rep. Argentina, Brasilia, Columbia, Chile* et *Uruguay* iidem omnino dies de utroque praecepto observantur, qui de Iure communi, nulla facta mutatione praeter hanc, quod in *Brasilia* suppressum est festum S. Ioseph, et in *Rep. Chil.* non viget festum Epiphaniae, ex quo illud suppressum fuit per Indultum S. C. C. 26 nov. 1912.

In *Gallia* per Indultum Cardinalis Caprara, auctoritate Pii VII editum 9 apr. 1802, de utroque praecepto vigent tantum praeter dies dominicos quatuor festa: Nativ. D.ñi, Assumptio B. M. V., Omn. Sanctorum.

In *Hispania* observantur de utroque praecepto iidem dies, qui ex generali lege, addito festo S. Iacobi Apostoli, 25 iulii (ex concessione 14 iul. 1918). Sed pro peculiaribus locis alia quoque festa restituta sunt, v. gr. pro Aragonia festum B. M. V. de Columna, pro dioecesi Pampelonensi festum S. Franc. Xaverii etc.

3 Tempus quoad usus *privatos*, v. gr. laborandi privatim, computari potest iuxta quamlibet ex normis datis in can. 33 (quem transcripsimus supra in n. 33); nam quamvis observantia festorum ibi non commemoretur, omnino tamen iuxta legislatoris mentem ceteris praeceptis ibidem enumeratis aequiparari atque accenseri debet. Ita etiam Verm. Creus., n. 94. Quoad effectus *publicos* tenenda est supputatio in illo loco usualis, ut patet ex eodem can. 33.

4 Id est in aediculis in coemeterio erectis a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam (can. 1190).

5 Huiusmodi sunt Missae castrenses, aut quae occasione magnae peregrinationis in aperto campo celebrantur, aut Missa quae diebus festis celebratur sub dio in quibusdam navibus.

oratorio semi-publico, vel *e*) in privatis coemeteriorum aediculis erectis a personis privatis ad suam sepulturam.

« *Ecclesiae* nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161).

« *Oratorium* est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam. — Est vero oratorium: 1° *Publicum*, si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi; 2° *Semi-publicum*, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire; 3° *Privatum* seu *domesticum*, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit » (can. 1188) [1]. — Oratoriis semi-publicis aequiparantur, in omnibus iuribus et privilegiis, oratoria, licet privata, S. R. E. Cardinalium et Episcoporum, sive residentialium sive titularium (can. 1189). — Publicum praeterea declaratum est oratorium, quod locum fixum habeat in navi [2].

---

1 Ergo ad oratorium semi-publicum non requiritur, ut communitas sit religiosa vel domus pia. Igitur oratoria semi-publica sunt, quae eriguntur in collegiis aut convictibus iuventuti instituendae, in gymnasiis, lycaeis, arcibus, praesidiis militum, carceribus, xenodochiis etc., idque expresse constat ex can. 1192, 4°.

Ex responso 18 oct. 1901 coetus fidelium intelligi potest « de quibuscumque fidelibus, qui assentiente domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente accedant ad praedicta oratoria pro audienda Missa etiam ad implementum praecepti festivi ». Igitur familia privata cum famulis suis non est coetus fidelium, cui oratorium semi-publicum concedi possit.

2 S. Rit. Congr. 4 mart. 1901, ad 5.

Publica quoque censet Verm. Creus., II, n. 498 dici posse oratoria, quae in cubiculo, ubi Sanctus natus vel mortuus est, erecta sunt, si pertineant ad fabricam ecclesiae vel ad communitatem religiosam, et accessus fere quotidianus omnibus permittatur. Ceterum recte ait ipse, nisi ea oratoria admiseris esse publica, non erit unde eadem alii generi accenseas, ut apparet ex notione oratorii semi-publici et privati.

Addit Verm. Creus., ibid.: « In ipsis grangiis seu villis religiosorum, ubi residere solebat frater laicus et interdum sacerdos ad Missam dicendam, capella ibi erecta, cum inserviat saltem parti communitatis religiosae, atque etiam variis famulis, iam dici hodie potest semi-publica. Cf. *Agustine*, in c. 1192 », praesertim quia iam verificatur condicio canonis, nam saltem erectio in commodum communitatis reapse facta fuit et in commodum ipsius capella perseverat.

Sequitur idem auctor: « Iste canon exigere videtur, ut ipsa erectio sit facta in gratiam communitatis vel coetus fidelium. Semi-publicam tamen dicemus capellam, quae, prius privata, po-

Oratoria publica eriguntur cum licentia Ordinarii loci, oratoria autem semi-publica cum licentia Ordinarii [1], ideoque pro domibus religiosorum exemptorum sufficit licentia Provincialis.

« In oratorio publico, dummodo auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo per benedictionem vel consecrationem dedicatum fuerit, omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto », can. 1191, 2°. « In oratoriis semi-publicis legitime erectis, omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent rubricae, aut Ordinarius aliqua exceperit », can. 1193. Oratoria semi-publica possunt communi locorum domorumve benedictione, aut nulla benedictione donari (can. 1196, 2°).

358 2. **Non satisfit** praecepto, quod ad rationem loci attinet, in duobus tantum casibus: *a*) in oratorio privato, et *b*) super altari portatili in loco omnino privato.

Oratorium privatum seu domesticum, quid sit, dictum est nuper. In eo praeter celebrantem et inservientem (sed is, dummodo inter privilegiatos desit, qui inserviat aut velit inservire) [2], satisfacere praecepto ii tantum [3] possunt, qui in Indulto concessionis nominantur. Porro iuxta tenorem, quo huiusmodi Indulta concedi solent, ii sunt: indultarius, eius consanguinei et affines [4], famuli actu necessarii [5] et, quoad

---

stea huiusmodi communitati destinata est. Decretum generale 23 ian. 1899, unde canon noster desumptus est, mere postulat, ut commodo alicuius communitatis vel personarum coetus inserviat. Cf. *Decr. auth.*, n. 4007, vel VERM., *De Religiosis*, II, p. 573 ».

1 Quinam veniant nomine Ordinarii loci, vel simpliciter Ordinarii, vide in n. 25 nota.

2 Cf. FERR., n. 437; VERM. CREUS., n. 502.

3 Attamen, ait GÉN. S., n. 342 nota: « Videtur Ordinarius efficere posse, ut in tali oratorio ab omnibus satisfiat, si nempe cum eius assensu accessus pateat alicui coetui fidelium, etiam die Dominica tantum ».

4 Consanguineos et affines intellige inter gradus matrimonium prohibentes, et dummodo illi habitent cum ipso indultario et sint eius comensales. (Moderna quidem disciplina hos gradus cognationis valde restrinxit; durum tamen videtur Indulta futura, nisi aliud declaretur, aut verbis magis expressis utatur concessio, fore, hac solum de causa, strictius interpretanda in hac materia quam Indulta antiqua, in quibus iuxta opinionem in disciplina tunc currenti fundatam intelligebantur tum consanguinei tum affines usque ad quartum gradum). Cf. S. ALPH., l. 3, n. 318 hanc et alias horum Indultorum clausulas perpendentem; similiter BALL. P., tr. 6, sect. 3, n. 119; FERRARIS, v. *Oratorium*, n. 9 seqq.; GASPARRI, *De SS.ma Euch.*, I, n. 235; MANY, *Prael. de locis sacris*, n. 9; FERRERES, *Los Oratorios*.

5 Id est necessarii tempore Missae, immo et qui convenienti domini decori necessarii sunt.

oratoria ruri sita, hospites nobiles [1]. Unicum sacrum fieri licet, sine cantu [2], requirituque generatim praesentia indultarii, soletque celebratio prohiberi diebus sollemnioribus [3].

Concessio oratorii privati obtinetur per S. Congr. de disciplina Sacramentorum (can. 249, 2°) [4].

Super altari portatili non satisfit praecepto, nisi celebret S. R. E. Cardinalis vel Episcopus (sive dioecesanus, sive titularis), vel nisi celebretur in eorum alterutrius commodum [5], vel nisi celebretur ex privilegio altaris portatilis non mere personali [6].

---

1 Id est qui utcumque apud dominum divertunt, etsi ad solum prandium invitati, dummodo non sint de illo loco.

2 « § 1. In oratoriis domesticis ex indulto Apostolicae Sedis, nisi aliud in eodem indulto expresse caveatur, celebrari potest, postquam Ordinarius oratorium visitaverit et probaverit ad normam can. 1192, § 2, unica Missa, eaque lecta, singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus; sed aliae functiones ecclesiasticae ibidem ne fiant. — § 2. Ordinarius vero, dummodo iustae adsint et rationabiles causae. diversae ab eis ob quas indultum concessum fuit, etiam sollemnioribus festis permittere potest per modum actus Missae celebrationem » (can. 1195).

« § 1. Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum. — § 2. Licet oratoria domestica et semipublica communi locorum domorumve benedictione aut nulla benedictione donentur, debent tamen esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera » (can. 1196).

3 Quinam hi dies sint, vide ap. Ferr., n. 438, 2°, vel potius Ferreres, *Los Oratorios*, art. VI.

4 Circa concessiones oratoriorum domesticorum S. C. de S. 7 febr. 1909 normas edidit, quas reperies apud *Anal. Eccles.*, anno 1910, p. 142, vel apud Ferreres, *Los Oratorios*, art. IV, vel Vermeersch, *Periodica*, V, p. 109.

Concedi solent, si petantur et convenientes allegentur causae, ampliationes seu extensiones diversae, v. gr. ut celebrari possit plusquam semel in die, vel in absentia indultarii, vel ut praecepto satisfacere possint omnes in magna possessione degentes etc.

Privilegiatus non tenetur die festo facere celebrare in suo oratorio privato, etsi aliter nequeat audire Missam. Cf. *Diana*, p. 9, tr. 11, res. 19, qui rationem dat, cur id non opponatur iis, quae diximus in n. 53.

5 S. C. R. 8 iun. 1896, ap. A. S. S. XXVIII pag. 749.

6 Huiusmodi privilegium est, quod S. Sedes concedere solet missionariis, non ut favorem mere personalem, sed ut Missa celebrari possit, ubi desunt oratoria vel altaria fixa. At privilegia, quae sacerdotibus itinerantibus conceduntur, celebrandi in navi, sunt mere personalia. Non igitur satisfit per Missam, quam sacerdos navigans celebrat in loco privato, puta in cella navis.

359 III. **Dispensationem** ab utroque praecepto impertiri possunt iuxta can. 1245[1], in singulis tamen casibus[2], *Ordinarii locorum* et *parochi* suis subditis (sive illis solis, sive suae familiae), etiam extra territorium versantibus, immo et peregrinis; item in religione clericali exempta *Superior*, etiam localis, quoad suos subditos[3] et familiares.

Caput 2. DE CONFESSIONE ET COMMUNIONE

360 « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri » (can. 906). —« Praecepto confitendi peccata non satisfacit, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam » (can. 907).

« § 1. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. — § 2. Paschalis communio fiat a dominica Palmarum ad dominicam in Albis; sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum sanctissimae Trinitatis. — § 3. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium

---

1 « § 1. Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare. — § 2. Ordinarii, ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis, possunt totam quoque dioecesim seu locum a ieiunio et ab abstinentia vel etiam ab utraque simul lege dispensare. — § 3. In religione clericali exempta eandem dispensandi potestatem habent Superiores ad modum parochi, quod attinet ad personas, de quibus in can. 514, § 1 » (can. 1245). Personae autem, de quibus in can. 514, § 1 sunt: professi (etsi sola vota triennalia emiserint), novitii, alii in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis.

2 V. gr. durante hoc morbo, in hoc itinere etc.

3 Hac facultate uti poterit in suos subditos absentes, atque in itinerantes sui Ordinis domi versantes, quoniam dicitur illam habere « ad modum parochi », parochus autem eam habet in subditos absentes et peregrinos. Ita etiam VERM. CREUS., n. 556.

parochum de adimpleto praecepto certiorem facere. — § 4. Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit» (can. 859). — «Obligatio praecepti communionis sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, id est in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum» (can. 860). — «Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem» (can. 861).

Art. 1. De confessione.

Confessio saltem semel in anno instituenda est; annus **361**
autem computari potest, sicut iam in Iure antiquo intelligebant multi (can. 6, 2°), vel a Pascha (vel potius a tempore pro communione annua legitime assignato) ad Pascha, vel a confessione ad confessionem, vel a die 1ª ianuarii ad ultimam decembris[1].

Hoc praecepto tenentur solum ii, qui expiandum habent aliquod peccatum mortale[2]. Ceterum ecquis pius fidelis, qui sola venialia commisit, toto anno confiteri negligat? An vero teneatur ante anni finem confiteri, qui eodem anno de venialibus confessus sit et postea labitur in mortale, controvertitur, ideoque practice non obligatur[3].

Qui integro anno non confessus est, exspectare non potest usque ad finem anni sequentis: Ecclesia enim non videtur assignasse hoc tempus ad finiendam, sed solum ad urgendam obligationem; illo anno tamen non tenebitur bis confiteri[4].

Confessio institui potest apud quemlibet confessarium approbatum, etiam alius ritus (can. 905).

Art. 2. De communione.

Communio imponitur sumenda saltem intra tempus legi- **362**
time assignatum[5], potest tamen confessarius[6] ex rationabili

---

1 Cf. Blat, *Comment. Codicis*, l. 3, p. 280; Buccer., n. 1558; Gén. S., II, n. 323; Ferr., n. 586.

2 Confirmatur id ex can. 902, qui dicit venialia non esse materiam necessariam confessionis, quin exceptionem addat pro confessione annua.

3 Cf. Lehmk., n. 1450.

4 Cf. Ferr., n. 587 quaer. 3°.

5 In *Amer. Lat.* ad normam Const. Leonis XIII «Trans Oceanum» 18 apr. 1897, n. VIII «omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possunt a dominica Septuagesimae ad octavam Corporis Christi inclusive» C. P. A. L., n. 524.

6 Verba «proprii sacerdotis», quae habentur in can. 859, interpretanda sunt ad normam cap. «Omnis utriusque» (Conc.

causa obligationem poenitenti ad tempus remittere, ut constat ex can. 859, § 1.

Qui praevidet se toto tempore assignato impeditum fore, non tenetur communionem anticipare. Sed qui intra tempus assignatum non communicavit, tenetur adhuc ad communicandum [1], ut ait expresse can. 859, § 4.

Annus computari potest a Pascha (vel a tempore legitime in illa regione assignato) ad Pascha, vel a die 1ª ianuarii ad ultimam decembris [2].

Non adest obligatio adimplendi praeceptum in aliqua paroecia, suadendum tamen fidelibus, ut id faciant in propria; quod si extra eam fecerint, curent [3] parochum certiorem facere.

Caput 3. DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

363 « Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium », (can. 1250).

« § 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. — § 2. Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere; nec serotinam refectionem cum prandio permutare » (can. 1251).

Later. IV) usque ad modernum Codicem vigentis, in quo accipiebantur probabiliter pro sacerdote, apud quem confessio institueretur.

1 Qui communionem anticipavit, nondum incepto tempore legitimo, tenetur adhuc intra istud tempus iterum communicare, ut manifestum est; quod si toto hoc tempore non facit, dein amplius non tenetur illo anno; obligationem enim, quam canon subsistentem relinquit non communicantibus intra tempus legitimum, nempe communicandi intra annum, per communionem anticipatam iam adimplevit. Propter hanc ultimam rationem non tenetur satisfacere « quamprimum », qui nec intra tempus legitimum nec antea intra illum annum communicavit; in rigore enim iam non tenetur, nisi ante finem illius anni; compellendus tamen est, ne multum differat, quia lex intendit adimpletionem urgere.

2 S Alph., l. 6, n. 296; Lugo, *De Euch.*, d. 16, n. 59; Gén. S., II, n. 208; Verm. Creus., n. 126.

3 Verbum « curent », a canone 859 usurpatum, non videtur strictam iussionem imponere, tum quia, si id canon intendisset, dixisset potius « certiorem faciant », locutio enim « cura, ut facias » potius est hortantis quam iubentis, tum attento praesertim quod idem canon obligationem hucusque vigentem, satisfaciendi in paroecia, relaxaverit. Cf. Verm. Creus., n. 128.

« § 1. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis. — § 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. — § 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus. — § 4. Diebus dominicis vel festis de praecepto lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, excepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur; item cessat Sabbato Sancto post meridiem » (can. 1252).

« His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis » (can. 1253).

« § 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint. — § 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum » (can. 1254).

Art. 1. De abstinentia.

Abstinentia a carnibus (et iusculo carnis) [1] obligat omnes **364** rationis compotes a septimo aetatis anno expleto. Quibus autem diebus, habes clare expressum supra in can. 1252, §§ 1 et 2.

De quibusdam animalibus dubitari potest an accensenda sint carnibus. In his attendatur consuetudo. Aves accenseri solent carnibus, non autem ostrea et testudines; ranae quoque et limaces communius caro non considerantur.

Occurrente die dominica vel festo de praecepto extra Quadragesimam, supprimitur obligatio sive abstinentiae, sive ieiunii, nec amplius, ut fiebat antea, anticipantur [2]. Id intellige, dummodo festum reapse vigeat de praecepto, non si fuerit suppressum [3].

---

1 In Novo Iure ova et lacticinia nullo anni tempore prohibentur lege abstinentiae, nec prohibentur, ut antea, condimenta ex adipe animalis (laridum, si non est liquefactum, prohibetur, ut patet, Gén. S., n. 442), nec amplius viget prohibitio permiscendi carnes cum piscibus, qua antea tenebantur dispensati ad esum carnium. Hodie cui licet carnes edere, quodvis aliud alimentum simul licet.

2 Excipitur Quadragesima, ideoque occurrente festo S.ti Ioseph extra dominicam, lex erit illo die observanda. Expressam circa id declarationem tulit Comm. I. C. (A. A. S. anno 1920, p. 576).

3 Comm. I. C., 17 febr. 1918, ad 1.

Quare v. gr. in Gallia, si Epiphania venerit in feria VI, observanda erit abstinentia, quia illud festum ibi fuit suppressum.

Tempus in ieiunii vel abstinentiae lege servanda supputari potest iuxta quamlibet e normis datis in can. 33, quem transcripsimus supra in n. 33 nota [1].

Ad laesionem gravem abstinentiae probabiliter requiruntur duae unciae carnis, ut sentiunt multi apud Ferr. [2]. Recte dicunt Gousset et Gén. S. [3] esse solum leve, edere portionem ordinariam offae ex iusculo carnis.

Toties peccatur contra legem abstinentiae, quoties vicibus moraliter diversis editur cibus prohibitus; quare in confessione declarandum erit, quoties in die id factum fuerit.

365 *Excusantur ab abstinentia* ii generatim, qui eam servare nequeunt absque magna difficultate. Criterium efformari poterit ex sequentibus exemplis, quae afferuntur ab auctoribus Excusantur scilicet:

1° Infirmi et convalescentes, quibus carnes necessariae sunt, ii quoque, qui ob stomachi debilitatem cibis tantum permissis sine magno incommodo ali non possunt; ad cavendam hallucinationem expedit consulere medicum timoratum.

2° Qui laboribus vacant adeo arduis, ut aegrotantium instar nauseam sentiant cibi, aut si aliis cibis satis ali nequeunt.

3° Pauperes mendicantes edere possunt quidquid recipiunt.

4° Itinerantes [4], qui in hospitiis cibos licitos non reperiunt nec alio facile divertere possunt; debent tamen serio et instante cibos licitos petere, humanis respectibus posthabitis.

---

1 Recte Verm. Creus., n. 94: « Nihil prohibet, quin secundum tempus verum recites breviarium, legem abstinentiae secundum tempus medium observes et secundum tempus legale ad ieiunium eucharisticum attendas. Nullam videmus rationem, cur beneficium legislatoris coarctemus. Actiones formaliter diversae, praecepta distincta possunt eodem tempore diversis legibus regi ».

Cum in quibusdam Belgii et Galliae dioecesibus indultum sit, ut christifideles ad abtinentiam « tenerentur », tempore Quadragesimae, feria IV loco sabbati, quaesitum fuit, an et qua die tenerentur peregrini; S. C. C. 9 febr. 1924 respondit teneri alterutra die ad libitum, remoto scandalo (A. A. S., a. 1924, p. 94 cum correctione addita ad calcem paginae 162).

2 *Ferr.*, n. 599.

3 Gén. S., n. 444.

4 Navigantes tenentur ad abstinentiam et ieiunium iuxta canones generales Ecclesiae (secluso privilegio particulari, quale habet concessum 20 apr. 1916 ad decennium Societas Transatlantica Hispaniae, cf. Ferr., n. 1393), decipiunturque qui putant navim censeri posse, ad hunc effectum, partem territorii, cui est adscripta, posseque in eadem Indultis frui territorialibus; non enim fictiones Iuris possunt ab una ad aliam materiam transferri.

NB. — 1° Hospitem, qui praeter exspectationem pran- **366**
dium carnibus paratum invenit neque alias epulas obtinere neque discedere sine gravi incommodo potest, recte BERARDI et GÉNICOT dicunt excusari. Si tamen id iterum eventurum praevidet, facile poterit monitione aut aliter pro casu providere. Similis casus est, si prandium erronee cibis vetitis paratum fuit et error instante prandio detegitur nec potest aliud prandium parari sine magno incommodo, quod facile potest occurrere, si familia numerosa est.

2° Eo quod paterfamilias dispensatus sit, non ideo dispensantur filii aliive domestici; saepe tamen hi excusantur ob moralem impossibilitatem servandi praeceptum. An famuli teneantur aliam domum quaerere, cf. dicta in 3° praecepto; ancillae quidem, si reliqua officia religionis obire sinuntur et pericula castitatis absunt, saepe expediet ut ibidem maneant, quoniam valde timeri potest, ne alibi deterius quid contingat.

3° Saepe causa ad excusandum insufficiens sufficit ad dispensandum. In dubio de sufficientia causae, cf. n. 47.

4° Dispensatus ad edendas carnes potest eas quoties lubeat edere, nisi adstringatur obligatione ieiunii.

Art. 2. De ieiunio.

Ieiunium quos obliget et quibus diebus, clare expressum **367**
habes supra in can. 1254, § 2 et 1252, §§ 2 et 3.

Quando autem dicitur in can. 1252, § 4 cessare abstinentiam et ieiunium Sabbato Sancto post meridiem, id[1] eo sensu accipiendum est, quod mane sic procedas, quasi tota die lex esset observanda. Quare mane non licebit sumere nisi frustulum (nec permitteremus pro hoc mutare serotinam refectionem nisi ei, qui per Quadragesimam id facere solebat), et si prandium anticipatur, servanda erit abstinentia.

Quod nuper diximus de supprimenda abstinentia occurrente dominica vel festo extra Quadragesimam eaque non anticipanda, idem quoque dictum habe de ieiunio (cf. can. 1252, § 4).

a) **Unica refectio** permittitur die ieiunii (can. 1251, § 1), atque haec condicio adeo est ieiunio essentialis, ut qui duplicem refectionem, etiam inculpabiliter, sumpserit, iam ab obligatione, utpote quae amplius adimpleri nequeat, liberetur. Non vetatur tamen mane frustulum et vespere coenula iuxta locorum consuetudinem (can. 1251, § 2).

---

1 Ita recte ait VERM. CREUS., n. 568.

Coenulam introduxit consuetudo eaque permittit 8 uncias (240 gramm.), prohibitis carnibus[1] (et iusculo carnis); ab his enim abstinuit ubique consuetudo[2]. In multis regionibus a coenula excluduntur quoque ova et lacticinia, in aliquibus etiam pisces. Consuetudo servanda est; aliud enim non admittit canon 1251, nisi quod ea probaverit[3].

Licet die ieiunii etiam in coenula ad condiendos esuriales cibos uti oleo, quo iam caro fricta fuit[4]; licent quoque condimenta ex adipe[5].

368 In coenula permittunt plures auctores[6] etiam 8 uncias panis, oryzae etc.[7] non coctae, quae deinde sumantur cocta. Rectius alii plures, habita ratione aucti voluminis et consequenter satietatis, non concedunt in casu plus quam 4-5 uncias (120-150 gr.). Oleum, quo fit decoctio, profecto computari debet, quia induit tunc rationem cibi.

Quibusdam in locis permittuntur lacticinia in modica quantitate, v. gr. aliquid butyri aut casei.

In *Hispania* et *Lusitania* vi Bullae Cruciatae necnon in *Amer. Latina* vi Indulti decennalis permittuntur ova et lacticinia nulla limitatione assignata. Quaeri ergo posset, an liceat in his regionibus 8 uncias sumere solius lactis, prasertim quia consuetudo nihil statuerit, utpote quae huiusmodi cibum in coenula non admiserat.

Ad quaestionem solvendam conducent sequentia asserta:

1° *Principium fundamentale ad solutionem debet esse consuetudo;* can. 1251, § 1; S. Alph., n. 1025 sub initium; Ball. P., vol. 2, p. 809, n. 57. Proinde, cum Ecclesia novum cibum concedit per Indulta, nulla determinatione facta, ad eam censenda est nos implicite remittere, ut criterium hauriamus ad determinandam

---

1 Non licere die ieiunii vesci carnibus extra illam unicam refectionem permissam (nisi simul eo die lex abstinentiae obliget ideoque etiam in illa refectione prohibeantur), satis eruitur ex can. 1251, qui servandas praescribit probatas consuetudines circa ciborum quantitatem et qualitatem, itemque ex can. 6 in 2° et 4°. Idem tamen expressius tradidit E.mus Praeses Commissionis I. C. aiens (A. A. S. anno 1919, p. 480) non licere die solius ieiunii edere carnes pluries in die.

2 Cf. etiam A. A. S. a. 1919, p. 480; Gén. S., n. 437.

3 In *Hispania* et *Lusitania* vi Bullae Cruciatae ieiunium Vigiliae Nativitatis D.ñi transfertur ad sabbatum praecedens Quatuor Temporum. Iam vero iuxta S. Alph., n. 1025 viget multis in regionibus consuetudo sumendi in coenula huius Vigiliae quantitatem duplicem, etiam quando Vigilia anticipatur.

4 S. Poenit. 17 nov. 1897.

5 S. C. C. 29 apr. 1911.

6 Cf. apud S. Alph., 1029 et Gén. S., n. 437.

7 Ne hanc controversiam extendas ad fructus terrae, quos vocant « patatas, papas, pommes de terre », aqua fervida decoctos, quia volumen non augent.

quantitatem. Aliunde si ad hanc determinandam recurrimus ad normas, quas consuetudo adoptavit pro aliis cibis, iam consuetudini ipsi conformamur, ideoque et voluntati Ecclesiae.

2° *Consuetudo permittit duas uncias mane, octo in coenula e cibis mediocriter nutritivis et satiativis*, scilicet pane, fructibus siccis, olivis, dulciariis etc. (S. Alph., n. 1025, 1026; Gén. S., n. 437, II, 1°).

3° *Consuetudo respectum habet vis nutritivae; id est iuxta consuetudinem quantitas diversa est ratione potentiae nutritivae*, ita ut 1° *maiorem* quantitatem permittat e cibis, qui vulgo censentur nutrire *minus* quam mediocriter nutritivi, 2° *eamdem* quantitatem e cibis *magis* nutritivis quam mediocriter nutritivi, modo excessus non sit *adeo notabilis*.

Probatur 1.um. *a*) E communi aestimatione non computantur ad laesionem ieiunii potiones, quae « aliquo modo nutriunt » (S. Thom., 2. 2. q. 141, a. 1 ad 2), intellige, quae « tenuiter nutriunt », v. gr. vinum, aqua saccharo immixta (S. Alph., n. 1022). Consuetudo ergo, quae haustionem permisit aquae saccharo immixtae, hanc permisit, non quia per modum potus, nam haustionem iusculi non permittit, sed quia eius vis est tenuis, ideoque rationem habuit vis rerum nutritivae. Neque id, quod postremum diximus, reiicias aiens iusculum ideo non permitti, quia etsi potus sit, tamen habet rationem cibi; nam aliquem potum « habere rationem cibi », nihil aliud significare potest nisi « nimis magis nutrire, quam alios communes potus ». *b*) Ob eamdem rationem non censetur graviter laesum ieiunium ob comestum malum aureum vel pomum (Gén. S., *Casus*, [ann. 1922] de iei. cas. 1), cum tamen eorum pondus facile excedat quatuor uncias, quae in cibis ordinariis censetur materia gravis. Si ergo coenulam sumas solis pomis, non duobus tantum vesci debes. *c*) Admittunt communiter Doctores, ait S. Alph., n. 1025, quod coenula ex iusta causa potest esse maioris ponderis, « si quis maiori eget nutrimento »; puta huic licere omnino v. gr. 10 uncias; ergo et 10 unciae licere debent, si cibos quis eligit minoris nutrimenti, quia tunc « maiori eget nutrimento ». *d*) Idem sentit Mostaza in ephemer. « *Sal Terrae* » a. 1916, p. 1108, n. 12, 13; Gennari et Berardi, ibid., n. 13, 60. *e*) Cf. S. Alph., n. 1029 in fine secundae paragraphi.

Probatur 2.um. Pisces vulgo censentur (recte vel erronee, nunc nihil refert) magis nutritivi quam cibi illi mediocres (panis, oleae etc.); nisi enim haec sit vulgata hominum existimatio, explicari non potest cur in quibusdam regionibus a coenula exclusi fuerint. Atqui tamen in aliis regionibus, ubi admissi sunt, non ideo videntur homines quantitatem minuisse (Ball. P., vol. 2, p. 807, n. 54; Sporer, Elbel et alii apud S. Alph., n. 1026, 1028, et plures cordati viri in ephemer. « *Sal Terrae* » loc. cit., n. 35, 50, 60, 61 [hi autem moderni quo modo audiendi sint, cf. S. Alph., n. 1025, priores phrases]). Ergo etsi agatur de cibis aliquanto plus nutritivis, non ideo quantitas assignari debet minor, sic enim videmus plerumque observatum a consuetudine in locis, ubi pisces admissi sunt. — Dices forsan auctores supposuisse coenam non fieri solis piscibus, solent enim homines obsonia miscere saltem pane. Resp. *a*) Debuissent auctores quantitatem minorem assignasse pro rata pi-

scium, quod non fecerunt. *b*) Aliqui non ambigue videntur loqui etiam in hypothesi, quod soli edantur pisces. Ball. P.: « quidquid demum sumant »; Sporer, Elbel: « non attendenda qualitas, sed tantum quantitas »; idem fere Gennari, loc. cit.; Noldin, 683, 2°. Si tamen alicubi consuetudo localis rigidius procedat, sine dubio ita ibi observanda est; restrictiones igitur, quas consuetudini universali apponunt Lehmk., n. 1463, S. Alph., n. 1027, videntur tantum observandae in locis, ubi eas consuetudo exigat, et pro escis pro quibus exigat.

Denique diximus « modo excessus non sit adeo notabilis ». Non enim alia videtur esse ratio, cur consuetudo ubique carnes a coenula excluserit; non enim eas exclusit, quia censuerit incompatibiles cum ieiunio, siquidem eas admisit in prandio; ergo ideo, quia pro coenula censuit nimis esse nutritivas.

4° *Iuxta consuetudinem quantitas diversa est ratione potentiae ciborum satiativae*, ita ut quantitas sumi debeat notabiliter minor, si cibi, etsi mediocriter nutritivi ita parandi sunt, ut notabiliter satient; huiusmodi sunt fabae, si aqua concoquendae sunt, oryza, cicera etc., si similiter elixanda, panis aqua coquendus ad modum pulmenti seu offae densae. Ita communius interpretantur consuetudinem auctores apud S. Alph., n. 1029; item Lehmk., n. 1462; Ferr., n. 615 pluresque apud ipsum; Noldin, 683, loc. cit.; immo sunt qui contrariam sententiam dicant improbabilem apud S. Alph., n. 1029, et ipse S. Alph. contrariam respuit in *Hom. Apost.*, tr. 12, c. 1, n. 18. (Contraria tamen eos habet patronos atque ita defenditur; ut videatur probabilis; vide apud S. Alph., n. 1029; Gén. S., n. 437, II, in nota). Atqui in casu quantitas non minuitur ratione maioris nutritionis, cum evidens sit non contineri maiorem quantitatem materiae nutritivae in leguminibus aqua coctis. Ergo consuetudo (eam enim interpretantur auctores, cum ipsi nihil novi statuere possint) eam minuit ratione maioris vis satiativae. Ceterum ita egisse consuetudinem mirum non est. Nam etsi finis legis non cadat sub legem ideoque non necessario respiciendus sit ab eo, qui legem adimpleturus est (propterea potest quis sumere totum, quod consuetudo permittit, etsi experiatur satietatem): prudenter tamen consuetudo finem legis respexit, priusquam statueret quid permitteret (Lehmk., n. 1462 nota; «*L'Ami du Clergé*», anno 1911, pag. 252). — Si quaeris, cur consuetudo tantam quantitatem permiserit oryzae etc. concoctae, siquidem 4-5 unciae adhuc valde satiant, responderi potest noluisse adeo diminuere, donec ordinarie non satiaret, ne nimis minueretur quantitas materiae nutritivae; ad utrumque igitur respexit, ad satietatem et nutritionem.

5° *Non licet a consuetudine recedere, quamvis haec erronee iudicaverit de vi nutritiva quorumdam ciborum.* Nam etsi quid putaverit parum nutrire, quod multum nutrit, titulus tamen consuetudinis uti validus agnoscitur a Iure, ideoque illud, prouti et quantum a consuetudine admissum est, legitime sumitur. E contra si quid consuetudo exclusit (nec per Indultum concessum est, ut ova et lacticinia), etsi ideo excluserit, quia falso putavit nimis nutrire, sumi non poterit, quia deerit titulus legitimus.

6° *Si cibus intingatur liquido, nihil e quantitate detrahendum est; contra vero, si concoquatur liquido.* Detrahendum esse in 2° casu, constat ex asserto 4°. Contra nihil detrahendum in primo, etsi intinctio (v. gr. panis vino madefactus) quantamcumque procuret satietatem, constat ex sensu moralistarum: S. Alph., n. 1029; Ferr., n. 615; Gén. S., n. 437 nota; Ball. P., n. 61. Et iure quidem fit distinctio. Nam si cibus intingitur seu madefit, liquidum censetur manere cibo extraneum esseque merum vehiculum, merum medium ad reddendam faciliorem comestionem, quin cibo incorporetur; propterea qui panem intingit vino, non dicitur simpliciter sumere « vinum », sed « panem intinctum vino ». At vero cum panis, cicera etc. aqua concoquuntur, etsi chimice non transformentur, tamen ita illis aqua incorporatur, ut iam vulgo censeatur cum illis efficere unum cibum; propterea, qui id sumit, non iam dicitur sumere « cicera cum aqua », sed simpliciter « cicera », neque sumere « panem cum aqua », sed « pulmentum ex pane », « offam ». Si igitur panis vino intinctus censetur vulgo seiunctus a vino, bene consuetudo nihil detraxit tunc de quantitate panis, liquidum enim, quod consideratur seiunctum, non computatur. At quoniam pulmentum panis censetur cibus quidam a pane diversus, consuetudo illum consideravit, et reperiens esse notabiliter magis satiativum diminuit quantitatem.

7° *Lac non est censendum alimentum quoddam aqua immixtum, sed veluti unus quidam cibus.* Nempe est unus cibus, sicut nuper diximus de pulmento panis vel leguminum; nemo enim dum lac bibit, dicitur bibere « aliquid aqua immixtum », sed simpliciter « lac ». Ergo ad determinandam quantitatem aqua non debet seponi sed computari, efficit enim moraliter unum cibum cum reliqua materia alimentitia. — Haec dicimus de aqua, quam lac naturaliter comportat secum; nam si aquam infundis, hanc computare non debes; vulgo enim aestimatur manere lacti extranea; propterea tunc non diceris simpliciter bibere « lac », sed « lac aquatum », « lac aqua temperatum ». E contra, si lac evapores et aquam detrahas, non ideo plus lactis poteris sumere, etsi pondus decreverit, quia moraliter est alius cibus magis nutriens; propterea non diceris tunc sumere simpliciter « lac », sed « lac densatum ». Ex his erues iterum vulgari aestimatione nomine lactis venire simul aquam quam lac naturaliter habet.

8° *Lac non magis nutrit quam cetera alimenta permissa in coenula.* Probatur: 100 grammata lactis continent tantum 12,5 grammata substantiae nutritivae, dum in eadem quantitate (100 grammatis) panis contineat circiter 60; poma terrea (*patatas*) 25; pisa sativa (*guisantes*) sicca 85; non sicca 22 (adverte, quod pulmentum, de quo auctores permittunt 4-5 uncias, fit ex siccis); brassica (*col*) 14,5; fabae tenerae (*habas tiernas*) 16; oryza (*arroz*) 86.8; phaseoli (*alubias*) 75, iidem teneri (*habichuelas*) 88.8; lenticulae (*lentejas*) 87.7; saccharum 99.5; quoad alia alicubi permissa, piscis siccatus (*bacalao*) 84, asellus (*merluza*) 20, caseus 59.

9° *Lac non magis satiat quam cetera alimenta permissa in coenula.* Immo, minus satiat, aequali servato pondere. Si 4 uncias lactis sumas (circiter vas ordinarium), minus, longe minus satiaris quam per 4 uncias panis vel oryzae aqua concoctae.

10° *In coenula sumi possunt 12 unciae lactis*, (circiter 360 grammata) vel, si mavis, 4 unciae lactis, cui intingas 4 uncias panis (id est dimidiam portionem lactis cum dimidia portione panis permissa). Probatur ex comparatione cum cibis consuetudine sancitis. Nam 12 unciae lactis minus *nutriunt*, continent enim tantum 45 grammata substantiae nutritivae, cum 4 unciae oryzae contineant 104, panis 75. Et minus *satiant;* profecto si in coenula sectaris *satietatem*, multo libentius eliges pulmentum ex 4 unciis oryzae aqua concoctae quam fere duo vasa lactis. — Omnino 12 uncias lactis habemus tutum, et si quis paulum augeat, non resistimus. — Licere 8 uncias non temere iam teneret quis nixus tantum consuetudinibus quibusdam localibus et opinionibus, quas refert « *Sal Terrae* », l. c. p. 1114-1120, etsi bas alii laxitudinis accusaverint. — Nulla consuetudo hucusque invocari potest, ne coenula sumatur ex lacte tantum.

11° *In coenula sumi possunt quatuor unciae ovorum* (*duo ova*) *cum reliqua portione lactis aut panis etc.* Certe ova non sunt magis nutritiva quam plures aliae escae esuriales; illorum enim 100 grammata continent tantum 26 materiae alimentitiae; nimis tamen nobis videntur satiativa, ut statuamus posse totam coenam ex ovis sumi, nempe quatuor ovis (cf. Lehmh., n. 1463; Prümmer ap. Ferr., II, n. 1372, quin tamen in omnibus illi assentiamur). Qui tamen plus quam duo ova sumeret, profecto posset suam rationem agendi fulcire tum opinionibus eorum antiquorum, qui dicebant attendendam esse tantum quantitatem (apud S. Alph., n. 1026, 1028), tum modernorum, qui idem dicunt loquentes de ovis in ephemer. « *Sal Terrae* », loc. cit., n. 34-39), et quorum rationes nobis quidem non displicent.

Cui 8 unciae in coenula non sufficerent, ut ieiunium servare posset, is 10 uncias posset sumere; quod si hanc quantitatem notabiliter excedere deberet, iusta esset causa saltem ad impetrandam dispensationem.

Frustulum matutinum introduxit quoque consuetudo. Potest sumi caphaeum (in quibusdam regionibus aliquid lactis admiscetur) [1] cum fere duabus unciis panis; si sumitur chocolatum cum pane, potest summa utriusque pertingere ad integras duas uncias.

Extra coenulam et frustulum matutinum prohibetur cibus, nisi forsan aliquid degustes semel aut bis in die ante potum, ne is noceat, vel electuaria (pastillas) sumas in parva quantitate ad vocem conservandam aut ob aliam causam rationabilem; tunc enim « non censentur solvere ieiunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio [2]. Non prohibetur

[1] Habentes Bullam Cruciatae in *Hispania* et *Lusitania* adhibere possunt ova et lacticinia; in *America Lat.* excluduntur ova et conceduntur lacticinia.

[2] S. Thom., 2. 2. q. 147, a. 6. Ita etiam Lugo, *De Euch.*, d. 15, n. 21: « Non violatur ieiunium ecclesiasticum per id, quod sumitur per modum medicinae ».

potus (nisi agatur de liquidis, quae habent rationem cibi, v. gr. chocolatum, lac), ideoque licet, quoties lubeat, bibere vinum, cerevisiam, caphaeum, aquam immixtam saccharo (nisi tantam copiam sacchari immisceas, ut potio habeat potius rationem cibi), aut succo mali citrei (limonada, sorbete), etiamsi sumantur congelata et quamvis fiat ad sopiendam molestiam ieiunii.

Ad laesionem gravem ieiunii probabiliter requiruntur **369** quatuor unciae nec videtur referre, utrum coenulae an frustulo addantur vel extra has refectiunculas sumantur. Parvae portiones sumptae eadem die coalescunt in unum [1].

Qui ieiunium graviter laesit et quamvis satis graviter laeserit, non ideo a ieiunando deobligatur; aliud est enim gravem quantitatem sumere, aliud prandere; ieiunium non fit impossibile nisi per duplicem moraliter plenam refectionem.

Qui inadvertenter ientaculum sumpsit, non tenetur, quidquid dicant alii, vespere sumere frustulum loco coenulae, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum (n. 370). Attamen hac sola ratione attenta ille solum posset sumere vespere quantitatem, quae sufficeret ne censeretur sumi refectiuncula matutina et ordo perverti, puta 4 uncias, si id ferre posset absque gravi incommodo. Nihilominus putamus eum posse sumere integram coenulam; nam consuetudo, cum coenulam permittat etiam robustissimis, videtur esse absoluta et praescindere a circumstantiis quibuslibet, quae illam reddant minus necessariam, ideoque et praescindere a ientaculo inadvertenter sumpto. Id fulciri potest opinione eorum, quos citat S. Alph. [2], concedentium posse quemlibet relicto medio extraordinario se conformare consuetudini, etiamsi inde reddatur impossibile ieiunium; et nonne attenta consuetudine erit medium extraordinarium, quod in coenula ad 4 tantum uncias adigaris?

b) **Hora refectionis** est versus meridiem, licita tamen est **370** anticipatio unius horae. Immo hodie quaecumque anticipatio non excedit peccatum satis leve, ac proinde licita redditur ob motivum rationabile. Accedente igitur consuetudine vel causa negotiorum etc. licet anticipare quantum opus sit, vel ordinem refectionum pervertere, sumendo v. gr. mane coenulam, vespere frustulum; immo can. 1251 concedit serotinam refectionem cum prandio permutare. Si quis autem ieiunare non posset nisi permutata coenula cum frustulo matutino, non teneretur

---

1 Cf. prop. 29 damn. ab Alex. VII.

2 S. Alph., n. 1034.

ad ieiunium, quia[1] nemo tenetur ad hoc medium tam insolitum.

Circa durationem prandii nihil statutum est; non pervenitur facile ex hoc capite ad peccatum grave. Sane prandium sine ulla culpa protrahi potest per duas horas.

Interrumpere prandium per tempus non notabile, v. gr. per quadrans cum dimidio, licet etiam sine causa, si ex spectatis adiunctis prandium censeatur adhuc perdurare; ideo si v. gr. alii convivae adhuc assideant et apponatur novum ferculum, potes iterum assidere, etsi plicata mappula iam surrexeris cum animo non amplius comedendi; hinc multo magis licet interrumpere ut alium locum adeas, v. gr. officinam « café », ubi reliqua sumas. Ex rationabili causa licet prandium interrumpere tempore notabili; v. gr. per horam, modo habeatur intentio redeundi et refectio sumpta non fuerit sufficiens; ut si quis interrumpit ut descendat ad officinam ad satisfaciendum emptori petenti; ideo ante prandium possunt lectores ad mensam, ut fit apud religiosos, aliquid cibi sumere: cum enim fiat ex iusta causa et cum intentione postea prosequendi, moraliter est una comestio. Immo ob negotium etc. licet etiam post duas horas aut amplius perficere prandium interruptum, si id non fuerat sumptum in sufficienti quantitate ut tolerari possit ieiunium.

371 *c*) **Excusantur a ieiunio.** 1° Infirmi, convalescentes, ii quoque, qui notabilem capitis dolorem aut vertiginem paterentur aut nocte per notabile tempus non possent somnum capere. — Quando poenitens, cuius vires ignorantur, dicit se non posse ieiunare, dicat ei confessarius, ut tentet sumere interdiu v. gr. aliquid vini; si postea dicit se neque hoc modo posse et eius officium requirit mediocrem laborem, etsi non sufficientem ad excusandum, dicat ut experiatur an possit diebus alternis; si adhuc dicat se non posse et dubium sit de sufficientia causae, remittat eum ad parochum aut alium facultate pollentem, ut dispensetur[2]. Quando agitur de infirmis, valetudinariis etc., et dubium est num infirmitas sufficiens sit ad excusandum, habeantur ut excusati, cum semper periculum esse possit ne malum ingravescat vel redeat[3].

2° Pauperes, qui ad prandium nihil habent nisi panem et legumina, et quamvis iam essent ad id assueti; haec enim non nutriunt sufficienter, nisi pluries in die in magna quantitate sumantur[4].

---

[1] Cf. Bus. et alios ap. S. Alph., n. 1031 et 1034, et Gén. S., n. 438.

[2] Sánchez, *Consil. mor.*, l. 5, c. 1, d. 6, n. 3.

[3] Roncaglia, *De Iei.*, c. 2.

[4] S. Alph., n. 1033.

3° Qui artem exercent valde laboriosam, ut fossores, agricolae, lapidicidae, figuli, textores, baiuli, aurigae, fabri lignarii, ferrarii et murarii, pistores, coqui plures dapes et multis personis praeparantes (non qui tantum praesunt inferioribus ministris), typographi praelum versantes (non qui typos componunt), famuli, qui tota die maioribus laboribus incumbunt (non ancillae levia servitia exhibentes). Praedicti artifices excusantur a ieiunio, 1) etsi divites sint, quibus detrimento non esset artem, quam ex officio exercent, diebus ieiunii intermittere; talis enim obligatio vergeret in detrimentum boni communis; 2) etsi robusti sint et sine gravi incommodo ieiunare valerent, quia consuetudo universim eximit omnes, qui laboriosas artes exercent; 3) etiam si uno vel altero die non laborent, quia prima die debent lassitudinem reparare, altera die servare vires ad laborem die sequenti assumendum [1]. Qui autem artem exercent minus laboriosam, ut sartores, barbitonsores, pictores, notarii etc., non excusantur a ieiunio, nisi propter complexionis debilitatem non possent labori sine magna difficultate vacare.

4° Censentur habere laborem cum ieiunio incompositivum ideoque praesumuntur ieiunio impares, nisi contrarium constet, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent in Quadragesima; id enim requirit studium et corporis agitationem; lectores scientiarum, qui magno studio et labore indigent (non vero qui dictant lectiones iam prius ordinatas et saepius repetitas) [2]. Similis praesumptio habetur pro mulieribus tempore praegnantiae et lactationis (nam numquam poterit certo constare, quod omne periculum ex ieiunio aberit saltem foetui vel proli lactandae) et diebus menstruationis.

5° Qui pedes (non rheda aut equo, multo minus curru ferreo, qui longe commodior est) iter facere debet quatuor vel quinque leucarum (id est 4-5 horarum), nisi quis sumpta post iter coenula satis posset die sequenti quiescere et se reficere. Excusat etiam iter brevius, si via tam ardua est aut tempus tam asperum aut viator tam itinerando insuetus, ut sine magna difficultate ieiunare non possit. Ob paritatem casus excusantur famuli, qui iugiter per diem inserviunt, ambulando ad emendum, ad comitandum, ad litteras ferendas etc. [3].

---

1 S. Alph., n. 1041-1044.

2 Magistri Grammaticae, qui nimis defatigantur, quales sunt qui in Societate 4 horis Grammaticam docent, sufficit ut ieiunent diebus alternis, idque tene, ait Sánchez, *Consil. mor.*, l. 5, c. 1, d. 13 « etsi sint valde fortes et robusti, et si aliquis fuerit debilior, minus aut nihil ieiunet ».

3 S. Alph., n. 1047.

6° Omnes, aetatis anno *vicesimo primo* nondum expleto aut *sexagesimo* iam *inchoato;* hos enim omnes eximit, nulla requisita speciali causa, canon 1254, § 2. — Probabiliter putamus iuxta sententiam ante Codicem a pluribus admissam, *feminas* post *expletum* annum *quinquagesimum* praesumi posse excusatas; haec enim sententia nullam vim amisit post Codicem, ut bene probat Ferreres. Diximus « praesumi », ideoque quaelibet earum excusatur, nisi vere viribus pollere probetur certo.

Circa mulieres quinquagenarias acute et erudite disserit Ferreres in ephem. « *Razón y Fe* », vol. 69, p. 353-371, 469-478, contenditque sententiam, quae eas a ieiunio excusabat ante Codicem, fuisse probabilem et sustineri adhuc posse tamquam probabilem post Codicem.

Quamquam post Codicem veterem illam opinionem omnino iam deserant auctores (Creus. Verm., *Summa Novi Iuris*, n. 494; Verm. Creus., *Epitome Iur. can.*, II, n. 570; Gén. S., qui in n. 445 post Codicem expunxit opinionem illam, cui probabilitatem non denegabat extrinsecam; Noldin, qui pariter post Codicem expunxit in n. 681 illam opinionem, quam ante Codicem absolute docebat in n. 687; idem videtur significasse Lehmk., *Quaestiones praec. mor.*, a. 1918 p. 23), iuvat tamen sequentia puncta breviter expendere.

1.um punctum. Quid tenebat illa opinio ante Codicem?

Tenebat feminas communius senescere incipere expletis aetatis annis quinquaginta, ideoque aequiparandas esse viris, quorum senectus incipere solet anno sexagesimo. Excusatas igitur a ieiunio haberi posse mulieres, expleto anno qunquagesimo, sicut excusati habentur viri incepto sexagesimo.

Notanda:

a) Ante Codicem nulla lex scripta aut minorennes ante tertium septennium aut sexagenarios eximebat; sed antequam consuetudo legitima formaretur, eos excusabat tantum sua debilitas. Et quoniam debilitas in eis accidebat ordinarie, ex ordinariis autem exsurgit praesumptio, ideo quilibet illorum *praesumebatur* excusatus, nisi robustus esse *certo* probaretur.

Revera deficiente lege scripta aut consuetudine nihil magis quam *praesumptio* probabatur in favorem minorennium ante septennium ex rationibus, quas suo tempore adducebat S. Tohmas, 2. 2. q., 147, a. 4, ad 2 (cf. Ferreres, loc. cit., p. 359), aut in favorem sexagenariorum ex rationibus, quas (si rationem consuetudinis excipias) affert S. Alph., l. 3, n. 1036.

Exinde vero invaluit consuetudo, ut omnes minorennes indiscriminatim excepti haberentur ante 21 annum (hanc consuetudinem testatur Sánchez, *De Matrim.*, l. 7, d. 32; cf. Ferreres, loc. cit., p. 366, n. 35, b), unde iam quilibet eorum ieiunare non tenebatur, etsi robustus esse evidenter manifestaretur. Quoad sexagenarios similem consuetudinem testabantur communius Doctores tempore S. Alphonsi (S. Alph., loc. cit.) et certo haec vigebat nostris temporibus ante Codicem.

b) Quoad mulieres quinquagenarias nulla hucusque viguit consuetudo eas eximens, ut manifestum est ex ipsis disputationibus auctorum, qui non solum eam numquam allegarunt, sed plerumque quamlibet probabilitatem sententiae illis mulieribus faventi recusabant.

Quare si sententia illa erat probabilis, non potuit ante Codicem sustineri in eo sensu, quod omnes illae indiscriminatim eximerentur, etsi essent robustissimae, sed ad summum in eo sensu, quod pro iis staret praesumptio, et consequenter a ieiunando, etiam in casu cuiuslibet dubii, excusaretur quaelibet, donec praecepto adimplendo par esse evidenter probaretur.

Immo nec pro muliere quinquagenaria adeo vehemens praesumptio exsurgebat ac pro viro sexagenario. Nam pro his viris praesumptio fundabatur in *communiter* contingentibus, adeo ut exceptiones essent rarae; pro illis vero feminis fundari debebat in *plerumque* contingentibus, adeo ut exceptiones deprehenderentur forte frequentiores; si enim exceptiones evenirent raro, non explicaretur difficultas tot auctorum in admittendo facto quotidianae observationi pervio.

Hinc videretur erui praesumptionem pro quinquagenaria muliere facilius posse destrui probatione contraria, ideoque non fore exspectandam probationem prorsus firmam de eius capacitate ad ieiunandum. Sed hic locum habet, quod ait S. Alph., n. 1036, rem fore multis scrupulis obnoxiam, si dimetienda esset quantitas probationis in contrarium requisitae, unde iam in praxi favor praesumptionis redderetur inutilis. Simpliciter ergo teneri debet, quod ante Codicem illa sententia, si probabilis, eo modo ad praxim applicanda erat, ut mulieres quinquagenariae a ieiunio excusatae censerentur, nisi pro aliqua particulari robur non mere apparens sed verus esse certo manifestaretur.

2.um punctum. An ea sententia fuisset ante Codicem probabilis.

Iudicium ferre definitivum de ipso facto, an revera mulieres sat communiter senescere incipiant expleto anno quinquagesimo, fere est impossibile hic et nunc, ut ipsa controversia ostendit. Interea vero, dum ex prolixioribus peritorum et aliorum observationibus copiosior lux affulgeat, facti veritas bene admitti potest saltem ut probabilis ex testimonio tot auctorum (cf. Ferreres, loc. cit., p. 469, n. 42 et p. 472, n. 46, 48, 49), qui opinionem favorabilem profitebantur; dissensio autem aliorum explicari potest admittendo factum non esse adeo generale. De cetero extenuandum esse dissentientium numerum elucet ex eorum crisi, quam instituit Ball. P. (cf. ap. Ferreres, loc. cit., p. 471-472), ostendens evenisse in hac quaestione id, quod alias non raro: accumulata fuisse in favorem alicuius sententiae nomina auctorum, quorum quidam iuraverant tantum in verba ceterorum.

3.um punctum. An ea sententia in novo Codice excludatur.

Nam differentia erit haec: Si non excluditur illa sententia, mulier quinquagenaria eo ipso poterit probabiliter haberi excusata, donec eius vires robustae evidenter probentur, unde excusabitur in quocumque dubio. Si illa sententia excluditur, tenebitur

usque ad inceptum annum sexagesimum ieiunare, nisi eius moralis impossibilitas probetur saltem probabiliter, unde non excusabitur in dubio negativo.

Iam vero excludi illa sententia videtur primo aspectu, eo quod Codex can. 1254, § 2 ad ieiunandum ab anno 21° ad inceptum 60.um obligat «omnes». Verum Codex hoc loco nihil aliud agit nisi limites obligationis praefinire « ratione aetatis ». Unde si pridem mulieres illae exceptae fuissent propter aliquam legem eas eximentem « ratione aetatis quinquagenariae », nunc suam exemptionem amisissent, siquidem limes anni sexagesimi hodie imponitur in « omnes ».

At vero praedictae mulieres non eximebantur iuxta illam sententiam, « ratione aetatis » (sicut e contra iam ante Codicem minorennes ante annum 21 et omnes incepto 60 vi consuetudinis eximebantur « ratione aetatis », etsi nulla alia allegaretur ratio et quantocumque robore pollerent), sed excusantur tantum ratione « praesumptae impossibilitatis moralis » (sicut excusantur etiam post Codicem ratione « praesumptae impossibilitatis moralis » mulieres praegnantes).

Si igitur ante Codicem probabile erat mulieres post expletum annum quinquagesimum praesumi posse in impossibilitate morali ad ieiunium, id ipsum erit probabile hodie post Codicem; Codex enim factum impossibilitatis moralis, si vere aderat, tollere non potuit. Atqui sive ante sive post Codicem quicumque praesumi potest ieiunando esse impar, excusatus praesumi potest.

Limitationes aetatis factae a Codice teneri quoque possunt quoad eos, qui voverunt ieiunare v. gr. sabbatis per totam vitam, nisi in voto expresse intendissent comprehendere ultra illam aetatem.

NB. — 1° De assumptione laboris incompositivi cum ieiunio, cf. dicta n. 41. Attamen accedente ratione honesta, v. gr. si scholasticus die vacationis vellet ire ad visendos parentes, vel si studio serio incumbens deberet tota Quadragesima abstinere a delectatione itinerationis, tunc recte dicunt plures[1] ieiunium, si opus fuerit, posse omitti; nam aequitas naturalis dictare videtur legislatorem non intendisse prohibere semel et iterum haec exercitia honesta, sicut non voluisse excusare si fiant frequenter.

2° Saepe causa ad excusandum insufficiens sufficit ad dispensandum. In dubio de sufficientia causae, cf. n. 47.

Art. 3. De dispensatione.

372 **Dispensatio** a ieiunio vel abstinentia vel ab utrisque simul concedi potest ab iisdem, qui dispensare possunt a festorum observantia, ut patet ex can. 1245, qui eis utramque facultatem et eodem modo tribuit. Recole ergo dicta superius in n. 359.

---

[1] Cf. Ball. P., n. 93; Gén. S., n. 446.

I. BULLA CRUCIATAE, ad duodecim annos a Dominica 1ª Adventus anni 1915 computandos, pro locis *Hispaniae* ditioni subiectis renovata est 12 aug. 1915 (A. A. S. a. 1915, p. 557), ad decem vero annos a die 1ª ianuarii anni 1915 computandos, pro locis *Lusitaniae* ditioni subiectis renovata 31 decembris 1914 (A. A. S. a. 1915, p. 549). Utraque omnino eumdem fere tenorem exhibet, ideoque ea omnia, quae in sequentibus dicemus, pro utraque accipiantur, nisi parvas quasdam mutationes pro Lusitania intra parenthesim moneamus.

a) *Praevia quaedam.* Bullae pontificiae textus complectitur septem series (quas vocat « Indulta ») facultatum, nempe quoad « indulgetias », divina officia et sepulturam », « confessionem et votorum commutationem », « dispensationem ab irregularitate et ab impedimento affinitatis et criminis », « beneficiorum convalidationes et compositiones », « legem abstinentiae et ieiunii », « privata oratoria ». Porro Bullae Exsecutori (qui in Hispania est E.mus Card. Archiep. Toletanus, in Lusitania E.mus Card. Patriarcha Lisbonensis) facultas fit praedicta « Indulta » colligere, et conficere « Summaria », plura vel pauciora, prout ipse melius iudicaverit. Ita v. gr. in Hispania quinque Summaria confecta sunt ad modum summariorum pristinorum, appellata « Summarium generale, sive Cruciatae » (complectitur fere tria priora ex praedictis Indultis), « Defunctorum », « Compositionis », « Abstinentiae et Ieiunii », « Oratoriorum ».

Indulta Cruciatae singulis annis promulgari debent, et Summaria, quae quis sumpserit, ei valida sunt usque ad unum mensem post factam novam promulgationem. Bene ait Ferr., n. 1342, quod si quis Bullam sumpsit Matriti, ubi promulgatio fit Dom. 1ª Adventus, et dein domicilium transferat Derthusam, ubi fit in Dom. Quinquagesimae, Bulla valet usque ad hanc promulgationem et adhuc per unum postea mensem

Bulla frui potest quicumque (etsi sit nationis exterae) eam sumat, dum versatur in territorio hispano vel lusitano. Ferr., *La Nueva Bula*, n. 85. Indulto autem quoad legem abstinentiae et ieiunii uti possunt etiam extra Hispaniam et Lusitaniam, dummodo absit scandalum.

Sufficit Summaria sumere, quin necesse sit apponere proprium nomen aut ea servare.

b) *Indultum quoad legem abstinentiae et ieiunii.*

α) Licet in quavis refectione (etiam in frustulo matutino) edere ova et lacticinia.

β) Abstinentia servanda est tantum in feriis sextis Quadragesimae et Quatuor Temporum, et in tribus pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et Nativitatis D.ni. — Bulla *Lusitaniae* addit ferias sextas Adventus et pervigilium Omnium Sanctorum. Sed cum nec abstinentia nec ieiunium pro Adventu, extra ferias Quatuor Temporum et Vigiliam Nativitatis, contineantur in Codice Iuris, atque aliunde liceat ex his Indultis expungere dies, qui in Codice suppressi sunt (cf. responsum Card. Gasparri, quod citat et commentatur Ferreres in ephem. «*Razón y Fe*», vol. 53, p. 115; item

aliud responsum eiusdem apud FERR., II, n. 1382 in nota, et resp. Secretariae Status 13 dec. 1911, A. A. S., a. 1911, p. 669, declarans eius generis concessiones cumulari posse), ideo omitti potest abstinentia in Lusitania durante Adventu, servata tantum feria VI Quatuor Temporum et pervigilio Nativitatis.

γ) Ieiunium servandum est tantum in feriis quartis, sextis et sabbatis Quadragesimae, necnon in tribus praedictis pervigiliis. — Pro *Lusitania* dic quatuor praedictis pervigiliis. — Tum pro *Hispania* tum pro *Lusitania* propter responsa nuper citata censeri debet cessare ieiunium Sabbato Sancto post meridiem (can. 1252).

Pervigilium Nativitatis (non tantum quoad ieiunium, sed etiam quoad abstinentiam, FERRERES, *La Nueva Bula*, n. 210 nota) anticipatur ac remittitur ad sabbatum proxime praecedentem Quatuor Temporum.

δ) Omnes possunt ex rationali et iusto motivo a propriis confessariis dispensari a lege abstinentiae et ieiunii.

NB. — 1° Pauperes quin Bullam sumant, eius Indulto frui possunt quoad abstinentiam et ieiunium. Pauperes autem censentur (cf. FERR., II, n. 1371, NB. et FERRERES, opusc. cit., n. 224 nota) qui laborare debent ad propriam ac familiae sustentationem, etsi aliqua bona possideant vel toto salario non indigeant.

2° Omnino excluduntur ab hoc Indulto quoad abstinentiam (non ieiunium) Regulares, qui ex speciali voto (non ex regula tantum) toto anno esuriales cibos servare tenentur.

3° Indultum hoc sumi potest « Summario collectivo » pro se et tota familia, extensive ad quoslibet familiares, hospites etiam ad brevissimum tempus et commensales.

c) *De ceteris Indultis.* 1. *Duo priora Indulta* seu quoad « indulgentias », « divina officia et sepulturam » et « confessionem et votorum commutationem » simul cum duobus sequentibus quoad irregularitates et impedimenta ex integro transcripta sunt in documento « Summario generali », quod iis omnibus traditur, qui Bullam sumunt. Ex eius tenore notum quisque habere poterit, quaenam gratiae conceduntur. Notatu digna est, quae sequitur:

Ecclesiastici omnes sive cleri saecularis sive regularis libere possunt, recitatis Vesperis et Completorio (quae tamen condicio ad validitatem non requiritur), Matutinum cum Laudibus Officii diei sequentis pridie recitare immediate post meridiem.

2. *Indultum quoad confessionem et votorum commutationem* concedit:

Ut omnes, etiam Regulares utriusque sexus, *licet expressa et individua mentione digni et quovis efficaciori privilegio excepti, absolvi in foro tantum conscientiae possint, iniunctis de iure iniungendis, semel in vita seu extra mortis periculum, et semel in mortis periculo intra annum concessionis vel bis in utroque casu, si duplex sumatur Summarium, a quovis confessario sibi libere electo inter approbatos* (pro utroque sexu, si de monialibus et quibuslibet aliis mulieribus agatur) *ab Ordinario loci, a peccatis*

et censuris cuicumque et quocumque modo, etiam speciali, reservatis a iure vel ab homine, ita ut sic absoluti, vi praesentis concessionis, de speciali gratia, non teneantur deinde recurrere ad alium quemcumque Superiorem.

In hac concessione comprehenditur quoque facultas absolvendi a casu falsae denuntiationis de crimine sollicitationis, sed confessarius electus a tali crimine non absolvat, nisi poenitens prius falsam denuntiationem formaliter *retractaverit et non aliter.*

Recursus vero ad S. Poenitentiariam habendus postea erit ad tramitem decretorum S. Officii tunc tantum, cum agatur de attentata absolutione complicis in peccato turpi.

Conceditur praeterea, ut confessarius electus, ut supra, possit in solo conscientiae foro, etiam extra sacramentalem confessionem, omnia vota privata, in quibus ius quaesitum tertii non sit, atque exceptis votis perfectis castitatis perpetuae et religionis, in alia pietatis opera dispensando commutare, iisque adiungendo subsidium aliquod transmittendum ad Exsecutorem Bullae.

3. *Indultum quoad dispensationem ab irregularitate et impedimentis.*

Ab Exsecutore Bullae obtineri potest dispensatio (etiam pro foro externo) super qualibet irregularitate ex delicto, exceptis ex homicidio voluntario, etiam occulto, aut ex simonia, vel apostasia a fide, aut ex haeresi vel ex alio delicto scandalum in populo generante. Sufficit recurrere per epistolam tacito nomine delinquentis, si dispensandum sit tantum pro foro interno.

Ab Exsecutore Bullae obtineri potest dispensatio in occulto criminis impedimento, neutro machinante, sive ad ineundum matrimonium sive ad initum convalidandum. Haec tamen facultas non apponitur in Summario fidelibus distribuendo.

4. *Indultum quoad convalidationes et compositiones.*

Quae magis scitu utilia sint, dedimus superius in n. 282.

5. *Indultum de privatis oratoriis* concedit sacerdotibus celebrare in quovis privato oratorio et quolibet die, excepto triduo Maioris Hebdomadae, quamvis aliae Missae ibi ex Indulto celebrari queant, et sine praeiudicio eiusdem Indulti. Laicis vero ut, si Ordinarius loci id utile censeat, Missam ibidem in sua praesentia celebrandam curare possint.

Qui Bullam Cruciatae habeant, possunt praecepto Missae satisfacere, etiam in privato oratorio, et quamvis Missa non celebretur in praesentia indultarii.

II. ALIA INDULTA A BULLA CRUCIATAE. — In *Hispania* haec tene pro militibus, ex Brevi Pii VII renovato a Pio X 21 iul. 1904, cuius compendium damus:

1. *Quoad abstinentiam.* Todos los militares adscritos a cualquiera de los Institutos del Ejército y de la Armada, que estén en servicio activo, y aun los individuos de tropa, con tal que presten servicio (no basta que dependan de la Autoridad militar), pueden comer carne, excepto el miércoles de ceniza, los viernes de Cuaresma y (hasta mediodía) el Sábado Santo. Gozan del mismo

privilegio (en cuanto a la dispensa de abstinencia solamente) sus familias, criados y comensales que viven en su compañía y se mantienen de su mesa.

2. *Quoad ieiunium.* Los sargentos, cabos, trompetas, cornetas, músicos y todos los soldados rasos de mar y de tierra están dispensados, sin limitación alguna de tiempo y en todos los días del año. Los militares de superior graduación, que se hallan en situación activa, sólo están obligados al ayuno el miércoles de ceniza, los viernes y sábados de Cuaresma y toda la Semana Santa.

3. Gozan de dispensa ilimitada de los preceptos de ayuno y abstinencia todos los súbditos castrenses que se hallen en expedición de guerra, o en campaña.

Societati Transatlanticae barcinonensi tum pro omnibus navium servitio addictis, tum pro viatoribus omnimoda dispensatio concessa est (20 apr. 1916 ad decennium) a lege abstinentiae et ieiunii.

III. INDULTUM AMERICAE LATINAE concessum est ad decennium 6 iul. 1899, iterum 1 ian. 1910, rursus ad aliud decennium 10 novembris 1919 prorogatum est, sed quo magis congrueret novi Codicis praescriptis, nonnullae modificationes eidem quoad dies abstinentiae seu ieiunii introductae sunt. Viget nunc igitur sequenti modo:

Servandum est 1° *ieiunium sine abstinentia* feria VI Quatuor Temporum in Adventu, feriis VI.is Quadragesimae et feria V Maioris Hebdomadae. — 2° *Ieiunium et abstinentia*: feria IV Cinerum et feriis VI.is Quadragesimae. — 3° *Abstinentia sine ieiunio* in quatuor vigiliis *a*) Nativitatis D.ni, *b*) Pentecostes, *c*) Assumptionis B. M. V., *d*) Apostolorum Petri et Pauli vel Omnium Sanctorum.

Diebus ieiunii semper licet omnibus, etiam regularibus, in *collatione* serotina uti ovis et lacticiniis; in *refectiuncula* matutina permittuntur lacticinia, exclusis ovis.

NB. — 1° Nulla taxa pecuniaria imponitur, atque hoc Indulto fideles uti possunt, quin illud petant. Valde tamen rogantur eleemosynam sponte dare diebus ad eius recollectionem assignatis.

2° Religiosi utriusque sexus, speciali voto non obstricti, uti poterunt hoc Indulto, de consensu suorum superiorum, etiam quoad abstinentias et ieiunia in propria regula.

3° Ex Const. Leonis XIII « Trans Oceanum », 18 apr. 1897 ad triginta annos, et ex praecedenti Indulto, quod cum eo simul cumulari potest (declaratio Pii X per Secret. Status 13 dec. 1911) *Indi et nigritae* tenentur tantum: *a*) ad ieiunium cum abstinentia in feriis VI.is Quadragesimae et *b*) ad abstinentiam sine ieiunio in vigilia Nativitatis D.ni. — Nomine autem *indorum et nigritarum* ex declaratione authentica facta per S. C. negot. eccles. extraord. 24 mai. 1898 constat comprehendi non solum *a*) « indos » et « nigritas » proprie dictos, sed etiam *b*) « mestitios », id est, qui immediate ex personis europaea et inda vel nigrita nati sunt, c) filios praedictorum, dummodo ambo parentes sint mestitii, *d*) africanos, asiaticos et oceanios, dummodo ex europaeo sanguine non sint ac in Amer. Lat. commorentur.

Caput 4. DE SOLVENDIS DECIMIS

« Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, 373
exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria » (can. 1496).

« Ad decimarum et primitiarum solutionem quod attinet, peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur » (can. 1502).

Decimae non iam, ut antea, decima pars fructuum vel lucrorum honestorum vocantur, sed quantitas, quae ex ecclesiastica lege ministris Ecclesiae propter divinum cultum et spirituale ministerium sit persolvenda.

Praedictae obligationi, ait Codex, satisfaciendum est modo in regione quavis constituto[1].

Caput 5. DE LIBRIS PROHIBITIS

Quatenus lectio prohibita sit iure naturali ob perversio- 374
nis periculum aut propter scandalum, satis diximus in n. 111. Nunc de lege positiva dicendum est, seu quatenus eam Ecclesia fidelibus interdicat; quae quidem lex ecclesiastica omnes obligat, etiam cessante quolibet perversionis aut scandali periculo, ut patet ex dictis n. 46, 3°.

Leges ecclesiasticae continentur in lib. III Codicis, tit. XXIII, qui constat can. 1384 - 1405, materiamque in duo capita distribuunt, quorum alterum de praevia librorum censura (can. 1385 - 1394), alterum de prohibitione librorum agit (1395 - 1405). Praecipua utriusque transcribemus, additis convenientibus adnotationibus; id quidem prae oculis habendo, huiusmodi leges stricte esse interpretandas[2], utpote quae libertatem restringunt in materia, cuius observantia est valde difficilis, attenta ingenti facilitate hodierna imprimendi atque

---

1 In *Hispania* non fideles directe decimas solvunt, sed ex conventione facta cum S. Sede Gubernium dotem quamdam solvendam constituit.

2 Stricte, inquam, esse interpretandas, quando agitur de adstruenda obligatione proprie dicta. Si enim agitur de dando *consilio*, fatendum est cum S. Alph. (Append. de prohib. libr. cap. 5, n. 8) in hac, sicut in quavis alia periculosa materia, v. gr. luxuriae, sententias tunc oportere sequi rigidiores.

edendi, et incredibili colluvie librorum atque ephemeridum, quae passim invitant ad legendum [1].

Iam a limine ipsius tituli XXIII monet Codex: «Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet» (can. 1384, § 2). Id igitur, quoad omnia quae sequentur, dictum esto, nisi contrarium expresse moneatur [2].

---

1 Alias rationes in eumdem sensum vide, sis, apud VERMEERSCH, *De prohib. libror.*, pag. 34 seqq.

2 Hanc tamen indistinctionem librorum cum diariis et quibuslibet aliis scriptis bene ait Codex valere tantum circa ea, quae aguntur *sub hoc titulo*, seu in materia de censura et prohibitione; non igitur in materia de poenis: hae enim sub alio titulo prorsus diverso continentur; ideoque censura, quae ibi infligatur lectioni librorum, non censenda est infligi pro diariis aliisve scriptis.

Praestat igitur hoc loco, quia commodius fiet quam ubi de censuris, accurate definisse, quid nomine *libri* intelligendum sit.

Consentiunt omnes requiri ad constituendum librum certam molem et certam unitatem.

a) *Quoad molem.* Quanta autem mole opus sit, placuit multis (VERMEERSCH, *De prohib. librorum*, pag 40; NOLDIN, n. 701; FERR., n. 625) opinio Schmalzgrueber, quam satis iustam putamus, exigentis 10 integra folia ideoque pro operibus in-8°, 160 paginas; pro operibus in-16°, 320. Bene tamen ait Vermeersch cum Lugone, criterii fundamentum potius requirendum esse ex aestimatione communi.

b) *Quoad unitatem.* Ex huius defectu libri non censentur folia periodica vel diaria in unum volumen collecta, nec calendarium, cuius folia singulis diebus detrahuntur, nec collectiones imaginum, nec chrestomathiae, nec anthologiae, quae fragmenta continent operum prohibitorum, nisi (ait NOLDIN, n. 701) aut ex tota indole collectionis fidei vel bonis moribus adversentur, aut partes prohibitae tantae sint, ut vel singulae vel omnes simul (quibus scopus collectionis sufficientem unitatem tribuere videtur) ad quantitatem libri excrescant.

Pari ratione docet Gennari et approbat FERR. n. 636, nomine libri proprie dicti non venire encyclopaedias, in quibus, utpote scriptis a viris tam catholicis quam acatholicis, inter multa bona reperiuntur alia mala; cum igitur in huiusmodi libris res disparatissimae attingantur, singuli articuli veluti tractationes separatae censendi sunt, et de singulis seorsim iudicandum ex longitudine et materia, quinam prohibiti sint vel secus.

Libelli vero periodici (v. gr. revistae scientificae, philosophiae etc.) etsi quoad singulos fasciculos libri non sint, quia ad librorum molem non pertingunt, ceu libri tamen haberi debent, si fasciculi in unum volumen, quod sufficientem habeat amplitudinem, colligantur; satis enim unitatis habere censentur ex eo, quod argumenta affinia tractant atque ad unam collectionem efformandam destinantur. E contra libri non sunt libelli casu simul ligati: non enim ad unum volumen componendum destinati erant.

Demum attento hodierno usu nomine libri non venit opus manuscriptum (consonat S. ALPH., *append. de prohib. libr.*, c. 5, n. 8, quamvis contrarium sentiat in l. 7, n. 293).

Libellus designat opus minoris molis, quod ad iustam libri quantitatem non attingit, aliquot tamen constat paginis.

Art. 1. De praevia librorum censura.

Perspicue exponit Codex, quinam libri censurae eccle- **375**
siasticae subiiciendi sint, cuiusnam facultas requiratur ut publici iuris fiant, quomodo tandem censores suo munere fungi debeant.

a) **Quinam libri censurae subiiciendi sint.** Ex can. 1385, 1388, 1390, 1391, nisi censura ecclesiastica praecesserit, prohibetur ne *edantur*, etiam a laicis:

1° « Libri *sacrarum Scripturarum* vel eorumdem adnotationes et commentaria ».

2° « Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve huiusmodi *religiosas ac morales disciplinas* spectant; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis *peculiariter* intersit ».

3° « *Imagines* sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur ».

4° « *Indulgentiarum* libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur ».

5° « Libri *liturgici* eorumque partes itemque litaniae a Sancta Sede approbatae ».

6° « *Versiones sacrarum Scripturarum* ».

7° Ex can. 1387, 1388, 1389: Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent, collectiones authenticae precum priorumque operum, quibus Sedes Apostolica indulgentias adnexuit, elenchus indulgentiarum apostolicarum, summarium indulgentiarum vel antea collectum, sed numquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum, collectiones decretorum Romanarum Congregationum.

Adnotationes ad praecedentia. Notandum imprimis lege **376**
prohiberi, ne libri sine praevia censura « edantur », non autem ne « typis imprimantur » (id enim postremum lex non vetat, nisi quoad versiones sacrarum Scripturarum de quibus nuper in 6°), ideoque nihil prohibere quominus ad censuram mittantur non « originalia » quae vocantur, seu manuscriptum, sed paginae typis iam impressae, dummodo correctiones, si quae praecipiantur, fieri adhuc possint, prout evenit antequam definitiva exemplarium multiplicatio in praelo conficiatur.

Praeterea cum lex prohibeat ne absque censura «edantur», censurae censendi sunt non subiici libri vel libelli vel folia sive lithographice, sive autographice, sive etiam typis impressa, quae pro aliquibus tantum, v. gr. pro auditoribus Professoris (etsi per accidens alicui alii etiam exemplar detur), ideoque quasi ad privatum paucorum usum destinantur; sic enim dici nequeunt publici iuris facta seu edita, cum quibuslibet venalia non prostent.

Alia notanda:

377 *Quoad* 1um. Agitur hic de Scripturarum editionibus, adnotationibus, commentariis, non de versionibus, nam de his particulariter agitur inferius in 6°.

Quoad 2um. Ex ipsa distinctione inter «libros», «libellos» et «scripta», quam perspicue observat legislator in huius articuli partitione trimembri, satis constat faciendam esse hoc loco exceptionem, quam canon 1384, § 2° ipse admittit, nempe nomine libri in priore membro libros tantum proprie dictos esse intelligendos, neque extendi debere ad libellos aliave scripta.

Primum igitur membrum refertur ad «libros» qui materias religiosas ac morales versant quasi scientifice et theoretice, ut solent tractatus de re canonica aut morali. Complectitur autem non solum disciplinas expresse enumeratas, sed etiam «alias huiusmodi religiosas ac morales», ut puta, ait Gén. S.[1], scientiam socialem, si non mere oeconomice aut politice tractetur, sed sub respectu morali ac religioso, v. gr. commentando Litteras apostolicas de condicione opificum.

Secundum membrum refertur ad «libros et libellos» (sive libelli periodice edantur, sive secus, non refertur vero ad folia aliave scripta), qui proxime ad mores informandos tendunt.

Tertium respicit scripta quaevis (ideoque etiamsi una constent pagina), in quibus aliquid sit, quod religionis aut honestatis peculiariter intersit, ita ut merito praesumi possit voluntatem esse Ecclesiae, ut censurae subiiciatur. Porro quaenam ista sint, adiuncta temporis et loci decernent, v. gr. si agitur de vindicando Ordine religioso ab aliqua calumnia, de impugnando proposito ferendi legem Ecclesiae nocivam, de narratione novi miraculi aut apparitionis, de nova aliqua devotione, aut de aliquo argumento, quod hodie certe Ecclesiae peculiariter interest, uti de separatione Ecclesiae et Status, de divortio, de onanismo coniugali.

Merito ait Gén. S., quod in plerisque regionibus viget usus, ut in *foliis et periodicis*, quae *non unice* argumentum

[1] Gén. S., n. 458.

plane religiosum tractant, edantur sine praevia censura etiam articuli, qui ex argumenti natura revisioni subiacerent; censurae vero subiiciuntur libelli periodici, qui *toti* in argumento prorsus religioso versantur, qualis est theologia dogmatica vel moralis, ius canonicum, ascesis.

In dubio an aliquid censurae obnoxium sit, standum est pro libertate scriptorum, nisi Ordinarius iudicaverit illud argumentum Ecclesiae esse subiiciendum; tunc enim eius iudicio standum erit.

Quoad 3um. Non agitur de « statuis » vel « picturis », quia **378**
hae non « imprimuntur », (nec de imaginibus ad profanum usum, v. gr. ad artem propagandam destinatis, sed de iis, quae ad pium aliquem usum). An comprehendantur « numismata », dubitat Verm. Creus.[1]. Probabilius affirmandum putamus, quia etsi « numismata » vocari soleant, non « imagines », in ipsis tamen imagines imprimuntur; nec refert quod proprie « cudantur », cum id videatur esse etiam modus aliquis imprimendi.

Quoad 5um. Agitur de litaniis a S. Sede approbatis; nam novas litanias ad publicam recitationem Ordinarius approbare non potest, ex can. 1259, 2. Libri liturgici sunt: Missale, Breviarium, Rituale, Martyrologium etc.; proinde partes eorum sunt: Ordinarium Missae, Officium parvum B. M. V. vel Defunctorum etc.

Quoad 6um. « Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, ait can. 1391, nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

Sola igitur S. Sedes approbare potest versionem absque notis. Videntur tamen excipiendae quaedam partes ad pium usum fidelium, v. gr. psalterium, Epistolae et Evangelia per annum occurrentia, quae sine notis collecta Episcopus videtur approbare posse tamquam libros precum vel devotionis.

Probabiliter necesse non est notas e SS. Patribus et traditione desumptas distincte apponere, si versio paraphrastice ita conficiatur, ut in ea virtualiter contineantur. Nihil quoque impedit, quominus praeter notas catholicorum scriptorum aliae de re geographica vel archaeologica (non v. gr. de re morali) ex acatholicis addantur.

Nota insuper:

« § 1. Approbatio textus originalis alicuius operis neque eiusdem in aliam linguam translationibus neque aliis editio-

1 Verm. Creus., II, n. 275.

nibus suffragatur; quare et *translationes* et *novae editiones* operis approbati nova approbatione communiri debent. — § 2. *Excerpta e periodicis capita seorsim edita* novae editiones non censentur nec proinde nova approbatione indigent» (can. 1392).

379 *b*) **Cuiusnam facultas requiratur.** *Pro iis, quae 1°, 2° et 3° loco* superius recensuimus, «licentiam edendi dare potest vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines publici iuris fiant, vel Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat, nisi eumdem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia» (can. 1385, § 2). — Patet pro religioso exempto Ordinarium loci esse eum, in cuius dioecesi exsistit domus, cui ipse est applicatus. — Ex ipso recitati can. 1385 tenore satis quoque elucet nullam irritamque fore licentiam edendi, quam concederet unus ex praedictis Ordinariis, inscius denegationis ab alio factae. — Cum vero ait canon «loci, in quo publici iuris fiant», meminit locum ubi editor sedem negotii habet. Si vero hanc multis in locis habet, v. gr. Parisiis, Romae, New-York, sufficit unius loci Ordinarii approbatio, dummodo etiam in eo loco et non in aliquo ex aliis tantum opus publici iuris fiat.

Pro iis, de quibus 4° loco, facultatem dat Ordinarius loci, id est loci, in quo res edenda est, ut videtur dicendum cum Verm. Creus.[1], quamquam Prümmer et Ferreres (apud Verm. Creus. ibid.) putant subintelligi etiam hic optionem inter tres Ordinarios, prout supra. Ceterum folia indulgentiarum non sunt chartae in piam memoriam defuncti impressae, afferentes orationem aliquam indulgentia ditatam, nec folium, quo festum in ecclesia celebrandum nuntiatur cum indulgentia lucranda.

Pro iis, de quibus in 5° loco, censura ideo requiritur, quia, ait can. 1390, «debet de concordantia cum editionibus probatis constare», quod quidem constare debet «ex attestatione Ordinarii loci , in quo (libri liturgici aut eorum partes aut litaniae) imprimuntur aut publici iuris fiunt. — Libri autem devotionis et precum, in quibus ad fidelium commodum partes quaedam inseruntur Missalis aut Breviarii, non sub hac regula cadunt, propria librorum liturgicorum, sed sub alia, de qua supra in 2°; non igitur in illis attestanda est conformitas cum libris approbatis.

Pro iis, de quibus in 6° loco, quid requiratur et cuiusnam curae committatur, satis constat ex supra dictis.

---

[1] VERM. CREUS., II, n. 726.

Pro iis, de quibus in 7° loco, requiritur expressa licentia Sedis Apostolicae aut determinatae cuiusdam Congregationis Romanae, de quo vide, sis, can. 1387-1389.

Dantur praeterea sequentia specialia praecepta:

1° « Vetantur *clerici saeculares* sine consensu suorum **380** Ordinariorum, *religiosi* vero sine licentia sui superioris maioris et Ordinarii loci, libros quoque, qui *de rebus profanis* tractent, edere, et in diariis, foliis, vel libellis periodicis *scribere* vel eadem *moderari* » (can. 1386, § 1).

Cum pro libris profanis Codex solam licentiam poscat, non censuram (etsi Ordinum religiosorum regimen soleat etiam censuram pro suis subditis requirere), ideo haec licentia non erit in principio vel fine libri *imprimenda;* id enim praecipi intelligitur pro iis scriptis tantum, quae praeviae censurae subiici iubentur. — Pro religiosis Ordinarius loci hic optime intelligi potest quilibet ex tribus, de quibus supra mentio facta fuit; nulla enim ratio apparet cur severius id accipiendum sit[1]. — « De rebus, inquit, profanis », etsi agatur de historia profana vel de aritmetica. — Cum ex Codice licentia tantum, non censura praecipiatur, poterit locus esse licentiae etiam praesumptae.

2° « In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, nec laici catholici quidquam conscribant, nisi iusta ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata » (can. 1386, § 2).

Etiam hic locus erit licentiae praesumptae, si causa urget. Cum autem dicat « nec laici », satis apparet includi a fortiori sacerdotes et religiosos.

3° « *Licentia*, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, *in principio aut in fine libri*, folii vel imaginis *imprimenda*, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis » (can. 1394, § 1).

Non tamen praescribuntur imprimenda ipsa verba, quibus licentia data est. — Agitur hic, ut diximus, de scriptis, pro quibus censura praevia praecipitur, non v. gr. de libris profanis, pro quibus sola licentia requiritur. — Religiosi, in libris non profanis, pro quibus proinde aliam quoque licentiam cum alia censura, si Ordini videatur, coniunctam decernit canon 1385, § 3, licentiam utramque imprimere debebunt; congruit autem ut licentiam Ordinis *antea* apponant, ait enim can. 1385, § 3: « Religiosi vero licentiam quoque sui superioris maioris antea consequi debent ».

---

1 Ita etiam VERM. CREUS., n. 728.

Edere librum sine licentia peccatum grave est ex genere suo [1], nullum enim dubium quin per se materia haec sit gravis; potest tamen leve esse ex materiae levitate, v. gr. si agatur de libro prorsus profano (cautius tamen id sumendum in Ordinibus religiosis, quorum famae magis minusve libri etiam huiusmodi intersunt) vel de libello parvi momenti.

Si liber sine licentia edatur, non ideo censeri debet pro fidelibus prohibitus, nisi expresse lex illum propter hanc causam prohibeat, uti occurrit v. gr. pro libris aut libellis novas apparitiones narrantibus, uti suo loco dicemus.

c) **Quoad censores,** quinam et quales nominandi sint et qua ratione suo munere fungi debeant, reperies in can. 1393. Censoris nomen ex obligatione in libro esse apponendum, non sine probabili ratione negat Verm. Creus. [2].

Art. 2. De prohibitione librorum.

381 Ecclesiae ius et officium competere libros ex iusta causa prohibendi (can. 1384, 1395) patet ex officio ei commisso oves Christi a noxiis pascuis arcendi.

Non abs re erit hic revocare in mentem quod initio monueramus, in toto hoc argumento, quae de libris dicantur, « publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet » (can. 1384, § 2).

a) **De auctore prohibitionis.** Libros prohibere potest non solum suprema auctoritas ecclesiastica pro universa Ecclesia, sed etiam (ex can. 1395) *pro suis respective subditis*: Concilia particularia et locorum Ordinarii, Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator, cum suo Capitulo vel Consilio. Idem possunt, si periculum sit in mora, superiores maiores cum proprio Consilio, re tamen quantocius delata ad supremum Moderatorem.

Cum autem hae prohibitiones nequeant fieri nisi pro suis subditis, infertur Ordinarii loci prohibitionibus non ligari peregrinos, nec religiosos exemptos.

382 *b*) **De vi prohibitionis.** « Prohibitio librorum id efficit ut *liber* sine debita licentia nec *edi*, nec *legi*, nec *retineri*, nec *vendi*, nec in aliam linguam *verti*, nec ullo modo cum aliis *communicari* possit » (can. 1398, § 1).

1. *Libri* nomine venire etiam libellos, folia et scripta quaevis, satis diximus ex can. 1384, § 2. Sed cum idem canon diserte dicat id esse intelligendum de libris et aliis « editis »

---

1 Gén. S., n. 460; Verm. Creus., n. 724.
2 Verm. Creus., n. 727.

scriptis, merito dicunt aliqui[1] sub prohibitionem non cadere exemplaria dactylographice, lithographice aut etiam typis impressa, quae privati instar manuscripti quibusdam tantum, puta Magistri alumnis, destinantur; sic enim dici nequeunt «edita», cum revera publici iuris facta non sint. At si exemplaria magno numero omnibus venalia prostarent, profecto quamvis lithographice confecta sub prohibitione comprehenderentur.

Edi dicitur liber non solum ab editore, sed etiam ab auctore, qui manuscriptum ad hunc finem tradiderit, atque, ut videtur, etiam a typographiae domino. Hi ergo sub praecepto legis cadunt. — Non tamen hoc canone prohibetur inserere in chrestomathiis seu anthologiis fragmenta quaedam auctorum damnatorum, dummodo non adeo multa sint aut tam longa, ut plus minus dici possit liber prohibitus de novo editus.

«Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat eiusve superior vel successor» (can. 1398, § 2). Sed si liber tantum censendus est prohibitus propter leges ecclesiasticas generales, de quibus mox dicemus, in lucem rursus edi potest, dummodo iam nihil contineat, ob quod sub praedictas regulas cadat.

2. *Legere* librum prohibetur, at non prohibetur probabi- **383**
liter legentem audire (secluso perversionis periculo de obligatione naturali vitando), ideoque probabiliter nihil prohibet, quominus is qui facultatem legendi habet, librum aliis legat, addita debita errorum impugnatione, qua opus sit ad periculum avertendum. Multo minus prohibitum est materialiter legere librum, cuius idioma non capitur.

Prohibito libro prohibitae manent omnes eiusdem partes, etiamsi circa rem versentur indifferentem.

Mortale committit *qui partem notabilem legit* libri prohibiti, quae tamen non ex magnitudine tantum, sed ex ibidem contentis diiudicanda est. Sic S. Alphonsus[2] approbat aientes grave esse legere etiam paucas lineas libri haeretici, si incidas in locum, ubi advertis errorem contineri; id tamen Lugo[3] nimis severum existimat. Ubi autem agitur de materia indifferenti, merito placet quibusdam[4] ad materiam gravem requiri

---

1 Gén. S., n. 454 cum Verm. Creus., n. 723.

2 S. Alph., l. 7, n. 284.

3 Lugo, *De Fide*, d. 21, n. 83.

4 Verm., *De prohib. libror.*, n. 28; Hollweck, ap. eumdem; Gén. S., 455.

sex circiter paginas, quod quidem non adeo distat ab opinione antiquorum quorumdam, quos citat S. Alph.[1], requirentium integram paginam e foliis magnis; nec repugnamus excusantibus a mortali legentem notabilem libri partem, in qua scit de re agi prorsus indifferenti, secluso periculo continuandi lectionem ad partes, quae motivum prohibitioni dederunt.

384 Amplius iudicium *circa lectionem diariorum et foliorum periodicorum* efferendum est, cum secus ac in libris tam facile ex titulis partes noxiae et prorsus innocuae dignosci possint, et per se ad levem unius diei exsistentiam destinentur. Grave certe censendum est diarium prohibitum (sive eumdem sive diversum, sed pariter prohibitum) *habitualiter* legere *moraliter totum*, etiamsi loca omittantur religioni vel bonis moribus adversa. Ratio est, quia in hac assidua lectione moraliter exsistit illud perversionis periculum (saltem tendentiis diarii sese imbuendi, vel huius generis publicationibus sese afficiendi), propter quod huiusmodi lectionem interdixit lex positiva; et quamvis per accidens tu forte periculum istud non incurras, periculum tamen incurritur plerumque, idque satis est ut lex positiva valide lata fuerit et te quoque comprehendat, proindeque id, quod obiective est laesio ipsius gravis, gravis quoque sit si a te inferatur. At veniale erit legere *identidem* aliquem numerum, omissis iis quae proximum periculum continerent, vel legere etiam frequenter sectionem plane *innocuam*, v. gr. nuntios mercatorios vel decessuum, aegrotantium etc., modo lectio haec frequens non complectatur, demptis paginis publicorum nuntiorum, maiorem diarii partem nec adeo sit habitualis, ut videatur obiective (id est ordinarie, quidquid sit de te) creari periculum proximum sese afficiendi ad partes etiam alias, quae sunt noxiae. Quod si alicui ex praedicta lectione frequenti partium indifferentium periculum istud nihilominus creetur, id per accidens quoque erit, ideoque non erit laesio obiective gravis legis positivae, quam solam nunc respicimus, sed legis naturalis, quae aliunde etiam quoad alia servari debet, v. gr. ne lectio fiat, quando dari possit scandalum.

385 Prohibito libro, diximus, *prohibitae manent omnes eiusdem partes*. Si tamen constat, quaenam pars prohibitioni motivum dederit, atque a libro avellatur vel obliteretur aut aliter ita tractetur, ut iam nequeat legi, probabiliter cessat prohibitio[2]; videtur enim liber prohibitus periisse (excipe, si prohibitio lata fuerit in odium auctoris). Propterea si opus pluribus

---

[1] S. Alph., loc. cit.

[2] Cf. S Alph., l. 7, n. 283.

constat tomis et demas illum, qui causam prohibitioni dedit, probabiliter ceteri legi possunt.

Prohibito libro *prohibentur quaelibet eiusdem versiones* in aliud idioma, ut constat ex can. 1396.

« Qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet *a suis Ordinariis* proscriptos » (can. 1403, § 1).

« Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros, qui ipsi proximum spirituale periculum praestant » (can. 1405, §1), id quod iam initio, n. 374, monueramus.

Otiosum est monere, sub licentia legendi libros includi licentiam legendi libellos, diaria et quaevis scripta, facultatem vero legendi diaria non comprehendere libros nec libellos.

Facultas accepta v. gr. ad annum vel perpetua non ideo exstinguitur, quod concedens suo munere cessaverit, ut habes in can. 73.

3. *Retinere* librum prohibitum vetatur, etsi alienum **386** librum apud te depositum retineas aut proprium apud alium, et quamvis liber in lingua sit conscriptus, quam ignoras; nam hic non agitur de eius lectione. Non tamen gravis est retentio per tempus breve, puta per duos tresve dies.

Excusari potest retentio etiam longior dum exspectatur facultas legendi. Excusari etiam potest, per quamdam « epikeiam », religator seu bibliopega, dum libros prohibitos retinet ad compingendum, dummodo eos sine causa otiosos non detineat.

Non videtur dici satis posse, quod libros retinet custos bibliothecae, nisi librum v. gr. in suo cubiculo aut domi asservet.

Quaeres, *an liber pravus sit reddendus domino?* Certe **387** non potes librum alienum adiudicare tibi aut donare alii, etiam habenti facultatem legendi, quia laederetur ius proprietarii. Caritas tamen praecipere potest, ut eius usum domino impedias et proinde librum tamquam rem alienam depositam serves, fere sicut arma arripimus ab eo, qui sibi vel alii necem inferre molitur; neque erit id iniustum, quia non potest in hoc dominus esse « rationabiliter » invitus, nec libri retentio erit contra legem positivam, cum retentio vitari non possit nisi vel laesa iustitia vel cum illo damno spirituali proximi, quod praecise lex positiva vitare intendit. Si tamen liber adeo pravus sit, ut nulla spes affulgeat, quod aliquando domino resipienti reddi possit, nihil prohibet quominus destruatur; nam et id facere licet de globo explosivo, quem e manu fabricantis

arripuissemus. Ceterum cum caritas non obliget cum incommodo proportionato, incommodum magis minusve notabile excusabit pro gradu perversitatis, qua liber inficitur et mali, quod a denegata redditione timetur, v. gr. timor rixarum, blasphemiarum etc., et etiam (seclusa speciali ratione) timor gravis amici contristationis vel dissolvendae amicitiae.

Qui facultatem apostolicam consecuti sunt, « gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant » (can. 1403, § 2).

Qui facultatem legendi non habet, debet aut librum suum prohibitum destruere aut facultatem habenti donare aut ipse facultatem impetrare [1].

Qui ex officio, v. gr. professoris, iudicis, redactoris ephemeridum etc. in morali necessitate versantur legendi hunc illumve librum prohibitum, licentiam petant generalem vel particularem; quod si non possint, licite legant, secluso periculo proximo; non enim vult Ecclesia ut propterea catholici haec munera deserant, illaque aliis non catholicis occupanda relinquantur. Idem dic si exorta controversia tempus non suppetit petendi licentiam ad legendum librum, quem urgeat confutare.

388 4. *Vendere* librum prohibitum habenti facultatem legendi non censetur vetari, sed vel vendere non habenti facultatem vel huiusmodi libros venales habere, sive venditor officinam iis instructam habeat, sive eos in catalogo apponat eorum, quos vendendos offert, sive per se ipsum quis illos vendat, sive per praeconem in licitatione publica.

« Librorum venditores libros de obscenis ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant; ceteros prohibitos venales ne habeant, nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore legitime peti » (can. 1404). — Obscenos intellige qui obscena ut talia tractant, non qui ea ad finem mere scientificum. — Ceteros librarius si ex licentia venales habet, publice exponere non debet, sed servare seorsum; non enim potest vendere, nisi iis, quos prudenter existimare possit legitime petentes, ad quod tamen non tenetur eos interrogare, nimium id onus esset, sed sufficit ut « spectata eius qualitate, illud probabile videatur » [2], nec aliquid amplius quam haec prudens existimatio, requiri videtur, ut petenti librum aliunde procuret, quem in sua officina non habet.

Non censetur libros venales habere publicus licitator, qui ex officio alienos libros venditioni sub hasta proponit. Nec

---

1 Noldin, n. 702.

2 Verm., op. cit., pag. 47.

tenetur investigare an inter merces reperiantur libri prohibiti; sed si casu id cognoverit possitque impedire, ne pravi libri obveniant licitatoribus, qui ipsis sunt abusuri, id quidem praestet, praesertim si aliquos tam pravos viderit, qui nulli honesto usui esse possint.

5. *Versio* libri prohibiti non eximit eum a prohibitione in novo idiomate, ut iam monuimus ex can. 1396.

6. *Communicare* librum dicitur, qui illum commodat aut tradit in depositum aut apponit hospitibus aut clientibus in officina etc.

c) **Quinam libri iure communi sint prohibiti,** recenset **389** canon 1399 sub duodecim numeris, quos singillatim percurremus interpositis quibusdam commentationibus. Multi praeterea nominatim continentur in « Indice librorum prohibitorum », qui tamen fere omnes iam cadunt sub regulis generalibus, quas nunc ex citato can. 1399 recensebimus. Igitur « ipso iure » prohibentur:

1° « Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum *sacrae Scripturae*, etiam Ecclesiae Orientalis, *ab acatholicis* quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae ».

Attamen usus horum librorum, ait can. 1400, « iis dumtaxat permittitur, qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint, neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata ». — Permittitur iis, qui studiis theologicis vel biblicis «quovis modo» operam dant, ac proinde non solum theologiae alumnis, sed etiam sacerdotibus, tam iis, qui iuxta praescriptum can. 130 vel 590 examen annuum parant, quam iis etiam, qui iuxta desiderium canonis 129 sacra studia non negligunt, sed ea opportune recolere et augere satagunt, non vero si id faciant tantum actu mere transeunte, vel eo tantum quod linguae hebraicae vel graecae navent operam. — Requiritur, ut libri fideliter et integre editi sint, neque impugnentur catholica dogmata; non tamen obstabit, si dogmata negentur obiter vel si impugnentur aliae veritates, v. gr. theologice certae, non autem dogmata.

2° « Libri quorumvis scriptorum, *haeresim vel schisma* **390** *propugnantes*, aut ipsa *religionis fundamenta* quoquo modo evertere nitentes ».

« Libri », quo nomine iam scis venire etiam sub prohibitione libellos, folia etc. — « Quorumvis scriptorum », etiam catholicorum. — « Haeresim vel schisma », quid sint habes in n. 77 et 81. — « Propugnantes », non ergo sufficit, si haeresim

proferant aut dogma obiter negent, sed requiritur ut haeresim vel schisma efficaciter, v. gr. prolatis rationibus suadere conentur. — « Religionis fundamenta », v. gr. animae exsistentiam, vitam futuram, miraculorum possibilitatem, liberum arbitrium, etc. Religionis ergo fundamenta evertunt libri nitentes statuere materialismum, positivismum, theosophiam [1], determinismum etc. — « Quoquo modo », sive rationibus, sive irrisionibus, sive imaginibus depictis, dummodo intentio evertendi aliquid religioni fundamentale satis se prodat. — « Evertere nitentes » eosdem conatus de industria factos designat, ac nuper vox « propugnantes ».

3° « Libri qui *religionem* aut *bonos mores*, *data opera*, *impetunt* ».

« Religionem » sive catholicam sive tantum naturalem, ideoque si impetunt v. gr. ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum. — « Bonos mores », etsi pertinentes ad honestatem tantum naturalem, v. gr. si persuadere conentur castitatis observantiam esse impossibilem. — Necesse est, ut impetant « data opera », id est quasi dixeris « systematice » (hisp. de propósito y con toda intención, gall. de parti pris) [2], ac proinde, si de libro agitur, non sufficit, si ea obiter et transitorie dicantur, sed vel saepius per decursum libri occurrere debent vel occupare aliquam notabilem partem, v. gr. integrum caput [3]. Si vero de diariis agitur, non sufficit, si identidem dicteria proferant contra religionem vel turpem intermisceant narratiunculam, sed opus est, ut ex huiusmodi rerum copia et frequentia diarium, quatenus diarium [4], suam intentionem patefaciat impetendi efficaciter religionem aut bonos mores; id autem non ex uno alterove numero se prodit, sed ex pluribus numeris. Propterea « non censemus, ait Gén. S., sub hanc legem cadere diarium vel periodicum, in quo semel aut iterum absque ulla consuetudine religio vel boni mores oppugnentur; praesens enim lex videtur has publicationes spectare, quatenus assidue edi pergunt, ac proinde referri ad *habitualem* earum indolem [5]. Sed ex quo propter indolem suam habitualem proscriptum habendum est diarium, proscriptae censendae erunt omnes eius partes.

391 4° « Libri quorumvis *acatholicorum*, qui ex professo *de religione* tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri ».

---

1 S. Off. 18 iul. 1919.
2 Cf. Hollweck et alios ap. Verm., op. cit., pag. 62.
3 Noldin, n. 712, 6°; Verm., loc. cit.; Gén. S., n. 452, 2°.
4 Verm., op. cit., pag. 86.
5 Gén. S., n. 452.

Etsi « acatholici » proprie dicantur baptizati, qui extra Ecclesiam catholicam versantur, protestantes, schismatici [1], tamen cum hic nominentur « quivis acatholici », significari videntur quotquot ad Ecclesiam catholicam non pertinent, ideoque etiam iudaei et pagani; non autem athei et increduli in Ecclesia catholica baptizati, dummodo nulli acatholicae sectae nomen dederint. — « Ex professo », ita ut materia de religione tractetur saltem per notabilem libri partem. — « De religione » seu de materia ad religionem respiciente, v. gr. theologia, Iure Canonico. — « Tractare », ait Lugo [2], in rigore non est obiter sensum suum dicere, sed defendere, probare, contraria solvere. — « Nisi constet », ideoque si liber de religione agit, praesumptio stat contra illum, donec contrarium compertum fiat v. gr. ex testimonio viri docti. — « Nihil », moraliter, id est quod sit alicuius momenti.

5° « Libri de quibus *in can. 1385, § 1, n. 1* et *can. 1391;* itemque ex illis de quibus in cit. can. 1385, § 1, n. 2, libri ac libelli qui *novas apparitiones*, *revelationes*, *visiones*, *prophetias*, *miracula* enarrant, vel qui *novas inducunt devotiones*, etiam sub praetextu quod sint privatae, si editi fuerint non servatis canonum praescriptionibus ».

« Libri, de quibus in can. 1385, § 1, n. 1 », sunt « libri sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria », prout dictum fuit supra in n. 375 sub 1°. Hi prohibentur, si absque licentia edantur, quamvis aliunde libri fideliter et integre reproducantur.

« Libri, de quibus in can. 1391 », sunt « versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam....., nisi sint a S. Sede Apostolica probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus..... », ut rettulimus supra in n. 378 quoad 6um. Attamen ait can. 1400: « Usus librorum editorum contra praescriptum can. 1391 (id est usus praedictarum versionum in linguam vernaculam non approbatarum) iis dumtaxat permittitur, qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata ». Circa hunc can. 1400 cf. supra in n. 389 sub 1°.

Ex iis, quae continentur sub can. 1385, § 1, n. 2 (quem supra transcripsimus in n. 375 sub 2°), non prohibentur propter praetermissam licentiam, nisi ea quae hic expresse recitantur; ac proinde, quamvis sine licentia editi, non prohibentur

---

1 VERM., *De prohib. libror.*, p. 78 nota; DE SMET, *De Matrim.*, n. 140, 500.

2 LUGO, *De Fide*, d. 21, n. 51.

libri ad religiosas ac morales disciplinas spectantes (nisi sub aliam legem prohibentem cadant, v. gr. si religionem data opera impetant), nec libri ac libelli precum etc., nec scripta quaelibet, quorum religioni specialiter intersit, sed tantummodo ea, de quibus statim. — « Libri ac libelli »; cum igitur hic legislator distinctionem sustineat, quam fecerat in can. 1385, § 1, n. 2, dicendum est quod comprehenduntur tantum « libri et libelli » stricte dicti, ideoque non folia separata, non diaria, non alia quaelibet scripta, certe tamen libelli periodici, id est, revistarum fasciculi certae molis ad modum libelli confectarum. — « Novas » id est, quae nec expresse ab Ecclesia approbatae sunt nec tacite per usum receptae; non ergo apparitiones B. M. V. Immaculatae ad Lourdes. — « Enarrant », nempe sat fuse, remque proponunt tamquam manifeste supernaturalem. Propterea non prohibitus censeri debet, etsi illegitime absque licentia edatur, liber referens vitam viri alicuius cum sanctitatis fama vita functi, in qua quaedam visiones obiter narrantur, quin tamen auctor aliud intendat quam factum, prout ipse accepit, referre atque a firmo iudicio emittendo supersedeat; idem dic si mere narrantur ad modum factorum sanationes mirabiles, quae nuper in quadam peregrinatione occurrerint, sed nihil de supernaturali earum indole pronuntietur. — « Editi »; edere, iam diximus, non idem est ac cum quibusdam selectis personis communicare, etsi hae sint sat numerosae, sed « publici iuris facere », ad propagandum spargere, vel publice venale exponere. — « Non servatis canonum praescriptionibus », id est sine debita ecclesiastica licentia.

392 6° « Libri qui quodlibet ex catholicis *dogmatibus* impugnant vel derident, qui *errores ab Apostolica Sede proscriptos* tuentur, qui *cultui divino* detrahunt, qui *disciplinam ecclesiasticam* evertere contendunt, et qui data opera *ecclesiasticam hierarchiam*, *aut statum clericalem vel religiosum* probris afficiunt ».

« Quodlibet ex catholicis dogmatibus », non ex veritatibus tantum theologice certis. — « Impugnant », etsi non contrarium propugnent, secus enim includerentur in art. 2°; et quamvis non requiratur hic, ut fiat « data opera », tamen non sufficeret impugnatio aut derisio obiter et quasi transitorie facta, sed deberet se prodere verus animus impugnandi aut derideni. — « Errores ab Apostolica Sede proscriptos », id est vel a Romano Pontifice vel ab aliqua Sacra Congregatione, praesertim a S. Officio (can. 7), v. gr. errores recensiti in Syllabo Pii IX. — « Tuentur », sicut circa propugnantes diximus supra in n. 2°. — « Cultui divino », sive sacrae Liturgiae (v. gr. usui benedicendi novas domos), sive piis praxibus cultus religiosi et publici ab Ecclesia receptis. — « Detrahunt », id est eum

inhonorant vel eius bonam existimationem apud legentes minuunt. Opus est, ut detractio aliquatenus evolvatur. — « Disciplinam ecclesiasticam », v. gr. caelibatum ecclesiasticum vel usum Ecclesiae prohibendi libros. — « Evertere contendunt » plus dicit quam « impugnant », ideoque quasi diceret « data opera impugnant, ut si possent, ea tollerent ». — « Data opera » non requirit, ut ea res sit praecipuum libri argumentum [1]; at certe non sufficit si obiter fiat. Quo modo sit accipiendum prout de libris vel diariis sermo sit, diximus nuper in 3°. — « Ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem aut religiosum », non proinde hunc Episcopum aut hos sacerdotes aut hunc Ordinem religiosum.

7° « Libri qui cuiusvis generis *superstitionem*, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant ».

« Superstitio » quid sit, cf. ubi de 1° Decalogi praecepto. — « Docent », id est tradunt modum ea exercendi, et quamvis scriptor conscius sit vanitatis mediorum. — « Commendant », non mere facta narrant. Requiritur, ut commendatio non fiat per transennam.

8° « Libri qui *duellum* vel *suicidium* vel *divortium* licita **393** statuunt, qui de *sectis massonicis vel aliis* eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt ».

« Statuunt », id est non mere asserunt, sed demonstrare conantur. — « Contendere » non est quovis modo agere, sed assumptis mediis de se efficacibus intendere, ideoque opus est ut id vel cum sufficienti frequentia asseratur vel cum sufficienti extensione evolvatur, puta per duas tresve paginas. — « Vel aliis », id est sectae massonicae similibus, nempe, ut sicut illa secretae sint et vel palam vel occulte contra Ecclesiam vel Statum machinentur [2].

9° « Libri qui *res lascivas* seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent ».

« Libri », non « imagines » obscenae, nisi quatenus pars sint libri obsceni. — « Res lascivas » quatenus lascivas, id est qui ea tractant modo apto ad excitandam libidinem. Non ergo sub hanc prohibitionem cadunt libri scientifici, etsi non ab omnibus pervolvi debeant, nec multae novellae impuros amores narrantes, quae tamen saepe vetantur, saltem adolescentibus, iure naturae. — « Ex professo », quod vertit Verm. [3] « specialiter et concepta intentione », idem est ac « data opera »

---

1 Noldin, n. 712, 6°.
2 Cf. Verm., *De prohib. libr.*, pag. 65 seqq.
3 Op. cit., pag. 59.

(vid. supra in 3°), ac proinde vel ea frequenter spargendo, vel semel per notabilem partem, v. gr. per integrum caput versando. — « Narrant », sic describendo, ut turpem imaginem menti ingerant. — « Docent », v. gr. artes sollicitandi.

394 10° « Editiones librorum liturgicorum a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam immutatum fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant ».

Non tamen obstant errata typographica, nec obstare videtur quod quaedam pro maiore recitantis commoditate suis locis repetantur. Si igitur editio conformis est editioni authenticae, non prohibetur, etsi illegitime sine praecepta licentia edita fuit, potestque adhiberi etiam ad usum publicum vel liturgicum [1]. At si immutata est, etsi in uno tantum loco, prohibetur; valida tamen esset recitatio cum Breviario prohibito, nulla enim lege irrita declaratur [2].

11° « Libri quibus divulgantur *indulgentiae apocryphae* vel a Sancta Sede proscriptae aut revocatae ».

Non est id accipiendum de libris vel foliis circa aliud argumentum versantibus et obiter afferentibus aliquam falsam indulgentiam, sed de intendentibus ex professo informationem dare de indulgentiis.

12° « Imagines quoquo modo impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis alienae ».

Putat Ferr. [3] non comprehendi « numismata », idemque ut probabilius tradit Verm. [4]. Sed probabilius ducimus ea comprehendi sub verbis « imagines quoquo modo impressae », cum numismatis cusio sit quomodocumque modus imprimendi.

Si imagines sint Ecclesiae decretis conformes et absque debita censura et licentia sint editae, non tamen fidelibus prohibentur.

---

1 Noldin, n. 713, 2°; Verm., op. cit. pag. 75.

2 Ferr., n. 640; Verm., op. cit., pag. 77.

Non consentimus clarissimo Verm. id tantum admittenti pro recitante bona fide; secus enim, ait, peccatum actuale destruit actualem orationem. Id verum non putamus; non enim destruit orationem quatenus oratio est, seu quatenus locutio ad Deum, cum usus libri sit quid actui loquendi extrinsecum, nec peccatum tunc ille committat eo quod orat, sed eo quod violat legem positivam, utique versantem circa orationem (vel potius circa modum), sed orationi extrinsecam, seu eius elementa constitutiva non mutantem. Secus pari modo probari posset invalidam esse consecrationem a celebrante cum conscientia peccati mortalis, aut invalidum baptismum collatum extra necessitatem infanti iudaeo cum conscientia iniuriae eo ipso illatae patriae potestati, a qua infans subducitur.

3 Ferr., n. 637.

4 Op. cit., pag. 94.

TRACTATUS VII.

DE OBLIGATIONIBUS PROPRIIS STATUS CLERICALIS

Clerici dicuntur, qui divinis ministeriis per primam sal- **395**
tem tonsuram mancipati sunt (can. 108), vi cuius potestatem iam obtinere possunt sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae, item beneficia et pensiones ecclesiasticas (can. 118). Per tonsurae receptionem clericus *incardinatur*, id est adscribitur dioecesi, pro cuius servitio promotus fuit (can. 111, § 2); oportet enim esse alicui dioecesi vel religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur (can. 111, § 1). De excardinatione et nova in alia dioecesi incardinatione cf. Ius Canonicum can. 112-117.

Art. 1. De vocatione ad statum sacerdotalem.

Etsi clerici ad superiores ordines suscipiendos cogi non **396**
possint (can. 973, § 2), tamen, cum prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sint, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum (can. 973, § 1), de vocatione ad statum clericalem locuturi, nominatim verba faciemus de vocatione ad statum sacerdotalem; ad hanc enim dignitatem aspirare supponitur qui ad statum clericalem aspirat.

Certum est per se non omnibus Deum proponere statum sacerdotalem, sicut e contra per se omnibus proponuntur consilia evangelica; sacerdotes enim ad sacram hierarchiam pertinent, haec autem ex relative paucis Ecclesiae fidelibus constitui debet.

Certum est praeterea Deum efficaciter providere, ne sacri ministri desint, quibus Ecclesia perpetuetur, ideoque efficere, ut inter tot fideles ad sacerdotium aptos numquam desint qui hunc statum amplecti velint et revera amplectantur.

Quicumque ergo sufficientibus dotibus pollet nec canonico detinetur impedimento, ad sacerdotium aspirare potest, quin ad hunc ineundum exspectare debeat internam quandam inspirationem seu invitamentum Spiritus Sancti; id enim nec necessarium est nec de lege ordinaria accidit. Porro dotes sufficientes sunt, quae hominem ad tantum ministerium reddunt aptum, nempe: 1° eae dotes gratiae et naturae eaque vitae probitas ac doctrinae sufficientia, quae spem fundatam faciant fore, ut sacerdotii munera recte obire et eius obligationes sancte servare queat; 2° recta intentio; qui enim intentione non recta sacrum illud munus susciperet, v. gr. mere ut modum vivendi vel ex cupiditate lucrandi, non solum spem non daret sancte sacerdotii munera obeundi, sed potius fundatissimam suspicionem in contrarium[1].

Sic igitur in Ecclesia iste status aspirantibus proponitur, nec alia specialis vocatio interna pro singulis exigenda est, quin tamen negari debeat quampluribus Deum ea gratiae auxilia easque naturae dotes dare iisque circumstantiis viam ad hunc finem praeparare, ut satis significet quam gratum acceptumque ipsi foret, si statum sacerdotalem capesserent, idque est illud divinae vocationis germen, quod memorat can. 1353. Loci autem Sacrae Scripturae, qui pro necessitate particularis vocationis internae aliquando adducuntur, de vocatione externa intelligendi sunt, quae in eo stat, quod candidatus a legitima auctoritate in hunc statum recipitur, et in hoc sensu manifestissimum est neminem posse absque ea vocatione tantum honorem sibi sumere.

Si quis autem laeva intentione hunc statum assumpsisset, non ideo se vocatione destitutum putare debet, sed e contra certissimus esse se a Deo iam nunc vocari; certissime enim Deus vult, ut obligationes etsi minus recte assumptas bene expleat atque in suscepto munere fideliter permaneat.

« Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere » (c. 971). Quae non parentibus solum, sed peculiariter confessariis dicta sunto. Hi autem aliique animarum cultores, non exclusis catholicis puerorum institutoribus, Ecclesiae bonum prae oculis habentes, idoneis adolescentibus sacerdotalis status et muneris notitiam dent; immo hunc statum etiam iis proponere poterunt, qui saeculari libertati nimis addicti frustra ad eam abdicandam atque ad statum religiosum amplectendum moverentur, siquidem vita sacerdotis saecularis ob minorem subiectionem et deficiente vita communi paupertatisque professione minores difficultates sub hoc respectu habeat et voluntatem non tam multis modis castigatam, quam

[1] Cf. Litt. Em. Secretarii Status 2 iul. 1912.

status religionis, postulet. Quos autem reppererint indicia praebere ecclesiasticae vocationis, hos « sacerdotes, praesertim parochi, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant » (can. 1353).

Art. 2. De privilegiis clericorum.

Sequentia praesertim enumerantur: **397**

1° *Privilegium canonis*, sic dictum, vi cuius sacrilegium committunt qui clerico realem iniuriam intulerint (can. 119); realem, inquam, non tantum verbalem, quin tamen necesse sit corpus violare immediate; sufficeret enim eius vestes scindere aut conspurcare vel eum in carcere detinere.

2° *Privilegium fori*, vi cuius clericus in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri [1] debeat, nisi aliter pro locis particularibus [2] provisum fuerit (can. 120, § 1), non apud iudicem laicum sine venia Ordinarii loci, in quo causa peragitur; quod si nihilominus ab eo, qui nullam praehabuerit veniam, conveniatur, comparere potest, certiore facto praedicto Superiore (can. 120, §§ 2 et 3).

3° *Privilegium immunitatis*, vi cuius clerici a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt (can. 121).

4° *Privilegium competentiae*, quo eis aere alieno gravatis reservari debent, quae necessaria sint ad eorum honestam sustentationem (can. 122).

NB. — Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur; recuperat vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur (can. 123). — Ipso autem iure ad statum laicalem reducuntur clerici *minores*, *a*) si matrimonium non vi aut metu gravi ineunt (id tamen inire possunt), *b*) aut

---

1 « Apud iudicem conveniri » est ad eius tribunal trahi tamquam reum, non tamquam testem.

2 Hoc privilegium canonice viget sive in *Gallia*, *Hispania* et *Lusitania*, sive in iis *Americae* regionibus praeter Columbiam, quas nominare solemus, quamquam privilegium a plerisque respectivis Guberniis non agnoscatur. Opus est igitur in illis licentia Superioris ecclesiastici. In *Columbia* autem per conventionem cum Sancta Sede initam causae clericorum civiles et criminales materiam religionis non spectantes ad tribunal civile deferuntur, quin opus sit praehabita licentia. De his optime Ferr., n. 1246, 1394-1406.

si propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario admoniti, sese intra mensem emendaverint; *c*) aut si sponte sua militiae nomen dederint; *d*) aut si ad statum laicalem regrediantur sua ipsorum voluntate, praemonito Ordinario (can. 132, 136, 141, 211). — Clerici autem *maiores* ad statum laicalem non rediguntur, nisi rescripto Sanctae Sedis, decreto vel sententia iudicis ecclesiastici ad normam sacrorum canonum, demum poena degradationis (can. 211).

Art. 3. De obligationibus negativis.

398 Ad tutandam clericorum castitatem et decorem sapienti consilio non tantum eis vetantur quae mala sunt, sed etiam quae speciem mali habent vel malo ansam praebent aut eorum dignitatem dedecent.

a) **De prohibitione cohabitandi cum mulieribus.** « § 1. Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, *apud se retineant* aut quoquo modo *frequentent*. — § 2. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus *cohabitare*, in quibus *naturale foedus* nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum *provectiore aetate* coniuncta, omnem suspicionem amoveat. — § 3. Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas suspicio communiter non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut continentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere » (can. 133).

« Cohabitare » stricte est vitam et conversationem habitualiter ducere in eadem domo; non autem in diversis eiusdem domus contignationibus, quae aequivalenter diversae domus sint, ut solet in urbibus [1]. Pressius haec determinare solent statuta dioecesana, praesertim quoad aetatem requisitam in mulieribus ad servitium domesticum assumendis [2].

---

1 Putat Maroto (*Instit. de Der. Can.* n. 543 nota) huc non referri habitationem cum aliis, quibuscum mulieres vitam ducunt, v. gr. respectu ancillarum familiae, apud quam clericus degit. Profecto id non interdicitur quando fit obiter, v. gr. si itinerans degit apud aliquam familiam, aut si missionarius degit apud parochum, quocum vivunt sorores iuvenes. At si fit habitualiter, quamvis id non sit eas apud se retinere, sed certe aequivalet frequentationi interdictae, immo est vere cum illis *cohabitare*, quod nisi cum cognatis vel aetate provectis non licet. Saltem occurrente casu ob quamdam necessitatem iudicium deferri debet ad Ordinarium loci, cuius decisioni standum erit iuxta recitatum can. 133.

2 Nonnulla sapienter statuit *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 644-646, quarum praecipua haec: « Cum non possint sibi famulos adsci-

b) **De prohibitione quorumdam munerum vel actionum saecularium.** In genere praecipiuntur clerici ea omnia vitare, quae statum suum dedecent aut ab eo sunt aliena. « Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant » (can. 138). « Ea etiam quae, licet non indecora, a clerici tamen statu aliena sunt vitent » (can. 139). Sed eisdem prohibetur expresse: 399

1° « *Indecoras artes ne exerceant* » (can. 138), v. gr. macellarii, coriarii, histrionis.

2° « *Arma ne gestent*, nisi quando iusta timendi causa subsit » (can. 138).

3° « *Medicinam vel chirurgiam ne exerceant* sine apostolico indulto » (can. 139), etsi clerici eam olim didicissent aut etiam legaliter exercuissent. Prohibetur tamen exercitium habituale, non autem usus ille moderatus et gratuitus, qui tantum consistit in praebendis consiliis atque indicationibus, uti faciunt nonnulli parochi in parvis pagis [1]. Igitur non vetatur consilia medicinalia quandoque dare domesticis et amicis aut aliquam parvam chirurgiae operationem peragere; sed hoc ultimum generatim non decet clericum, v. gr. ferro aperire tumorem ideoque cadit sub regula generali initio data.

4° « *Publicos notarios*, nisi in Curia ecclesiastica, *ne agant. Procuratoris aut advocati munus ne exerceant*, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes (can. 139), quam necessitatem inducere posset v. gr. iudicis iussio vel urgentia favendi reo, petita Ordinarii licentia.

5° *Officia publica*, quae exercitium *laicalis iurisdictionis vel administrationis* secumferunt, ne assumant. Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia, quae secumferant onus reddendarum rationum » (can. 139) [2].

---

scere, quod maxime optandum foret, pro re domestica procuranda, ancillas quadraginta annis minores nullatenus habeant, easque bene probatas, fama integras, et pietate commendatas; et quas domi habent, etsi propinquas et consanguineas, si mala fama laborare coeperint, eas nequaquam retineant. Nullus clericus docere audeat puellas aut mulieres, etiam illustres, legere, scribere, canere, aliaque id generis, sine Episcopi licentia, sub poenis eiusdem Episcopi arbitrio statuendis ».

1 Maroto, *Instit. de Der. Can.*, n. 567.

2 Praeterea ex *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 652: « (exercere nequeunt) munus aliquod publicum, licet gratuitum et honorificum, sine venia Episcopi et ne privatum quidem, quod ut expleatur et multo eget tempore et magna corporis et animi defatigatione ».

« Officia publica, quae laicalem iurisdictionem vel administrationem secumferunt », v. gr. Ministri Gubernii, Praefecti urbis, iudicis, thesaurarii municipii; non autem prohibetur munus consiliarii municipalis vel provincialis, quod tamen in pluribus dioecesibus statuta particularia vetant. — « Gestiones bonorum ad laicos pertinentium », v. gr. officium suscipere tutelae aut curatelae. — « Officia saecularia, quae secumferant onus reddendarum rationum », v. gr. officia praesidis vel arcarii in arcis nummariis, argentariis parsimonialibus, ruralibus, etiamsi haec in fidelium usum constitutae sint [1].

6° « *Senatorum* aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est » (can. 139, § 4) [2].

7° « *Saecularem militiam ne capessant* voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et publici ordinis perturbationibus opem quoquo modo ferant » [3] (can. 141, § 1).

« Voluntarii », non si legis coactioni cedentes. — « Intestinis bellis », id est bellis sic dictis civilibus.

400 *c*) **De prohibitione quorumdam oblectamentorum saecularium.** Hic etiam ob oculos ponendae sunt illae generales regulae: « Clerici ab iis omnibus, quae statum suum dedecent, prorsus abstineant; ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent » (can. 138, 139). Speciatim:

1° « *Aleatoriis ludis*, *pecunia exposita*, *ne vacent* » (canon 138) [4].

---

1 Decretum S. C. Consist. 18 nov. 1910 apostolicum indultum requirebat, at nunc sufficit licentia Ordinarii. (Comm. I. C. 2-3 iun. 1918, ad I).

2 De qua re videsis resp. Comm. I. C. 25 apr. 1922.

3 Circa quaestiones, quae ad res mere politicas aut saeculares pertinent, et circa civiles factiones haec habet *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 656: « Itaque ab horum tractatione vel disceptatione publica tum extra Ecclesiam, tum multo magis in ipsa caveant sedulo sacerdotes. Quod tamen ita intelligendum non est, quasi omnino silendum sit de gravissima obligatione, qua cives tenentur etiam in rebus publicis semper et ubique iuxta conscientiae dictamen coram Deo, pro maiori bono cum religionis tum reipublicae patriaeque suae adlaborare, sed ita ut sacerdotes, generali obligatione declarata, non alii prae alia parti faveant, nisi una ex eis aperte sit religioni adversa ».

4 Ex *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 649: « Publicis in locis nulli, ne honesto quidem ludo dent operam », id est in locis ad publicos ludos destinatis.

Vetantur ludi aleatorii, id est quorum exitus totaliter pendet a sorte, cuiusmodi est ludus talorum, non vero ludi, qui partim saltem pendent ab industria, cuiusmodi plures ludi chartarum.

Vetatur ludis aleatoriis « vacare », quod frequentiam atque habitudinem quamdam designat.

Ut igitur huius prohibitionis transgressio sit gravis, requiritur ut ludis aleatoriis indulgeatur *a*) frequenter et *b*) magna pecuniae vi exposita. Nam si magna pecuniae vis exponatur raro, aut si frequenter ludus fiat exponendo modestam pecuniae quantitatem, transgressio huius prohibitionis, spectatis saltem hodiernis moribus, non videtur gravis; poterit tamen peccatum adiungi aliunde, v. gr. ex temporis iactura, ex neglecto sacerdotali munere, ex dato scandalo, animi dissipatione etc.

2° « *Venationi ne indulgeant*, clamorosam autem numquam exerceant » (can. 138).

« Venationi », non quae fit moderate cum retibus vel laqueis, sic enim prohibita non est, sed quae v. gr. cum armorum gestatione et cane. — « Indulgere » consuetudinem quamdam sonat, non parcum usum [1]. — « Clamorosam », quae nimirum exercetur cum plurimorum hominum concursu et cum multis canibus.

3° « *Tabernas aliaque similia loca* sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata *ne ingrediantur* » (can. 138) [2].

« Tabernas aliaque similia loca » cense loca, in quibus potus quibuslibet advenientibus praesto habetur. Huiusmodi sunt quae vocantur « bar, café, restaurant, almacenes de bebidas etc. ». — « Sine iusta causa ab Ordinarii loci probata », saltem tacite, aut etiam in singulari casu praesumpta. Iusta causa esse potest in itinere, sed tunc brevissime commorandum, dum tantum necessitati subvenitur, ac maxima gravitate et modestia se gerendo.

4° « *Spectaculis*, *choreis* et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, *ne intersint* » (can. 140) [3].

---

1 Etsi venatio quieta et moderata non vetetur, cum tamen Codex nullam positivam det licentiam venandi, potest Episcopus etiam moderatam prohibere, si graves et speciales adsint rationes, v. gr. ob scandalum populi. Cf. S. C. C. 11 iun. 1921 cum animadversionibus ibidem expositis (A. A. S. anno 1921, pag. 498-501).

2 Praeterea sic *Conc. Pl. Amer. Lat.*, n. 648: « Prohibemus ne (cauponas) ingrediantur, quae in propria vel in vicinis paroeciis sint, nisi ministerii causa eas adire necesse fuerit ».

3 Ex *Conc. Pl. Amer. Lat.*, n. 650: « Prohibemus ne se coetibus illis commisceant, ubi amatoria vel lubrica agantur vel canan-

« Spectaculis »; in multis dioecesibus expresse prohibitum est interesse kinematographis. — « In publicis theatris », ac proinde ne extendas ad theatra privatorum. — « Ne intersint ». Semel tamen taurorum agitationibus interesse absque scandalo non videtur grave [1].

401 *d*) **De prohibitione negotiandi.** « Prohibentur clerici *per se* vel *per alios negotiationem* aut *mercaturam* exercere sive in proporiam sive in aliorum utilitatem » (can. 142).

« Mercatura » actionem potius significat emendi ac vendendi merces, « negotiatio » potius operationes mercatorum proprias.

Negotiatio ut revera adsit, haec requirit videlicet, ut res *a*) ematur, *b*) cum intentione eam vendendi *c*) carius *d*) non mutatam. Haec vocatur negotiatio *quaestuosa*. At si res *a*) emitur, *b*) cum intentione eam vendendi *c*) carius *d*) mutatam per operarios ad id accitos, habes negotiationem *industrialem*. — Utraque, quaestuosa vel industrialis, prohibetur.

Leviter tantum peccat qui bis vel ter negotiatur in parva quantitate, quia lex loquitur de « exercente » negotiationem; idem probabiliter dicendum, si semel in quantitate gravi (id est magna, nam grave intellige relate ad hoc praeceptum) [2].

402 *Clerico interdictum est*: 1° Negotiari per se seu proprio nomine. Quare si negotium a laicis inceptum ad clericum quovis titulo (v. gr. hereditatis) deferatur, statim est dimittendum; quod si non possit dimitti sine detrimento, permittitur continuatio, sed tantum ad tempus et per interpositam laici personam [3].

2° Negotiari, etsi per alios vel alieno nomine, v. gr.: societatem negotiationis inire, clerico dante pecunias, laico ponente industriam [4].

3° Sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

403 *Clerico interdictum non est*: 1° Fructus vendere ex propriis agris perceptos, etsi aliorum opera immutatos, v. gr. vendere vinum, etsi per operarios confectum, ex uvis propriorum agrorum, siquidem ad id uvae non emuntur. Conducere autem alienos agros ad vendendos fructus vetitum est, ait

---

tur; ne in publicis theatris actionibus scenicis cuiuscumque generis assistant. Hoc etiam expresse statuimus de taurorum agitationibus ».

1 Ferr., n. 110.
2 S. Alph., l. 3, n. 831.
3 S. Alph., l. 3, n. 832.
4 S. Alph., l. 3, n. 833.

S. Alph.[1]; profecto saltem est mercatura statui clericali indecora ideoque prohibita. Sed emere alienos agros ad eumdem finem licitum erit, siquidem venditio fiet fructuum agri proprii.

2° Emere res cum intentione eas vendendi immutatas proprio labore, dummodo non exerceatur ars, quae statum clericalem dedeceat. Licite ergo clericus emeret ligna, ex quibus proprio labore suo conficeret statuas, quas dein venderet, etiam magno pretio, si vere pretium iustum esset.

3° Emere pecora, ut ea in propriis praediis saginata vendat, secus vero si in alienis praediis saginentur; immo et licet emere fructus aliorum agrorum ad animalia proprii praedii saginanda et saginata vendenda[2].

4° Si clericus vendat ea, quae ad usum proprium emerat, eo quod nunc iam non indiget; immo nec est illicitum si ea vendat, eo quod nunc occasionem nactus est optimo pretio vendendi, etsi intentionem habeat ea similia deinde minore pretio emendi. Non enim in his casibus illas res emerat cum tali intentione[3].

5° Emere plura, ut tuto sibi provideat, et postea quod superest vendere, etiam carius; nam emptio facta fuit cum intentione ne provisio deficeret[4].

6° Emere res parvo pretio, cum adest copia, ut eas ingruente annonae caritate eodem pretio amicis, propinquis ac pauperibus vendat. Aut etiam emere res easque postea carius vendere, dummodo excessus sit tantum ad compensandas expensas transvectionis etc., quia tunc abest lucrum.

7° Vendere currente pretio rem gratuito datam, vel pretio emptam imminuto in sui gratiam. At negotiatio esset si imminutio pretii inde proveniret, quod res in magna quantitate emantur, quae dein minutim vendantur.

8° Emere « obligationes » societatum industrialium vel **404**
commercialium, ut singulis annis determinatum foenus percipiatur. Id enim participationem nullam importat in negotio, sed mere aequivalet pecuniae mutuo datae societati sicut alii cuilibet, quod certe est licitum.

9° Emere « actiones » societatum *industrialium*, v. gr. societatis fodinarum, dummodo clericus ab agendis societatis negotiis se abstineat, ideoque consessibus, in quibus negotia aguntur, nec per se nec per alium suo nomine assistat. Quam-

---

1 n. 835.
2 S. Alph., n. 835.
3 S. Alph., n. 836.
4 S. Alph., ibid.

vis enim per « actionum » acquisitionem emptor fiat membrum societatis, tamen attentis iam modernis moribus illarum actionum acquisitio nullum omnino dedecus clerico comparat, dummodo a praedictis se abstineat. Certe SS. Congregationes plusquam semel responderunt non esse inquietandos clericos acquirentes actiones viae ferreae similiumque societatum aut titulos mensae nummulariae.

Putamus tamen cum Wernz[1] et aliis solidas rationes deesse, ut idem indiscriminatim dicatur de acquirendis actionibus *quarumlibet societatum industrialium* et praesertim *commercialium*. Potius placet omnino distinctio facta a quibusdam[2]: id licere quando ex hominum aestimatione agitur tantum de convenienti sortis collocatione ad percipiendum honestum fructum, non licere quando censetur potissimum id fieri quaestus et lucri causa. Licet ergo acquirere actiones arcae publicae nummulariae (« acciones del Banco »), idque permittunt praedicta S. Congr. responsa; sed quod de huiusmodi arcis sine dedecore tolerant hodierni mores et nihil amplius quam honesta pecuniae collocatio habetur, non videtur ad quamlibet societatem extendendum, v. gr. ad industriam fabricandi papyrum.

Fatendum non deesse auctores[3], qui de quibuslibet societatibus indiscriminatim loquuntur. Sed cum generatim hac ratione nitantur, quod clericus sic non censetur negotiari nec influere in negotiationem, vel hanc restrictionem apponant, quod excludatur quaelibet negotiandi species (cf. can. 1539), propterea non adeo alieni videntur a distinctione, quam dedimus.

Certe non licet cum titulis obligationum vel actionum speculationes inire proprias Bursae. Haec enim esset verissima negotiatio, siquidem tituli se habent sicut merces quaelibet, nec ulla est in hac re auctorum dissensio.

10° Negotiari ob necessitatem propriam vel suorum; quin requiratur necessitas sustentandae vitae, sed communius et probabilius sufficit necessitas gravis ad sustinendum statum proprium vel familiae[4]. Atque haec Iuris veteris interpretatio novo Iuri applicanda est, ex can. 6, 2°. Petenda tamen est licentia Ordinarii[5].

---

1 Wernz, *Ius decret.*, tom. 2, n. 219 scholion.

2 Moccheggiani, *Iurisprud. eccles.* I, n. 1585 cum Aichner, *Comp. Iur. Can.* ed 7ª, pag. 249.

3 Ferr., n. 118; Gén. S., n. 41; Maroto, *Inst. de Der. Can.*, n. 572.

4 S. Alph., n. 837.

5 Gén. S., n. 39; Verm. Creus., n. 207. — De negotiatione clericis interdicta plura reperies apud Ball. P., tr. 9, c. 2, n. 298-317.

e) **De quibusdam aliis prohibitionibus.** Prohibentur insuper clerici: **405**

1° *Fideiubere*, id est suo periculo respondere pro alterius obligatione. « A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario » (can. 137), ne videlicet congrua sustentatio periculo exponatur.

2° *A dioecesi discedere per notabile tempus* sine licentia. « Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant » (can. 143). Notabile tempus puta duos tresve menses [1].

3° *Universitates laicas frequentare* sine Ordinarii licentia [2].

Art. 4. De obligationibus positivis.

Harum obligationum summam sic exprimit Ius Canonicum: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere » can. 124. Speciatim clerici: **406**

1° *Vitam piam ducere debent.* Ad id opportuna media recenset Codex, quorum exsecutionis curam per adhortationes atque admonitiones urgendam commendat directe Ordinariis. Clerici igitur iuxta Ecclesiae voluntatem *a*) « poenitentiae sacramento frequenter maculas eluant », —*b*) « quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant », — *c*) « debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare » (can. 125, 126).

2° « Omnes clerici decentem *habitum ecclesiasticum*, se- **407**
cundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, *tonsuram* seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum

---

1 Quoad sacerdotes ex Europa in Americam vel in Philippinas Insulas migrantes, viget Decr. « Magni semper » S. C. Consist. 30 dec. 1918 (A. A. S., a. 1919, p. 39), de quo adi, sis, Fuster in Ephem. « Razón y Fe », vol. 53, p. 516 et vol. 54, p. 98 et 225.

2 In hac materia viget tum Decr. « Nemo de sacro » S. C. Consist. 30 apr. 1918 (A. A. S. a. 1918, p. 237) tum dispositiones variae praecedenter latae, quae in eodem Decr. memorantur atque in suo pleno robore permanere declarantur. Cf., sis, Ephem. « Razón y Fe », vol. 51, p. 494.

simplicem cultum adhibeant. Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum» (can. 136, §§ 1 et 2).

Praecipitur in genere habitus a laicali diversus, pressiore determinatione consuetudini et Ordinario relicta[1]. Etsi per se habitus clericalis delatio sub gravi obligat, non tamen reputatur grave eumdem dimittere semel aut iterum per breve tempus, puta per 4 vel 6 dies[2]; immo nec desunt qui putent[3] raro habitus dimissionem gravis reatus esse arguendam, nisi fiat cum animo amplius illum non resumendi, aut nisi cum gravis scandali periculo, ut si clericus tempore bacchanalium per urbem incederet larvatus[4]. Attamen practice vix intelligitur, quod habitus dimissio absque ulla causa protrahatur v. gr. ad duos menses sine gravi contemptu; adde scandalum.

Facile tolerari potest, quod habitus solum domi aut in occulto non gestetur. Item durante itinere clerici vestes breviores, nigras tamen aut subobscuri coloris et a laicalibus diversas, induere possunt[5]. Habitus potest totaliter relinqui ex gravi causa, v. gr. imminente persecutione, vel si per loca haereticorum vel impiorum hominum sit transeundum.

Iuxta plures delatio tonsurae obligat solummodo sub levi[6]

408 3° «Speciali obligatione tenentur *suo Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi*» (can. 127; idque *expresse* promittunt presbyteri in sua ordinatione); propterea, «quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum» (can. 128).

Nequeunt igitur clerici sine venia Ordinarii munera assumere, v. gr. Rectoratum Universitatis laicae, quae sine magna difficultate non possent deserere, et quorum causa evaderent quasi indisponibiles suo Ordinario.

---

1 In Missae celebratione de iure communi praescribitur vestis talaris (can. 811); extra eam praescripta quoque est multis in regionibus sive consuetudine sive peculiaribus statutis.

2 Cf. LEHMK., n. 772.

3 GÉN. S., n. 34.

4 Attamen contra huius sententiae benignitatem non levi argumento est quod iuxta can. 2379 gravi poena afficiendi sunt clerici qui, frustra admoniti, post mensem habitum dimissum non resumpserint; forte tamen id statuit lex propter praesumptum animum non amplius resumendi habitum aut propter praesumptionem saltem contemptus gravis vel scandali.

5 BALL. P., n. 284.

6 De radenda barba silet Codex; sed, non cessasse in suo vigore consuetudines et statuta particularia, ad Ep. Wratislav. declaravit S. C. C. 10 ian. 1920 (A. A. S., a. 1920, p. 44).

4° *Studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant* (can. 129) et propterea «expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant» (can. 130), et sacerdotes omnes saeculares (de religiosis alibi) «collationibus de re morali et liturgica interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent», secundum normas ab Ordinario statutas (can. 131).

5° «Clerici in maioribus ordinibus constituti *a nuptiis* **409**
arcentur et *servandae castitatis obligatione* ita tenentur, ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint» (can. 132). Fit tamen exceptio de ordinato per gravem coactionem, de quo vide can. 214.

Quamvis universali Ecclesiae commune sit, ut clerici in maioribus a contrahendo matrimonio omnino prohibeantur, permittuntur tamen in Ecclesia orientali uti matrimonio ante ordinationem contracto, exceptis tamen Episcopis. Quod quidem probat caelibatum ecclesiasticum non esse iuris divini, sed ex institutione Ecclesiae, ex gravissimis tamen fundamentis et motivis introducta[1].

At quamvis caelibatum oriri dicamus ex lege Ecclesiae, non tamen sequitur clericos maiores ex ea solum ad illius observantiam obligari; tenentur enim etiam ex voto tacite in Ordinis susceptione emisso[2], adeo ut sacrilegia sint etiam eorum peccata contra castitatem interna[3].

---

1 Vide fundamenta apud Theologos dogmaticos, v. gr. PERRONE, *Prael. theol.*, de Ord. cap. 5; SASSE, *Instit. theol. de Sacram.*, de Ord. cap. 7; brevius apud WERNZ, t. 2, n. 197; vel cf. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* v. Célibat ecclés.; THURSTON in *Cath. Enciclop.* v. Celibacy of the Clergy. Profecto mirum non est, quod altissimum consilium perfectae castitatis servandae, Christi D.ni et Apostolorum exemplo sancitum atque ab Apostolo Paulo tam instanter propositum, ii praesertim sequantur, qui ex officio legatione Christi funguntur et Apostolorum opus continuant. Id quoque sacerdotii dignitas suadet, quod iam non in naturali generatione, sicut olim in veteri Testamento, sed in spirituali vocatione fundatur. Id immaculati Agni Christi sacrificium eucharisticum exigit, id libertas et promptitudo explendi gravissimi muneris curae animarum aliorumque officiorum spiritualium, id auctoritas praedicationis et exemplum, quo efficaciter ad virtutes christianus populus inducatur.

2 Profecto ordinem Subdiaconatus suscepturos monet Episcopus (cf. Pontificale) ut ad ordinationem non accedant, nisi in proposito servandi castitatem perseverare placeat. Id igitur tacite promittunt qui ordines maiores suscipiunt. Quod si quis accederet cum animo explicito votum excludendi, ad caelibatum tamen teneretur ex obligatione legis ecclesiasticae; immo teneretur etiam votum emittere, utique ex voluntate Ecclesiae votum praecipiente.

3 Quod quidem non accideret, si caelibatus non ex voto sed

Ad arcenda praesertim pericula castitatis saluberrimam praxim commendat Ecclesia: « Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda » (can. 134).

6° « Clerici in maioribus ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214, *tenentur obligatione quotidie Horas canonicas integre recitandi* secundum proprios et probatos liturgicos libros » (can. 135). Excepti, de quibus in can. 213, 214, sunt ii qui ordinem sacrum receperunt metu gravi coacti. — Sed haec Horarum canonicarum obligatio longiorem expositionem postulat.

410 **De obligatione divini officii recitandi.** Officium divinum septem constans Horis, nimirum Matutino cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis et Completorio, a sacris ministris persolvitur nomine Ecclesiae, eiusque recitatio rationem habet publicae orationis vimque impetratoriam participat e dignitate Ecclesiae, ex cuius deputatione profertur.

a) **Ad recitationem obligantur:**

1° *Clerici in sacris constituti* (can. 135); obligatio incipit a parte Officii respondente instanti suae ordinationis [1].

2° *Beneficiati*, post captam legitime possessionem beneficii (can. 1475, § 1).

3° « *In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio*, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi » (can. 610, § 1). « In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare » (can. 610, § 3); non autem privatim recitare tenentur ceteri, etiamsi culpabiliter a choro abfuerint, nisi in sacris ordinati sint. Nempe obligatio gravis habendi chori imponitur domui, singuli vero tantum sub levi obligantur assistere (sub gravi, si per eos stet quominus chorus haberi non possit), sollemniter tamen professi non conversi ad recitandum privatim adstringuntur, si choro, etsi legitime, defuerunt.

---

lege tantum Ecclesiae obligaret (haec enim iuxta communiorem non posset attingere directe hos actus mere internos). Putarunt sane quidam probabile id postremum, verum id dixerunt decepti ob quemdam Theologorum dissensum non recte intellectum. Non enim hi disputarunt an ex sola lege ecclesiastica obligaret caelibatus, sed an ex sola lege ecclesiastica dirimeretur matrimonium, quod clerici in sacris attentaverint. Cf., sis, Ball. P., tr. 9, c. 2, n. 17 seqq.

[1] Ut exponitur ap. S. Ahlp., l. 4, n. 140; vel Ferr., n. 71, 2°.

Obligatio alligatur diei, ita ut nec recitatio possit valide anticipari (vide tamen dicenda de Matutino cum Laudibus) nec possit transacto iam assignato die obligationi satisfieri.

In festo S. Marci et in triduo Rogationum recitandae sunt Litaniae, ipso die, nec possunt praeveniri die praecedenti.

b) **Omissio** partis notabilis peccatum grave constituit[1]; **411**
pars autem notabilis non est nisi Hora parva moraliter integra aut tractus continuus Horae parvae moraliter aequivalens; nam si continuus non est, sed tantum omissiones partiales hinc inde fiant in Officio, aliqua maior summa videtur requirenda ad peccatum grave[2].

Beneficiarius, « si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi Horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget » (can. 1475, § 2). — « Fructus non facit suos », ideoque eos ex iustitia, ante quamlibet iudicis sententiam, ecclesiae, in qua est beneficium, Seminario vel pauperibus dare debet. — « Pro rata omissionis », hoc modo: si culpabiliter omittit Matutinum cum Laudibus, restituere debet dimidiam partem *fructuum recitationi respondentium;* si reliquas Horas, dimidiam partem; si Horam parvam, sextam partem huius dimidiae partis, id est, duodecimam fructuum partem[3]. Fructus autem, qui recitationi respondent, sunt: pro Episcopo et parocho quarta vel quinta pars fructuum beneficii; pro canonico tertia vel quarta pars; pro simplici beneficiario, cui sola incumbit recitatio, totum[4]. Pro restitutione computari possunt eleemosynae erogatae p o s t omissam recitationem[5].

c) **Quonam kalendario utendum.** Ex decretis S. R. C. **412**
haec eruuntur: *Beneficiarius* tenetur ad Officium suae ecclesiae, etsi extra eam versetur. — Ceteri *non beneficiati* sequi possunt vel kalendarium dioecesanum vel proprium paroeciae vel loci, non tamen ad hoc tenentur, sed sufficit se conformare kalendario dioecesano; quod si extra dioecesim versentur per

---

1 Satisfaciunt qui in publica recitatione occupantur in parandis libris, in thurificandis altaribus et huiusmodi, nec tenentur deinde supplere quae alii, ipsis non audientibus nec recitantibus, cecinere, quia chorus supplet ea, quae omittunt ex necessitate ipsi inserviendi. Cf. S. C. C. 17 apr. et 10 iul. 1921 cum expositione animadversionum ibidem (A. A. S. anno 1921, pag. 477-481).

2 Ball. P., tr. 9, c. 2, n. 187; Gén. S., n. 49.

3 S. Alph., l. 4, n. 151; Verm. Creus., II, n. 800.

4 S. Alph., l. 3, n. 673; Lehmk., n. 814.

5 S. Alph., l. 4, n. 153. Cf. dicta n. 277 circa finem.

notabile tempus, v. gr. ratione studiorum, possunt kalendarium sequi suae dioeceseos, sed praestat sequi kalendarium loci, ut Missa Officio correspondeat. — *Regularis* sequi debet in itinere kalendarium suae domus; si in aliena domo sui Ordinis per notabile tempus commoretur, v. gr. ultra mensem, huius domus kalendarium sequi potest; si ad breve tempus, proprium suae domus sequatur oportet, nisi chorum adire teneatur; si ab omni domo sui Ordinis per notabile tempus abesse debet, vel si ad nullam domum pertineat, kalendarium suae Provinciae.

413 *d*) **De ordine temporis et mutatione Officii.** A gravi peccato immunis est, qui totum Officium recitat intra spatium 24 horarum respectivi diei a media ad mediam noctem, satisfacit enim praecepto quoad substantiam. Obligatio igitur servandi certum ordinem levis est; immo ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus Horarum, ait S. Alph.[1], sufficiet quaevis causa utilis vel honesta, quae non sit mere maior commoditas recitantis, v. gr. concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis, maior devotio sive quies, tempus aptius ad studendum etc. Similiter quaevis rationabilis causa excusabit ab invertendo ordine Horarum, v. gr. si ab amico inviteris ad recitandam Nonam, cum nondum Primam dixeris, vel si cum non habeas in promptu lectiones nec possis commode exspectare, interea recites psalmos Matutini et Laudes[2]. Et idem dicendum si in eadem Hora invertatur ordo[3]. Ceterum ordo temporis servandus (sub levi, ut diximus) sequens est: Prima et Tertia recitandae sunt a media nocte ad meridiem; Sexta et Nona a media nocte ad mediam noctem; Vesperae et Completorium a meridie ad mediam noctem. In feriis Quadragesimae (non in dominicis) a 1ª Dominica, recitari possunt Vesperae (non Completorium) hora, qua tunc in choro recitantur, id est regulariter hora undecima.

Matutinum et Laudes valide et omnino licite posse semper anticipari pridie ab hora 2ª post meridiem, hodie certum est ex Decr. S. Rit. Congr.[4]. Id tamen est veluti privilegium, quo nemo uti tenetur, etsi impedimentum praevideat pro die

---

1 S. Alph., n. 173.
2 S. Alph., n. 179.
3 S. Alph., ibid.
4 S. R. C. 12 mai. 1905, seu Decr. n. 4158 prouti insertum est in vol. VI Collectionis authenticae, nempe: « Utrum in privata recitatione Matutinum pro insequente die incipi possit hora secunda postmeridiana, aut standum sit tabellae etc.? *Resp.*: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Cessavit igitur controversia, quae acriter usque ad praesens tempus agitabatur.

sequenti. — Licet recitare Matutinum diei sequentis ante absolutum Officium huius diei, nulla est enim inter ambo connexio. — Matutinum cum Laudibus recitanda sunt (certe non sub gravi) ante Missam, sed excusat causa rationabilis.

Pro recitatione Officii sequi licet « tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium », ait can. 33.

Qui ex errore recitavit Officium diversum ab Officio diei, obligationi satisfecit, nec quidquam compensare aut supplere tenetur, etsi illud fuerit notabiliter brevius, unde axioma « Officium pro Officio valet ». Si quis ex errore partem Officii indebiti recitavit, dicat finito psalmo aut oratione reliqua de Officio debito, iuxta axioma « error corrigitur ubi deprehenditur »; si tamen iam multum in Officio processerat, v. gr. dixerat Matutinum, posset in eodem Officio prosequi.

Qui scienter recitat Officium diversum, probabiliter peccat solum leviter, idque excusari potest causa rationabili, v. gr. si quis proprium Officium facile habere non potest, aut si ex caritate recitat cum socio aliud Officium recitante.

e) **Quoad modum.** *Attentio* requiritur saltem externa, id **414**
est ut removeantur actiones externae cum recitatione incompatibiles, ut esset fabulari, scribere; an autem requiratur attentio interna, controvertitur, fere sicut in simili quaestione n. 162; multi cum Lugone tenent attentionem internam non requiri neque ex natura rei (id est censent distractionem etiam voluntariam non tollere essentiam orationis, dummodo recitatio ponatur ex intentione orandi) neque ex praecepto Ecclesiae; ceterum etiam auctores contrarii non adeo distant; nam dicunt requiri ad non satisfaciendum, ut quis non modo voluntarie se distrahat, sed etiam id plene advertat.

Bene satisfacit[1], qui recitando ambulat, se lavat, lente se induit, sternit lectum, respicit montem, flumen etc., et sic de aliis actionibus, quae non fiunt valde festinanter; satisfacit etiam qui inter memoriter recitandum perquirit psalmos aut lectiones; item qui recitat, dum alii fabulantur aut canunt, modo his serio animum non applicet.

Pronuntiatio debet esse vocalis et distincta; non tamen requiritur ut recitans seipsum audiat. Repetere debes ea, quae pronuntiasti cum mutilatione notabili, ita ut sensus destruatur, etsi involuntarie id feceris; imples tamen obligationem Officii, etsi verba notabiliter mutiles, quando servatur aliqua significatio verborum; parva mutilatio, quae sensum non cor-

---

1 S. Alph., n. 176.

rumpat, venialis est, excusatur vero ob inadvertentiam vel balbutiem vel inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit [1].

Interruptio notabilis in recitatione alicuius Horae numquam excedit veniale, etsi fiat absque rationabili causa; rationabilis autem causa est utilitas propria vel aliena, quae incommode differretur, urbanitas, audire confessionem alicuius, qui non libenter exspectaret, aliquid adnotare (modo non fiat frequenter), ut tollas distractionem seu sollicitudinem ne obliviscaris etc. [2].

Sine ulla causa licet singulis Nocturnis interponere spatium trium horarum, licet quoque Matutinum separare a Laudibus (in recitatione privata).

Etiam post notabilem interruptionem non opus est repetere ea, quae sensum habent completum, v. gr. versiculos psalmi interrupti.

Rubricae, quae certas genuflexiones praescribunt, non obligant extra chorum.

Socius recitationis esse potest etiam laicus, etiam distractus, modo eum audias; si duo vel plures recitent, facto duplici choro, recitandi sunt versus alternatim (quin ab una parte chori resumantur, donec altera perfecerit), lectiones vero inter socios distribuuntur.

415 *f*) **Causae excusantes** sunt:

1ª *Impotentia physica vel moralis* seu difficultas gravis vel probabile periculum gravis incommodi, v. gr. si ex recitatione iuste timeas notabilem gravedinem capitis viriumve lassitudinem. In dubio an infirmitas excuset, poteris te committere iudicio medici vel alius viri prudentis, immo et proprio, si ipse iudicium ferre potes. Si infirmus scit se non posse totum recitare, dubitet vero an possit recitare partem, ad nihil tenetur, ne angatur scrupulis, nam ei valde nocerent. Convalescens excusatur per aliquot dies ad iudicium prudentis, donec vires reficiantur, etsi Missam iam celebret. Qui nequit solus recitare, adhibere debet socium, si quem facile invenire possit; non tamen tenetur aliquem cum anxietate quaerere. Si Breviario careas, teneris recitare quod scis memoriter, si id constituit m o r a l i t e r Horam parvam integram, secus de obligatione non constat; non autem teneris recitare solos psalmos sine lectionibus; nam deest forma praescripta.

2ª *Caritas*, id est gravis occupatio, quae omitti nequit absque scandalo aut notabili nocumento proximi, v. gr. si tota

---

1 S. Alph., n. 165.
2 S. Alph., n. 168.

die occuperis in excipiendis confessionibus, quae differri non possint, vel si sub nocte advoceris ad moribundum.

NB. — In novo Iure facultas non conceditur Ordinariis dispensandi in recitatione Horarum, sed facile eam obtinent inter facultates extraordinarias. Attamen Ordinarii (id est pro suis respective subditis Episcopi vel Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, can. 198) 1° dispensare possunt ex can. 15 in dubio facti, ideoque id facere poterunt in dubio, num impotentia moralis vel gravitas mali, quod timetur, sit de se sufficiens ad excusandum; 2° dispensare possunt in periculo gravis damni, cum difficilis sit recursus ad S. Sedem, ideoque dispensare poterunt a recitatione Horarum in casu urgenti ad breve tempus.

Art. 5. De officiis clericorum particularibus.

a) « **Beneficium** ecclesiasticum est ens iuridicum a com- **416**
petente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos » (can. 1409). — « A competente ecclesiastica auctoritate constitutum », ideoque beneficia non sunt capellaniae laicales, id est quae ab illa auctoritate non constituuntur. — « In perpetuum » intellige non ratione personae sed ipsius beneficii, ita ut beneficium remota vel mortua persona adhuc maneat et alteri conferendum sit. Beneficia igitur non sunt vicariae paroeciales non in perpetuum erectae, nec coadiutoriae cum vel sine iure successionis, nec pensiones, etiam ex aliquo beneficio vel ex bonis ecclesiae aut monasterii alicui personae assignatae, ita ut mortuo pensionario reditus ad beneficii possessorem vel ad ecclesiam aut monasterium revertantur. — « Constans officio sacro », quod proinde solis clericis conferri possit, v. gr. sacristae seu thesaurarii (non sacristani) [1].

Beneficia quo modo constituantur, conferantur etc., habes in Codice can. 1409 seqq., neque in huius materiae explicatione immorabimur, quae propria est canonistarum. Quo modo autem officia conferantur, amittantur etc., cf. can. 145 seqq.

De iuribus et obligationibus beneficiariorum cf. can. 1472 seqq. Speciatim praeter obligationem impendendi superflua in pauperes vel causas pias, ut diximus n. 230, et quotidie recitandi Horas sub onere restitutionis si omittat, ut diximus n. 411, beneficiarius tenetur residere (nisi beneficium simplex possideat seu a lege residentiae liberum, v. gr. si teneatur tan-

---

1 Cf. Wernz, *Ius decret.* II, n. 774.

tum ad Missae celebrationem certo loco non alligatam), sub onere restitutionis faciendae Ordinario pro rata illegitimae absentiae (can. 2381) [1].

417 *b*) **Episcoporum** iura, obligationes etc. habes in Iure can. 329 - 349 [2]. Speciatim tenentur: 1° lege residentiae, quam praeter casus in Iure expressos nequeunt dimittere ultra tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos (can. 338), sub onere restitutionis pro rata illegitimae absentiae (can. 2381); 2° praedicare per se ipsi (can. 1327, § 2); 3° advigilare ne abusus irrepant in fide et moribus, in disciplina sacramentali, praedicatione verbi Dei, instructione doctrinae christianae, institutione religiosa puerorum et iuventutis (can. 336), 4° dioecesim visitare (can. 343).

c) **Canonici** tenentur ad residentiam; debent enim assistere choro ibique canere, quin satisfacere possint praesentes cum recitatione privata. Peccant graviter qui sine iusta causa notabiliter a choro absunt, venialiter vero, si ad breve tempus, v. gr. tres quatuorve dies. Possunt tamen nulla petita licentia abesse quotannis per tres menses continuos vel intermissos, nisi statuta vel consuetudo hoc tempus restringant (can. 418); licentia vero Ordinarii indigent, ut extra dioecesim pergant; non tenentur alium sibi substituere, at non potest simul abesse plus quam tertia pars capituli, nec absentia incidere potest in Adventum, Quadragesimam aut maiores sollemnitates (can. 418). Tempore vacationum distributiones amittunt, percipiunt tamen praebendae proventus (can. 418), sed illegitime absentes etiam hos amittunt et Ordinario restituere tenentur pro rata temporis (can. 2381) [3].

418 *d*) **Parochi** pro diverso modo, quo a sua paroecia amoveri possunt, alii maiorem habent stabilitatem et dicuntur inamovibiles, alii minorem dicunturque amovibiles (can. 454, 2147 seqq.). Iurisdictionem habent ordinariam seu vi officii, certis tamen loci limitibus circumscriptam et tantum pro foro interno.

Ante captam paroeciae possessionem vel in actu eius capiendae parochus emittere debet fidei professionem (can. 461,

---

1 Sustineri nequit in novo Iure consuetudo, quae in Hispania residentes habet beneficiarios chorales, qui una tantum vel duabus Horis canonicis in die choro assistant. S. C. C. 10 iul. 1920. (A. A. S. anno 1920, pag. 357-365).

2 Plura dubia de quibusdam Episcoporum privilegiis, insignibus ac functionibus, generatim rem liturgicam respicientibus, soluta sunt per S. R. C. 26 nov. 1919. Cf. A. A. S. anno 1920, pag. 177-182.

3 De canonicis cf., sis, can. 391-422.

1406) cum iuramento antimodernistico (S. Off. 22 mart. 1918); secus enim a die omissae professionis fructus beneficii non faceret suos eosque teneretur restituere (can. 2403).

Tenetur speciatim:

1° *Ad residentiam* intra paroeciae fines[1], secus omnes beneficii fructus restituere tenetur Ordinario pro rata illegitimae absentiae (can. 2381); abesse tamen permittitur per duos menses intra annum, sive continuos sive intermissos, nisi Ordinarius aliud iudicet (can. 465). Venia Ordinarii in scriptis necessaria est ut absit ultra hebdomadam, relicto tamen substituto (can. 465). Etiam pro breviore absentia debet per alium fidelium necessitatibus providere (ibid.). Domum habere debet prope ecclesiam paroecialem (ibid.).

2° *Ad administranda sacramenta*, quoties sui fideles debite et non intempestive petant, nisi legitime impeditus sit aut possit sine petentium offensione vel incommodo per alium satisfacere (can. 464, 467, 892); maxime vero debet morti proximos adiuvare, eos sollicite sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando (can. 468).

Functiones parocho reservatas recenset can. 462: baptismum sollemnem, delationem SS. Eucharistiae publice ad infirmos, delationem SS. Viatici publice vel privatim et extremae unctionis administrationem, sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare, matrimoniis assistere, nuptialem benedictionem impertiri, funebria persolvere, benedictionem (annuam) domorum, benedictionem fontis baptismalis, publicam processionem extra ecclesiam ducere[2], benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri.

3° *Ad praedicationem*: nam omnibus dominicis et festis **419**
de praecepto consuetam homiliam habere debet in Missa, in qua maior solet esse populi frequentia; potest tamen Ordinarius permittere, ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iuxta causa, aliquibus dominicis concio omittatur; debetque parochus hoc munus per se ipsum habitualiter explere, nisi ob causam ab Ordinario probatam (can. 1344). Gravis est huius obligationis omissio[3] per tempus notabile, quod S. Alph.[4] censet non improbabiliter esse integrum mensem continuum aut tres discontinuos.

---

1 De parochorum residentia cf. REGATILLO ap. ephem. « *Sal Terrae* », a. 1922, pag. 522 seqq.

2 Etiamsi initium fiat ab alia ecclesia non paroeciali (Comm. I. C. 12 nov. 1922, ad 1).

3 Omissio praedicationis probabiliter non obligat ad restitutionem fructuum ante sententiam iudicis. Cf. REGATILLO in ephem. « *Sal Terrae* » a. 1922, pag. 526-531, a. 1923, pag. 710.

4 S. ALPH., l. 3, n. 269.

Tenetur praeterea curare, ut saltem decimo quoque anno «missio» ad populum habeatur (can. 1349).

4° *Ad catechesim* (can. 1329), praecipiturque *a*) diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare (can. 1332); — *b*) statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare (can. 1330); — *c*) peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, in Quadragesima, pueros praeparare ad primam communionem (can. 1330); — *d*) pueros, qui primam communionem recenter receperunt, uberius ac perfectius catechismo excolat (can 1331). — «Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis» (can. 1333, § 2).

5° *Ad vigilantiam paroecianorum*, errantes prudenter corrigendo, pauperes ac miseros paterna caritate complectendo, sedula cura et effusa caritate aegrotos, maxime vero morti proximos, adiuvando, diligenter advigilando ne quid contra fidem ac bonos mores, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur, et opera caritatis, fidei ac pietatis fovendo aut instituendo (can. 467, 468, 469). Acatholicos in sua paroecia degentes commendatos sibi in Domino habeat (can. 1350).

6° *Ad applicationem Missae pro populo* (can. 466), de quo alibi dicetur (n. 507).

7° *Ad curam librorum paroecialium*, qui nempe quinque sunt: baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, status animarum; qui diligenter custodiendi sunt, et quatuor priorum exemplar authenticum in fine anni ad Curiam episcopalem transmittendum (can. 470). In libro baptizatorum adnotare quoque debet si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit (nisi agatur de matrimonio conscientiae), subdiaconatum susceperit vel professionem sollemnem emiserit; eaeque adnotationes in documentis accepti baptismatis semper apponi debent (ibid.).

420 *NB.* — Ex can. 451: Parochis aequiparantur cum omnibus *iuribus et obligationibus* (et parochorum nomine in Iure veniunt): 1° *Quasi-parochi*, id est qui partes regunt vicariatus apostolici vel praefecturae apostolicae. 2° *Vicarii paroeciales*, *si plena potestate* paroeciali sunt praediti, puta si ad tramitem Iuris constituuntur (can. 472-475).

Porro vicarii paroeciales dicuntur in Codice (can. 471 seqq.): — *a*) Vicarii *personae* alicuius *moralis*, v. gr. ecclesiae

capitularis. — *b*) Vicarii *oeconomi*, id est qui regimen habent alicuius paroeciae vacantis. — *c*) Vicarii *substituti*, id est qui ab Ordinario constituuntur ad supplendum parochum, qui ultra hebdomadam abesse debet. — *d*) Vicari *adiutores*, seu qui constituuntur ad supplendum parochum, qui ob senectutem, mentis vitium, imperitiam aliamve permanentem causam suis muniis rite obeundis impar evasit. — *e*) Vicarii *cooperatores*, qui scilicet dantur parocho, qui propter populi multitudinem aliasve causas nequit solus convenientem paroeciae curam gerere.

Tres priores vocantur quoque a scriptoribus *deservitores* vel *administratores;* primum etiam vocarunt *vicarium curatum;* et quartum *vicarium coadiutorem.*

Plena potestate paroeciali potiuntur: *Vicarius curatus*, si constituitur ad normam can. 471; *oeconomus*, si constitutus ab Ordinario loci; *substitutus*, si ab Ordinario loci est approbatus, et idem dic de sacerdote supplente, si cum gravis causa parochum subito abire coegerit, designatus est a parocho cum onere quamprimum Ordinarium commonefaciendi, et dummodo Ordinarius vel parochus aliqua non exceperint; *adiutor*, dummodo ab Ordinario constituatur ad parochum adiuvandum in omnibus et non ex parte tantum. — Vicarii *cooperatores* eas tantum attributiones habent, quae a statutis dioecesanis vel ex litteris Ordinarii vel ex parochi commissione desumuntur.

An teneantur Missam applicare pro populo, dicetur in n. 507.

TRACTATUS VIII.

DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI

Art. 1. De natura status religiosi.

Cum *status religiosus* idem sit ac *ecclesiasticus status* **421**
perfectionis christianae, ideo illius natura patefiet, si declaramus quid per christianam perfectionem intelligendum sit, et quid sit eam sectari in statu ecclesiastico.

a) **Perfectio** 1° debet essentialiter complecti exercitium caritatis, siquidem docuit Christus (MATTH. XXII, 40) ad dilectionem Dei et proximi reduci universa praecepta atque in illis duobus contineri, his verbis significans haec duo praecepta cuique alte defixa debere esse in mente atque ob oculos versari debere, ita ut ad ea suas cogitationes, sermones, actiones, totam vitam suam dirigat et componat. Cf. etiam Rom. XIII, 10 et 1 Cor. XIII. Consequenter: 2° perfectio importat quoque remotionem impedimentorum huius caritatis exercitium prohibentium.

Sed perfectio, si ad exercitium illius caritatis praeceptae eatenus tantum se circumscribit, quatenus stricte praecepta est, et impedimenta eatenus tantum removet, quatenus cum caritatis stricte praeceptae exercitio vere incomponibilia sunt, erit perfectio substantialis, omnibus ad salutem necessaria, quae ideo solum perfectio vocari potest, quia *omnia*, quae stricte praecepta sunt, explet, nullo excepto.

Sed cum manifestum sit gradus exsistere posse sive in intensitate, qua perfectio exercetur, sive in diligentia, qua impedimenta removeantur maiora vel minora; hinc considerandus venit gradus istius perfectionis supremus, seu perfectio completa.

Igitur *perfectio* **completa** (seu quam significamus simpliciter nomine *perfectionis*), consistet: 1° in *plena* dedicatione

suae vitae ad exercitium caritatis, consequenter etiam aliarum virtutum, omnes enim virtutes secum trahit caritas (1 Cor. XIII), aliis verbis, consistet in traditione completa *sui* et suorum *omnium operum* ad servitium Dei *propter Eum summe dilectum* (n. 83), quod quidem practice habebitur quoque per exercitium caritatis in proximum propter Deum summe dilectum (n. 83). 2° In remotione *omnium* impedimentorum id facere prohibentium.

b) **Status** *perfectionis* exiget id fieri modo *stabili*. Et quoniam loquimur de *perfectione completa*, opus erit ut haec stabilitas sit *complete perfecta*, ideoque ut non solum habeatur stabilitas de facto, sed etiam de iure; scilicet, ut caritas non solum de facto exerceatur semper, verum etiam non possit non exerceri semper, aliis verbis, ut traditio supradicta fiat modo *firmo* et *irrevocabili*.

422 *c*) *Status perfectionis* **christianae** consistet: 1° in amplectendis illis consiliis seu mediis ad sectandam perfectionem, quae docuit et commendavit Christus. Atqui ex doctrina Christi sive ab Eo directe, sive ab Apostolis per traditionem accepta haec consilia et media sunt:

1° *Paupertas effectiva*. Haec enim recensetur sive inter consilia, sive ut condicio ad removenda impedimenta; etenim cf. MATTH. XIX, 21; MATTH. VIII, 20; 1 IOANN. II, 16; 2 COR. VIII, 9; hunc locum Apostoli confer cum illa invitatione Christi « Sequere me », MATTH. XIX, 21.

2° *Castitas perfecta*. Nam cf. MATTH. XIX, 10-12; 1 COR. VII, 38, 33-34, 7-8. Et quidem si perfecta debet esse, non sufficit ut a voluptatibus externe se abstineat, sed debet actus quoque internos complecti; id enim manifestum est magis accedere ad perfectionem completam, et certe requiritur ad statum ecclesiasticum perfectionis christianae, de quo mox, id est ad statum religiosum.

3° *Subiectio* seu obedientia. Nam cf. 1 IOANN. II, 16; LUC. IX, 59; MATTH. XIX, 21; et ex MATTH. XVIII 17-20, ubi satis indicatur eum, qui sectari vult perfectionem, Ecclesiae praelatis (ideoque sibi a R. Pontifice designatis) debere, etiam in materia perfectionis, subiici. Accedit constans a pluribus saeculis Ecclesiae praxis, et omnes Bullae pontificiae erectionis aut confirmationis Ordinum, obedientiam inter essentialia requirentes, sunt eiusdem rei authentica documenta. Praeterea ex natura rei; nam per obedientiam removetur illud perfectionis assequendae obstaculum, scilicet superbia vitae, de quo 1 IOANN. II, 16; removetur quoque periculum errandi in dispositione suarum actionum.

4° *Stabilitatem* denique vult Christus, ut habes ap. Luc. IX, 57-62. Stabilitas autem iuris seu irrevocabilitas habetur per vota; immo stabilitas adhuc plenior est, si constare potest in foro externo ideoque per vota publica seu *professionem*.

d) *Status* **ecclesiasticus** *perfectionis christianae* dicitur *status religiosus* et tunc habetur, cum status perfectionis christianae initur modo ab Ecclesia approbato, proindeque in aliquo approbato Instituto religioso, cuius approbata regula vitaeque ratio observanda suscipitur tamquam modus particularis servandae perfectionis christianae.

Ex dictis patet, quam recte Ius canonicum statum religiosum sic definiat: « stabilem in communi vivendi modum, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt » (can. 487).

Art. 2. Praeliminaria.

Nitide Codex definitiones quasdam tradit ad rite intelli- **423**
gendam legislationem circa religiosos necessarias, nempe:

Can. 488: « In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine:

1° *Religionis*, societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt;

2° *Ordinis*, religio in qua vota sollemnia nuncupantur; *Congregationis monasticae*, plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem superiore; *religionis exemptae*, religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta; *Congregationis religiosae* vel *Congregationis* simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur;

3° *Religionis iuris pontificii*, religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *iuris dioecesani*, religio quae ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit;

4° *Religionis clericalis*, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis;*

5° *Domus religiosae*, domus alicuius religionis in genere; *domus regularis*, domus Ordinis; *domus formatae*, domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes;

6° *Provinciae*, plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem superiore, partem eiusdem religionis constituens;

7° *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *regularium*, qui in Ordine; *sororum*, religiosae votorum simplicium; *monialium*, religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae, quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia;

8° *Superiorum maiorum*, Abbas Primas, Abbas superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ».

424 Can. 490: « Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet ».

Ut autem dignoscatur, quousque praescripta Codicis a religionibus observanda sint, non obstantibus normis, quibus hucusque sese regebant, prae oculis habendi erunt sequentes canones:

Can. 489: « Regulae et particulares constitutiones singularum religionum, canonibus huius Codicis non contrariae, vim suam servant; quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt ».

Can. 4: « Privilegia..... integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur ».

Can. 613: « § 1. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione. — § 2. Privilegia quibus gaudet Ordo regularis, competunt quoque monialibus eiusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces ».

Haud parvi momenti dubium exortum est circa hunc postremum canonem, scilicet num post novum Codicem adhuc in suo valore subsistant privilegia iam obtenta a religionibus per communicationem ante promulgationem Codicis.[1] Proba-

[1] Concesso alicui religioni privilegio communicandi cum ceteris, non ideo quaelibet privilegia aliis concessa censeri debent illi religioni acquisita fuisse: nam, ut ait can. 64, « Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio ».

bilius quidem censemus cum nonnullis[1] ea non amplius subsistere, agnoscimus tamen probabilitatem sententiae oppositae, quam alii tenent[2].

Denique « Normae », secundum quas S. C. de Relig. in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, publici iuris factae sunt ab eadem S. C. 6 mart. 1921[3].

Art. 3. De vocatione religiosa.

425 Ad sectandam perfectionem *omnes* quidem homines per se vocantur omnibusque eligenda proponitur via evangelica consiliorum. Omnibus enim facta est promissio magni praemii, si domum reliquerint vel fratres propter amorem Christi: « Omnis qui reliquerit etc. » (MATTH. XIX, 29); omnibus invitatio fit ad continentiam: « volo omnes vos etc. » (1 Cor. VII, 7); ad omnes dirigitur illa ad eamdem colendam hortatio: « qui potest capere, capiat » (MATTH. XIX, 12). Et quamvis in duobus his postremis Scripturae locis nominetur tantum continentia, in ipsis tamen hortatio subintelligitur ad perfectionem in genere, sed illa tantum virtus memoratur expresse, quae exsecutionis est peculiariter difficilis. Propterea etiam SS. Patres ad perfectionem homines hortando de virginitate maxime locuti sunt eamque per tot praeclarissimos libros fusis laudibus extulerunt.

Cum igitur omnes homines per se ad consilia evangelica vocati sint, nulla ulterior vocatio exspectanda est, sed quicumque ea amplectitur, is vocationem habet. Immo, qui ea reipsa amplexus est, is *specialem* vocationem habuisse dicendus est: ei enim tot gratiae atque adiumenta tum externa tum interna data sunt, quibus praepararetur tandem via ad gratiam efficacem, qua vocationem illam generalem reipsa est secutus; pari modo ac omnes homines vocantur ad fidem, qui autem ad fidem reipsa pervenit, speciali titulo Deo debitor est, quoniam gratia efficax speciale est beneficium.

Quamquam per se omnes homines diximus ad consilia evangelica vocari, per accidens tamen ad ea, saltem omnia, non vocantur qui inpedimentum habent cum iis incomponibile. Manifestum enim est coniugatos non vocari ad servandam

---

1 FERR., *Instit. can.* I, n. 904, *Theol. mor.* II, n. 241; BLAT, *Comment. text.*, l. 2, n. 689, et aliis.

2 PRÜMMER, *Man. Iur. can.* ed. 3ª, pag. 312; VERM. CREUS., n. 615; FANFANI, *De iure Rel.*, n. 277, et alii ab eisdem citati. Fusius de hac re LARRAONA in ephem. *Comment. pro Rel.* III, pag. 208 seqq.

3 Cf. A. A. S., anno 1921, pag. 312 - 319.

continentiam dissentiente comparte, nec eos qui parentes miseros relinquerent sine auxilio. Nec divinum modo aut naturale potest esse impedimentum, verum etiam ecclesiasticum. Ecclesia enim ob iustissimas causas, quas hic persequi esset supervacaneum, statum perfectionis solitarium non agnoscit, sed tantum illum, qui instituitur in vita communi. Igitur a statu religioso arcendi sunt qui huic vivendi rationi non accommodantur, certis defectibus physicis laborantes aut quosdam habentes morbos; item qui spem non dant fore, ut eidem se acommodent, uti qui nimiam continentiae difficultatem sentiunt, iudicii proprii tenacissimi, insolentes, vexati melancholia etc.

Qui Dei iuvante gratia evangelicam invitationem intelligit et matura deliberatione pro rei gravitate peracta (agitur enim de instituenda ratione totius vitae, quae non absque magno incommodo incepta desereretur aut invite continuaretur) iudicat melius sibi esse et magis acceptum Deo, Christi vestigia et consilia sequi, oportet ut sanctum istud propositum non diu differat. Non enim segnes et desides vult Christus, sed alacres et impigros, iuxta illud: « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos ». (Matth. VIII, 22).

Nec tamen de peccato arguendi sunt, multo minus de mortali, qui evangelicam consiliorum commendationem praetermittant, etiam ii, qui particularem erga ea propensionem sentiant. Demptis enim paucissimis quibusdam, quos per specialia media Deus religionem ingredi iubeat, ceteris invitatio fit, non iussio, consilia proponuntur, non imponuntur Si sequi detrectant, magnum quidem bonum deserunt, magno praemio renuntiant, altissimam angelisque aemulam vitam omnibus laudibus extollendam postponunt; at certe, nisi ob motivum irrationabile detrectent, puta ob mundanarum vanitatum amorem, ob sensualitatum fruitionem etc., ex eo praecise quod detrectant, malum nullum agunt, sed tantummodo minus bonum eligunt. Nec timendum est, ne exinde sibi a Deo gratiae sufficientes, immo et abundantes ad salutem denegentur; quasi Deus illos in religioso statu unice salvare statuerit, eisque hunc non de consilio, sed, quod falsum est, de stricta obligatione proposuerit. Negari non debet multis gravibusque periculis hominem cricumveniri in saeculo gratiasque longe uberiores in religione habiturum; at nullo sufficienti fundamento assereretur non acceptata vocatione fore ut homo fere interclusam reperiret salutis viam. Quare non probamus recentiores eos theologos qui, prout ostendit clarissimus Vermeersch in opusc. « De vocatione religiosa », ab antiqua traditione theologica deviantes nimis severum in hac re iudicium promunt.

Sed quamvis voluntarie liceat sublimi vocationi evangelicae renuntiare, gravis tamen esset iniustitia alium per vim, minas aut falsis fictisve motivis a iure, quod habet, illam capessendi defraudare; immo grave utique esset peccatum contra caritatem, illum ab obtinendo tam inaestimabili bono avertere. Quare per se graviter peccant parentes vel superiores, qui in filiis vel subditis vocationis divinum germen conantur suffocare, saepe tamen ob inconsiderantiam vel caeci amoris impetum excusantur a mortali; immo damnandi non sunt, si filium rationabili de causa, v. gr. quia nimis puer est aut quia de eius seria voluntate dubitant, ad tempus probant; gravissime tamen peccarent, si quamvis probationis causa eum spiritualibus periculis exponerent. Difficilius quam parentes a gravi excusantur confessarii, qui cum ab eis consilium petatur, adolescentem, quem ad religionem inclinare atque eidem idoneum esse sentiunt, dissuadent.

Ex superius expositis patet ad religionem idoneum esse in eamque admitti posse quemvis qui, omni carens impedimento, voluntatem firmam habeat, Dei auxilio confisus, Christo in perpetuum serviendi. Consonat can. 538: «In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus».

Art. 4. De postulatu et novitiatu.

In religionibus, in quibus vota *perpetua* emittuntur, *mu-* **426**
lieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi seu *fratres laici* postulatum ad sex saltem integros menses (quos superior maior prorogare potest, non tamen ultra aliud semestre) peragere debent, modesta veste induti ac diversa a veste novitiorum, in domo novitiatus vel in alia religionis domo, in qua disciplina vigeat, sub speciali cura probati religiosi, et si mulieres sint, lege clausurae monasterii tenentur (can. 539, 540). In religionibus vero a votis temporariis postulatus quoad necessitatem et tempus regitur propriis religionis constitutionibus (can. 539, § 1).

Lex de postulatu non pertinet ad novitiatus validitatem.[1]

Peractis octo exercitiorum diebus et praemissa, si confessario videtur, generali confessione (can. 541), postulans ad novitiatum admitti potest.

---

1 Cf. VERM. CREUS., n. 518, 526, et GÉN. S., n. 78 idemque opinatur FERR., n. 181.

427 *Ad novitiatum autem* **invalide** *admitterentur* (can. 542):

1° « Qui sectae acatholicae adhaeserunt », id est qui catholicismum deseruerunt et sectae acatholicae nomen dederunt, non autem qui in secta acatholica nati ad catholicam fidem conversi sunt[1]. — 2° « Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent », id est 15 annos expletos (can. 555). — 3° « Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos superior eodem modo inductus recipit ». — 4° « Coniux, durante matrimonio », etsi nondum consummato. — 5° « Qui obstringuntur[2] vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae », etsi professionem tantum emisissent votorum temporalium et quamvis in religione iuris dioecesani, non vero qui e novitiatu dimissi vel egressi fuerant. — 6° « Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt ». — 7° « Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus ». — 8° « Clerici, qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat ».

Si qua alia impedimenta in propriis cuiusque religionis constitutionibus statuta sint, ea in suo vigore manere vult canon 542.

428 *Ad novitiatum valide, sed* **illicite** *admitterentur* (can 542):

1° « Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit »[3]. In antiquo iure licebat statum religiosum amplecti contradicente Episcopo, id nunc clericis maioribus non licet, si consensus denegatur ob necessitatem gravem animarum; raro tamen in praxi id eveniet, praesertim cum religiosus non minus laboret in salutem animarum. — 2° « Aere alieno gravati qui solvendo pares non sunt », at non gravantur qui rem cum creditoribus composuerunt vel aliter ab omni vexatione in foro externo liberi sunt. — 3° « Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit ». — 4° « Filii qui parentibus, id est patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos

---

1 Comm. I. C., 16 oct. 1919.

2 Professus ad aliam religionem transiens habitum novitiorum novae religionis gestare debet in novitiatu. Comm. I. C., 14 mai. 1923 (A. A. S., a. 1923, p. 289).

3 De hoc argumento egregie Bened. XIV const. « Ex quo dilectus », de libero ingressu, 14 ian. 1747.

vel educandos necessaria »[1]. Sed religionis ingressum impediret de iure naturali fratrum vel sororum necessitas extrema (non vero, si tantum est gravis; expedire tamen posset, ut ingressus differatur)[2]. — 5° « Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento ». Sine dubio de impedimentis non est sermo, quae sponte sua ante sacerdotium cessabunt, v. gr. servitium militare explendum (can. 987)[3]. — 6° « Orientales in latinis regionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali »[4].

Sequentia **testimonia exhibenda** *sunt ad admissionem* **429**
(licitam, quin requirantur ad validitatem) in novitiatu (can. 544 - 547) :

Quoad adspirantes *utriusque sexus* testimonium baptismatis et confirmationis; praeterea de iis qui fuerunt in aliquo Seminario, collegio (id est probabilius, in aliquo convictorio ecclesiastico, v. gr. schola apostolica, non in aliquo collegio laicali)[5], vel alius religionis postulatu aut novitiatu, testimoniales litterae, respective a superiore (Seminarii vel collegii), audito Ordinario loci, vel a superiore maiore iuratae; insuper superiores alia quoque testimonia possunt exigere, quae ipsis videntur necessaria aut opportuna. Pro adspirantibus *viris* addi debent testimoniales litterae Ordinarii ori-

---

1 Hac occasione quaeri potest, an emissa iam professione teneretur religiosus egredi ob necessitatem parentum. Si esset extrema et evidens eamque e claustro aliis mediis sublevare non posset, teneretur. At si est tantum gravis, fere communiter negatur, quia filius statum mutavit, quem non potest deserere sine suo gravi incommodo; deberet tamen parentibus subvenire mediis quibus posset, salva obedientia et sui status condicione; in casu valde expedit ut ipsa religio pro viribus eis subveniat. S. Alph., l. 4, n. 67; Lehmk., n. 670.

Licentiam parentum non requirit Codex, neque est ullo modo de iure naturali necessaria; cum enim electio status neque ad educationem neque ad domus gubernationem pertineat, non est materia, qua filius ad obedientiam teneatur. Parentum tamen reverentia postulat, ut consilium exquiratur, immo et consensus petatur; si denegetur, ingredi licet, immo si vexationes aut pericula vocationis praevidentur, expedit inadmonitis illis ingredi.

2 S. Alph., l. 4, n. 70.

3 Verm. Creus., n. 540; Ferr. n. 184; Gén. S., n. 78.

4 Can. 2411 : « Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione ». Cf. etiam declarationem pro societatibus clericalibus sine votis datam a Comm. I. C., 2 - 3, iun. 1918.

5 Verm. Creus., n. 548; Prümmer, n. 207 nota; sed contra Blat, n. 612.

ginis ac cuiusque loci, in quo post expletum 14 aetatis annum morati sunt ultra annum moraliter continuum. Pro adspirantibus *mulieribus* addi debent accuratae investigationes circa indolem et mores. — *Exceptiones.* Pro clericis sufficit testimonium ordinationis et litterae testimoniales Ordinariorum, in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum commorati sunt, additis, si in aliquo Seminario, collegio etc. fuerint, testimonialibus litteris supradictis. Pro religiosis ad aliam religionem transeuntibus sufficit testimonium superioris maioris prioris religionis [1].

430 *Dotem* praeterea afferre debet postulans in monasterio monialium; in religionibus votorum simplicium standum constitutionibus. De dote agit Codex can. 547 - 551.

Voluntatem mulieris adspirantis explorare debet Ordinarius loci, vel eo absente aut impedito sacerdos ab eodem deputatus, triginta saltem diebus ante novitiatum et ante professionem tum temporariam tum perpetuam, indagans, quin tamen ingrediatur clausuram, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat [2]. Ad hunc finem religiosarum (etiam exemptarum) Antistita debet Ordinarium loci duobus saltem mensibus ante novitiatum et professionem monere (can. 552). Omissis explorationibus valida tamen erit professio.

Novitiatus incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto (can. 553).

431 **Ad validitatem novitiatus** peragi debet: 1° post completum decimum quintum saltem aetatis annum; 2° per annum

---

1 *Qui litteras testimoniales, ut supra, dare debent*, eas gratis et sigillo clausas dare debent intra trimestre ab earum requisitione, et tradere non ipsis adspirantibus, sed superioribus religionis (si graves ob causas iudicent se respondere non posse, causas exponant, intra tempus praedictum, Sanctae Sedi; si dixerint adspirantem non satis esse sibi cognitum, superiores aliis investigationibus suppleant; si non responderint, superiores moneant Sanctam Sedem). Debent autem, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias instituerint, referre, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, condicione, scientia, sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio etc. fuerunt, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint. Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt (Can. 545, 546).

2 Nullam taxationem pro huiusmodi exploratione exigi licere a communitate, respondit S. C. de Relig. 20 mart. 1922.

integrum [1] et continuum; 3° in domo novitiatus. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur (can. 555) [2]. In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet (can. 558).

De novitiatus interruptione cf. can. 556, et de novitiorum institutione can. 559 seqq.

Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent [3] (can. 567).

Ante professionem votorum simplicium sive temporario- **432**
rum sive perpetuorum novitius debet ad totum tempus, quo simplicibus votis adstringetur, *bonorum suorum administrationem* cedere cui maluerit, et nisi constitutiones aliud ferant [4], de eorumdem usu et usufructu libere disponere [5]. Si professione emissa bona superveniant, cessio ac dispositio fiat iterum. Cessionem vel dispositionem professione emissa religiosus mu-

---

1 Annus computandus est ad validitatem iuxta normam can. 34, § 3, 3°, quem habes supra in n. 33 nota (Comm. I. C. 12 nov. 1922, ad 1).

2 Plures exstant religiones, in quarum constitutionibus praescribitur alter novitiatus annus. Circa modum illum obeundi instructionem dedit S. C. de Relig. 3 nov. 1921.

3 De professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa, cf. S. C. R. 30 dec. 1922 (A. A. S., anno 1923, pag. 156 - 158).

4 Haec verba iuxta resp. Comm. I. C., 16 oct. 1919 ita referuntur ad cetera sequentia, ut « constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sint, sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent seu praefiniant ».

5 Nihil prohibet, quominus disponat, ut bonorum suorum reditus ipsis suis bonis accrescant. Ita iam docebat VERMEERSCH, *De religiosis*, edit. 1902, n. 246 aliique plurimi apud ipsum (*Period.* I, pag. 122) ante responsum datum a S. C. EE. et RR. 21 nov. 1902. Hoc quidem responsum contrarium declaravit, sed putamus iam nunc non obstare, licitumque esse ad priorem illam fere communem sententiam redire. Nam praeterquam quod illud responsum, opinatur PRÜMMER, *Man. Iur. Can.* q. 217, habere vim desiit in novo Iure (quod forte minus recte dicitur, nam putamus illud nec ad modum legis promulgatum fuisse nec ullam legem continuisse, sed fuisse meram *declarationem* legis tunc exsistentis), ratio est, quod lex, quam praedictum responsum declaravit, aliis omnino verbis concepta erat ac praesens canon 569. Aiebat enim decr. « Sanctissimus » 12 iun. 1858: « Debent *cedere usumfructum quibus iis placuerit* », et cum his verbis responsum illud erat intelligibile; at vero Ius novum ait: « Debet de usufructu *libere disponere* », atque his verbis interpretatio illa restrictiva, quam responsum continet, non facile videtur aptari posse. Idem docet quoque LARRAONA, in Ephem. « *Comm. pro Relig.* », anno I, pag. 338.

tare potest, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agitur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, superioris regularis, dummodo mutatio saltem de notabili bonorum parte non fiat in favorem religionis. Per discessum a religione cessio ac dispositio habere vim desinit[1]. (can. 569, 580)[2].

Ante professionem votorum temporariorum debet praeterea novitius *Congregationis* religiosae *testamentum* de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condere (can. 569, § 3).

Exacto novitiatu novitius ad nuncupanda vota, praemissis octo saltem exercitiorum spiritualium diebus, admittitur; si idoneus non censetur, dimittitur, potest tamen in dubio novitiatus prorogari, non tamen ultra sex menses (can. 571).

« In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus », (can. 576, § 1)[3].

Art. 5. De professione religiosa.

433 Professio religiosa est contractus, quo quis Instituto religioso legitime approbato se tradit cum emissione votorum substantialium, ab ipso Instituto nomine Ecclesiae acceptata, eo vicissim se obligante professum habere ut filium.

In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione, quae vota perpetua[4] habeat, novitius, post expletum novitiatum, emittere debet *vota temporaria* ad triennium (nisi constitutiones exigant annuales professiones), vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet. Hoc tempus superior prorogare potest (non ultra aliud triennium), renovata tamen temporaria professione, quae quidem renovari semper debet, nulla interposita

---

1 Habere vim desinit in foro ecclesiastico. Ut habere quoque desinat in foro civili, caute debuit cessio fieri sub condicione his similibusve verbis concepta: « quamdiu votis simplicibus adstringar », ut Codex iubet.

2 In can. 580 manifeste irrepsit mendum, cum citatur can. 569, « § 2 » loco « § 1 ». Cf. LARRAONA, in Ephem. « *Comm. pro Relig.* », anno II, pag. 41.

3 In professione monialium, postquam vota temporanea eis a Iure praescripta sunt, professioni sollemni reservari debent ritus illi omnes et caeremoniae, quae ad perpetuitatem status referuntur; ad professionem vero temporaneam sufficit ut ad normam canonis 577 a legitimo superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. S. C. de Relig. 10 iul. 1919. Et cf. quoque resp. Comm. I. C. 1 mart. 1921, ad III.

4 Perpetua non censentur, quae in quibusdam Institutis votorum simplicium emittuntur sub hac vel simili condicione apposita: « donec in Congregatione vivam », ut eruitur ex resp. Comm. I. C. 1 mart. 1921.

mora, quoties elapsum est tempus ad quod vota nuncupata sunt, nisi professus velit religionem deserere, id autem libere potest expleto votorum tempore[1]. Denique, exacto tempore professionis temporariae emittitur *perpetua professio*, sollemnis vel simplex secundum constitutiones. Si professio sollemnis emittenda est[2], professus debet intra sexaginta dies ante eam (ante id tempus invalide fieret) omnibus bonis, quae actu habet, renuntiare cui maluerit, sub condicione secuturae professionis; hac postea emissa, superior eam excipiens monere debet parochum baptismi, et statim faciendae sunt formalitates ut renuntiatio valida sit iure civili (can. 574 - 577, 581).

Quoad professionem eorum, qui a servitio militari nondum exempti sunt, S. C. de Relig. 15 iul. 1919 declaravit decretum « Inter reliquas » ab eadem S. C. datum 1 ian. 1911, utpote quod ad circumstantias temporum ac locorum habeat relationem, non fuisse ob eius silentium in novo Iure abrogatum, simul tamen illud novo Codici adaptavit hoc modo: Praedicti emittent vota temporanea valitura usque ad servitium militare; vota cessabunt eo die, quo religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadat[3], vel quo inhabilis absolute et in perpetuum declaretur. Perdurante militari servitio alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat sub auctoritate suorum superiorum; potest nihilominus libere reli- **434**

---

1 Religio potest professum dimittere sive durante tempore professionis temporariae sive eo exeunte, si eum dignum non habet ad vota perpetua, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam (can. 575, 637). — De recursu contra decretum dimissionis, cf. declarationem S. C. de Relig. 20 iul. 1923 (A. A. S., a. 1923, p. 457).

2 In Statibus Foederatis Americae (exceptis nonnullis monasteriis monialium a Visitatione), in Gallia (exceptis monasteriis ducatus Niciensis et Sabaudiae), in Belgio et in Rep. Mexicana moniales etiam Ordinum regularium proprie dictorum nequeunt emittere vota sollemnia, ideoque nec tenentur clausura papali nec lege recitandi officii divini (nisi forte vi constitutionum), sed nec eximuntur a iurisdictione Ordinarii (nisi concessionem contrariam obtinuerint), fruuntur tamen omnibus indulgentiis et favoribus spiritualibus Ordini concessis.

Definivit nuper S. C. de Relig. (decr. 23 iun. 1923, cf. A. A. S., anno 1923, p. 357) huiusmodi moniales Ordinum regularium in Gallia et in Belgio: 1° esse vere moniales iuris pontificii ad sensum can. 488, § 7. — 2° Earum tamen monasteria superioribus regularibus minime esse subiecta. — 3° Nihil obstare in praesenti quominus vota sollemnia, servata clausura papali, ab Apostolica Sede impetrent.

3 Cf. etiam resp. S. C. de Relig. 30 nov. 1919 (A. A. S., anno 1920, pag. 73).

gionem deserere, praemonitis superioribus in scriptis vel coram testibus. Expleto militari servitio debent iuxta decr. « Inter reliquas » saltem per annum in votis simplicibus manere.

Vota ante professionem religiosam emissa iam non exstinguuntur sed suspenduntur, donec vovens in religione permanserit (can. 1315).

Professi votorum temporariorum fruuntur iisdem privilegiis, indulgentiis et spiritualibus gratiis ac professi votorum sollemnium vel simplicium perpetuorum et eadem obligatione tenentur servandi regulas et constitutiones (can. 578).

435 *Ad validitatem cuiusvis professionis requiritur* ut, 1° qui eam emissurus est legitimam aetatem habeat, id est decimum sextum aetatis annum expletum, si de temporaria professione agatur, vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni sive simplici; 2° eum ad professionem admittat legitimus superior secundum constitutiones; 3° novitiatus validus praecesserit; 4° professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur; 5° sit expressa (ideoque non amplius admittuntur professiones tacitae, ut in antiquo Iure); 6° a legitimo superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur (can. 572, 573). Praeterea ad validitatem professionis perpetuae, sive sollemnis sive simplicis, requiritur ut praecesserit professio simplex temporaria (can. 572).

Si professio fuit invalida ob impedimentum externum, non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur; si vero ob consensus defectum mere internum (qui proinde probari non possit in foro externo), hoc praestito convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus (can. 586).

Art. 6. De obligationibus religiosorum.

436 Obligationem, quae natura sua ex ipsa status religiosi susceptione promanat, sic exprimit Codex can. 693: « Omnes et singuli religiosi, superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere ». Aliae praeterea obligationes de iure positivo statuuntur can. 592, 594 seqq., quae nunc percurremus. Religiosi itaque tenentur obligatione:

1° *Servandi vota.* De horum singulorum obligationibus fusius agemus postea.

2° *Sectandi perfectionem* primario quidem per observantiam votorum, secundario autem vitam componendo secundum regulas et constitutiones propriae religionis. Atque haec obligatio « tendendi ad perfectionem » per se quidem gravis est, non tamen reapse religiosus contra eam peccat graviter, nisi vota frequenter in re gravi transgrediatur, vel perfectionem religiosam contemnat formaliter, vel contra obligationem « servandi regulas » peccet graviter, ut mox dicetur [1].

Regulae de se sub nullo obligant peccato (nisi aliter constitutiones statuant); in praxi tamen frequenter in earum violatione peccatur venialiter ratione adiunctorum, scilicet quia transgressio fit ob pigritiam vel cum scandalo etc. At mortale esset regulas transgredi ex contemptu formali, id est tamquam ex odio subiacendi illis seu Praelatis; id enim supponeret contemptum religionis auctoritatisque Ecclesiae, quae eam approbavit; sed prorsus aliud esset regulas violare ob concupiscentiam, vel cogitando quod necessariae ad salutem non sunt, vel quod non praecipiuntur sub gravi. Mortale quoque esset tam saepe regulas transgredi tamque relaxatam vitam ducere, ut religiosus pravo suo exemplo in gravem perniciem sit religioni (S. Alph., l. 4, n. 10). Facilius in hac re peccare possunt superiores, qui frequentem regularum transgressionem impunem praetermittentes notabilis relaxationis periculum religiosae disciplinae creari sinunt; non tamen nimia duci debent sollicitudine; nam inopportunitas vel maioris mali timor aliquando dissimulationem prudentiorem fore suadent, modo scandalum inde non oriatur [2].

3° *Ducendi sanctiorem vitam* quam ipsi clerici. Ad hunc **437**
finem Codex can. 592 « religiosos omnes », ideoque ipsos quoque fratres laicos subiectos edicit omnibus *obligationibus communibus clericorum*, de quibus supra egimus n. 398 seqq., « nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet » [3]. Praeterea, can. 595 media quaedam sanctioris vitae statuit,

---

1 Cf. S. Alph., l. 4, n. 10 - 12.

2 S. Alph., ibid. n. 13.

3 Aliud revera aliquando constat; v. gr. sacerdotibus religiosis post absolutum studiorum curriculum examen quotannis subeundum imponitur saltem per *quinquennium* (cum sacerdotibus saecularibus praescribatur per *triennium*) in variis doctrinae sacrae disciplinis, et tum hi tum etiam qui sacrae Theologiae operam navant assistere obligantur casui morali et liturgico qui, minimum semel in mense, habendus est in qualibet formata domo (c. 590, 591); quosdam tamen tum ab examine tum a casu morali eximit Codex ll. cc.; religiosi curam animarum habentes assistere debent collationibus moralibus dioeceseos, item alii religiosi facultate ad confessiones audiendas ab Ordinario praediti, si collatio in eorum domo non habeatur (can. 131, 3°). De examine religiosi parochi vel vicarii cf. Comm. I. C. 14 iul. 1922, ad 2.

quorum exsecutionem directe commendat curae superiorum [1]; nempe, ut religiosi omnes: *a*) «quotannis spiritualibus exercitiis vacent», — *b*) «legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant», — *c*) «ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant». — Superiores ut inter suos subditos frequentem communionem promoveant, praescribit idem can. 595, immo ut ipsis quotidianum accessum ad Sanctissimam Eucharistiam libere concedant, nisi ob gravem externam culpam aut grave scandalum aliquem accessu oporteat prohibere.

Canone 530 omnes religiosi superiores (non Praefecti spiritus aut Magistri novitiorum, si sint sacerdotes) districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere (ideoque ne indirecte quidem, v. gr. curando ut per alium inducantur) ad *conscientiae manifestationem* sibi peragendam (v. gr. interrogando de fructu collecto e communionibus). Non tamen vetantur eos interrogare de observantia exteriore regularum, de modo agendi cum sociis etc. Nec vetantur ceteri alios hortari, ut *conscientiam* superiori sacerdoti manifestent, cum idem ipse canon subditos hortetur, ut filiali cum fiducia superiores adeant eisque, si sacerdotes sint, dubia et anxietates suae conscientiae exponant [2]. Obligatio denuntiandi superiorem conscientiae rationem exquirentem in novo Iure non amplius imponitur.

---

1 Ex modo ipso loquendi canonis 595 (idemque dici debet de can. 125, de quo supra in n. 406) satis apparet media huiusmodi spiritualia non stricte imponi personis ipsis religiosis (per modum enim convenientis ordinationis traduntur, non per modum praecepti; cf. Suárez, *De Relig. Soc. Iesu*, l. 8, c. 3, n. 10; *De Legib.*, l. 3, c. 15, n. 10); non tamen negligerentur voluntarie, quin obligationes aliae simul violarentur aliunde exsurgentes ex regula vel ex sectanda perfectione etc.; immo facile aliqualis contemptus redundaret in Ecclesiam illorum observantiam tam aperte inculcantem. Certe autem eorum exsecutionem in communitatibus curare debent superiores. Superioris igitur est, iuxta quod illi committit Codex, invigilare ut haec exercitia spiritualia ab omnibus peragantur, v. gr. vigilando per se vel per alium, an singuli in locum orationis communis se conferant; quod si aliqua permittuntur non fieri in communi, v. gr. oratio mentalis, visitare debet cubicula tempore orationi destinato, indagare quoque (etiam, si videtur, ipsum subditum interrogando), an confiteatur qualibet hebdomada, etc.

2 Perpulchram de hac re declarationem Benedicti XV ad Societatem Iesu vide ap. Ferr., n. 660.

Attamen Societati Iesu concessit Pius XI, per rescriptum datum 16 Iunii 1923, ut quae in Constitutionibus de ratione conscientiae reddenda statuta sunt vim suam, sicut ante Codicem, recuperarent.

4° *Subiiciendi se vitae communi;* nam can. 594 eam vitae rationem praescribit, in qua omnium sit idem victus, vestitus et supellex; intelligitur, ut par est, salvis necessitatibus specialibus, v. gr. infirmitatis[1]. **438**

5° *Deferendi habitum.* « Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis », can. 596.

6° *Cooperandi sacris ministeriis*, cum ab Ordinariis vel parochis ea sollicitantur (can. 608), et curandi, ne divinorum officiorum in propriis ecclesiis celebratio catecheticae instructioni aut Evangelii explanationi in ecclesia parochiali tradendae nocumentum afferat (can. 609).

Art. 7. De voto paupertatis.

Alios effectus parit votum paupertatis simplex, alios votum sollemne. **439**

a) **Votum simplex paupertatis,** sive perpetuum sive temporaneum, tollit a vovente solum dominium *utile*, sed eum non reddit incapacem dominii *directi*[2]; nimirum vovens (seu in casu religiosus) retinet dominium radicale et capacitatem acquirendi dominium radicale, sed se obligat, vi voti, non solum administrationem usumque propriorum bonorum non exercere independenter a superiore seu absque eius licentia, sed etiam nulla re pretio aestimabili[3] uti tamquam propria. Actus igitur circa rem propriam, independenter positi, erunt

---

1 Can. 2389: « Religiosi legem vitae communis constitutionibus praescriptae in re notabili violantes, graviter moneantur et, emendatione non secuta, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si superiores sint, etiam officii ». Id autem societatibus quoque clericalibus sine votis applicandum esse, si sodales vitam communem agant, declaravit Comm. I. C., 2-3 iun. 1918.

2 Attamen in Societate Iesu coadiutores formati, sive spirituales sive temporales, etsi vota simplicia emittunt, redduntur tamen incapaces dominii directi: iure nempe ecclesiastico adnectuntur eorum voto paupertatis iidem effectus, quos habet sub hoc respectu votum sollemne, quin tamen simplex esse desinat, id est quin ab Ecclesia acceptetur tamquam sollemne; differt ergo a sollemni sub aliis respectibus, v. gr. difficultate solutionis, vel eo quod illi effectus adnectuntur non tamquam ex voti iure, sed per modum singularis privilegii.

3 Propterea si de rebus monasterii aliquam commodet vel donet, non solum iustitiam sed etiam votum laedit.

quidem *validi*, sed *illiciti* et sacrilegi, utpote laedentes votum, actus vero proprietarii circa rem alienam erunt et iniusti et sacrilegi.

Quare Codex can. 579: « Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit ». Et can. 580: « Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit ». Igitur huiusmodi professus:

440 1° *Conservat proprietatem bonorum suorum.* Si quid ergo de suis bonis sine superiorum permissu commodet, donet, immo etsi omnia bona sua abdicet vel distribuat (cf. tamen dicenda n. 443 de religioso votorum simplicium in « Ordine), valide agit[1], quia disponit de re sua et actus nullo iure annullatur; potest ergo donatarius, emptor etc. rem tuta conscientia retinere, etsi sciat illicite et sacrilege fuisse sibi donatam vel venditam; potuit tamen ratione cooperationis peccare, v. gr. si religiosum ad actum sine facultate ponendum induxit[2].

2° *Conservat capacitatem alia bona acquirendi.* In hoc puncto animadverte: 1. Nulla venia superioris opus est, ut religiosus valide et licite acquirat ea, *quae ipsi obveniant iure tantum, sine ullo ipsius novo actu*[3], v. gr. reditus capitalis in Banca collocati, fructus locationis domorum, pensiones etc.[4]. Sine venia, inquam, acquirit haec valide, quia acquirendi capax est, et licite, quia nullum actum ponit. — 2. Sed licentia superioris opus est, *si acquisitio nequeat fieri quin ponatur*

---

1 Haec bonorum propriorum alienatio nequit tractari sicut alienatio bonorum ecclesiasticorum, agitur enim de bonis *religiosi*, non *religionis*, ideoque de bonis *ecclesiastici*, non *ecclesiasticis*.

2 Non defuit, qui dixerit superiorem vi potestatis dominativae in voluntatem subditi posse huiusmodi dispositiones irritare, ideoque eas facere revocabiles. Id quidem verum est, si exsecutio nondum facta est; sed traditione rei secuta, superior actum subditi irritare iam non potest, prout egregie et fuse probat Lugo, *De Iust.*, d. 3, n. 80, 81, *Resp. mor.*, l. 4, d. 6, n. 3, cum in voluntate subditi iam nullus consensus perseverans, seu nulla amplius obligatio inveniatur, quae auferri possit (cf. etiam Ciravegna, « *De paupertate Soc. Iesu* », n. 97; Ramière, « *Comp. Inst. Soc. Iesu* », n. 101).

3 Cf. Lugonem, *De Iust.*, d. 3, n. 91.

4 Haec tamen dicuntur vi voti tantum, praescindendo a dispositione iam facta redituum aliorumve fructuum; nam iuxta can. 569 de his disponi debuit circa finem novitiatus pro toto tempore, quo votis simplicibus ligatus homo fuerit.

novus actus, v. gr. ad acquirendam donationem; nam deberet acceptari vel ad tradendas domos in locationem vel ad stipulandum, ut reditus accumulentur capitali et producant novos reditus etc.: hi enim actus sunt proprietarii de re sua disponentis, quos religiosus per votum sibi interdixit; valide tamen ageret, si illicite eos poneret. Immo etiam hereditas vel legatum, quamvis vi iuris iam praeexsistentis acquirantur, nequeunt tamen sine superioris licentia acceptari; nequit enim in ea materia novus iste actus voluntatis poni independenter a Praelato; quod si independenter poneretur, posset actus, vi generalis dependentiae voluntatis a superiore, ab eo irritari [1].

3° *Cuinam res acquirantur.* 1. Manifestum est, quod **441** *ususfructus patrimonii* seu fructus bonorum, quorum proprietatem religiosus habet, quales sunt reditus, pretia conductionis agrorum, census etc., acquiruntur ipsi religioso, cuius sunt illa bona frugifera [2], eorumque acquisitio valide et licite ab eo fit, ut diximus, absque superioris facultate; idem dic de hereditate et legato, sed horum acceptatio, ut diximus, licita non est absque facultate superioris. Eidem quoque acquiruntur *donationes ipsi factae intuitu ipsius* [3], sed has nequit acceptare sine superioris licentia [4], secus laedit votum. — 2. Cetera acquisita, *quae nec ad patrimonium pertinent nec ipsi intuitu personae data sunt*, pertinent ad religionem, scilicet ad Provinciam, monasterium vel domum iuxta constitutiones; unde ait canon 580, § 2 et 594, § 2: « Quidquid industria sua [5] vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit. Quidquid sic

---

1 Cf. Suárez, *De Soc. Iesu*, l. 4, c. 4, n. 6; Lugonem, *De Iust.*, d. 3, n. 87 sub finem.

2 Vide notam ante praecedentem.

3 Donationem specialiter fieri intuitu personae, ex circumstantiis colligi potest, v. gr. si fiat modo occulto quasi ad vitandam superiorum notitiam. In casu dubii non est censenda hoc modo facta fuisse; nam donationes, etiam extraneorum, praesumi debent, nisi aliud satis constet, non factae religioso cum intentione, ut eas sibi acquirat et libere de iis disponat. Cf. can. 1536, § 1. Lugonem, *De Iust.*, d. 3, n. 87. Larraona in Ephem. « *Comment. pro Rel.* », anno II, pag. 40.

4 Si tamen superior licentiam dat ad aliquid accipiendum ab amico, nisi aliud constet, praesumi non debet dare licentiam, ut religiosus dominium acquirat sibi; nam superior in iis rebus solum consentit, quod eas possit accipere, ita ut acquirantur communitati », Lugo, *De Iust.*, d. 3, n. 87.

5 Acquirit industria sua v. gr. eleemosynas missarum, concionum vel cuiusvis alius ministerii, fructus libri in religione elaborati, pretium pro tabella quam pinxit, praemium pro claro facinore durante bello etc., nisi horum aliqua potius induant aliquando rationem donationis; sed donatio, nisi aliud constet, censeri non debet facta intuitu personae, seu donatore habente eam voluntatem, « ut religiosus libere et independenter disponat, etsi

acquiritur, bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur, et pecunia quaelibet omnesque « tituli » in capsa communi deponantur ». Quod si religiosus aliquid eorum sibi adsciscere ret, non illicite tantum ageret, sed etiam iniuste; arriperet enim quod non est suum.

442 4° « *Salvis quae in can. 569 praescripta sunt* », addit can. 580 relatus supra. Id est si post novitiatum peractum, emissis votis, cessio administrationis bonorum iuxta praescripta can. 569 (de quo supra in n. 432) facienda est, fiat, etsi religiosus iam votis ligatus est, et quoties alia bona quovis titulo supervenient, fiat eorum quoque administrationis cessio; neque ad id religiosus ulla venia superioris eget, cum eam iam habeat a Iure id fieri praecipiente. Professus autem *Congregationis* religiosae *testamentum*, quod ante professionem votorum temporariorum condidit (vide supra n. 432), mutare non potest sine licentia Sanctae Sedis iuxta can. 583, § 2; si tamen absque debita licentia mutaret, valide ageret (cf. can. 11) [1], id est hoc testamentum posterius, non aliud prius pro valido habendum esset.

---

condicioni sui status repugnet »; donatio ergo religioni obvenit. Cf. Resp. S. C. de Relig. 16 martii 1922, in quo declarantur ad religionem pertinere, quae religiosus tempore belli acquisivit ex servitio militari, si istud praestitit ligatus votis.

Acquiruntur ergo religioni stipendia missarum ideoque ei tradenda sunt, et contra votum peccaret religiosus qui aliter ageret.

Non peccaret tamen contra votum, si faceret sacra gratis, quae testator heredi aut legatario commisisset aut quae capellanus ex fundatione celebrare tenebatur, etsi dein heres vel capellanus pecuniam illis respondentem retineant; eam enim retinent non ratione dominii per religiosum acquisiti, sed ratione hereditatis, legati vel capellaniae (Sánchez, *In Decal.*, l. 7, c. 28, n. 15); nec si sacrum faceret pro Titio ad illud ex stipendio celebrandum obligato; Titius enim stipendium retineret titulo oneris sacrum faciendi vel alii committendi (Castropalao, tom. III, tr. 16, d. 3, punct. 11, n. 8; Ramière, «*Comp. Instit. Soc. Iesu*», n. 5); nec si donatori promittat sacrum celebrare sub condicione, quod stipendium tradat consanguineo; non enim dominus pecuniae stipendium consanguineo tuo tradit nomine tuo, sed ut adimpleat ipse promissionem tibi factam, sicut dare poterat ob tuam intercessionem (Castropalao, ibid., n. 7; contrarium tamen sensisse videtur Sánchez, nam loc. cit. addit condicionem « dummodo religiosus non paciscatur, ut stipendium aliis detur », hancque tacite approbare videtur Lugo eam referens ap. *Resp. mor.*, l. 4, dub. 31, n. 8 sub finem). At certe contra votum esset, a testamenti exsecutore missas accipere concedendo illi pecunias sibi retinere aut condicione apposita ut eas tertio tribuat; nullum enim alium titulum haberet exsecutor aut tertius ad stipendia accipienda nisi dominium a religioso acquisitum et ab eodem ipsis cessum, quod quidem est contra paupertatem; immo pecuniae essent ex iustitia religioni restituendae, utpote quae illi per religiosum iam fuerant acquisitae.

[1] Blat, « *Comment. text.* », n. 654.

5° *De renuntiatione ante professionem sollemnem.* Agi- **443**
tur de renuntiatione omnium bonorum quoad dominium etiam directum seu radicale, de qua can. 581. Atque imprimis animadvertendum est huiusmodi renutiationem prohibitam esse in *Congregationibus* religiosis, siquidem ex can. 583, « Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet (sed, si contrarium fieret, validum esset, cf. can. 11) per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso (non prohibetur igitur titulo oneroso, sed cum licentia superioris, ne peccetur contra votum) abdicare ». E contra in *Ordinibus* huiusmodi renuntiatio praecipitur, sic enim praedictus can. 581: « § 1. Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub condicione secuturae professionis, renuntiare. — § 2. Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renutiatio etiam iure civili effectum consequatur ». De hac renuntiatione, quae tantum in Ordinibus facienda est, nunc aliqua speciatim dicemus.

« Antea nequit valide ». Non agitur de abdicatione aliqua absoluta; valide enim sua bona sive omnia sive quamlibet eorum partem professus votorum simplicium quovis tempore donaret (etsi illicite absque licentia Praelati); sed de renuntiatione « sub condicione secuturae professionis », quae proinde vim habitura non est ex nunc. Haec condicionalis renuntiatio, si ante tempus a Iure praefinitum et ad normam can. 34 computandum redigeretur, nullius esset valoris[1], et professione secuta de bonis disponendum esset, quasi nulla huiusmodi renuntiatio facta fuisset, id est bona adscribenda essent Ordini vel S. Sedi, iuxta can. 582.

« Intra sexaginta dies », ita ut renuntiatio non possit valide uno tantum die anticipari.

«Omnibus bonis, quae actu habet ». Bona enim ad renuntiationem faciendam distingui possunt: 1° Bona, quae *actu* possidentur, et haec renuntianda sunt. — 2° Bona *eventualia*, ad quae scilicet pro nunc nullum ius habetur, et de his nulla facienda est renuntiatio, immo nec valide renuntiari possunt, cum nulla exsistat materia renuntiationis[2]. Sed si facta sol-

---

1 Invaliditate afficitur tantum renuntiatio, si a professis fit votorum simplicium in *Ordinibus*, non si a professis *Congregationis* religiosae; nulla enim invaliditatis poena eis imponitur in can. 583. Cf. etiam LARRAONA, in Ephem. « *Comment. pro Rel.* », anno II, pag. 72 nota.

2 Ut late probat LUGO, « Resp. mor. », l. 4, dub. 4 et 5; cf. etiam CIRAVEGNA, « *De Soc. Iesu paup.* », n. 101.

Ratio, quia renuntiari nequit quod non possidetur nec habe-

lemni professione huiusmodi bona superveniant, v. gr. donatio, legatum, hereditas ab intestato, cedunt Ordini vel Sanctae Sedi iuxta can. 582, de quo postea[1]. — 3° Iura absoluta ad quaedam bona, v. gr. ius pensionis vitalitiae, census irredimibilis etc.[2]. De his quidem iuribus, utpote de bonis actu habitis (de quibus nuper in 1°), renuntiari debet. — 4° Iura iam nunc quidem inchoata, quae tamen effectum sortiri non poterunt nisi hypothetice, v. gr. ius ad legitimam paternam aliamve hereditatem titulo heredis necessarii. Putamus haec iura iam actu aliquid esse, ideoque materiam esse renuntiationis[3]. Advertimus tamen saepe renuntiationem legitimae irritam esse a lege civili, eamque irritationem valere in conscientia (n. 226 nota); cf. etiam can. 1529.

Atque haec quidem renuntiatio debet esse absoluta, id est invalide fieret cum apposita condicione « si perseveravero ». Et quoniam debuit fieri de « omnibus bonis », nihil sibi reservare licet nec in se nec in aequivalenti, cuiusmodi esset si professus condicionem apponeret, ut aliquid *sibi* daretur post professionem v. gr. die primitiarum sacerdotalium, vel si

---

tur formaliter nec virtualiter nec unquam habebitur propter futuram incapacitatem subiecti. Sentit tamen VERMEERSCH, «*De Relig.*», I, n. 202 id non esse plane exploratum, idque forte confirmari posset his verbis rescripti S. C. EE. et RR. 16 sept. 1885: « Si agatur de renuntiatione eorum, quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc Sacram Congr. ».

1 Iuxta RAMIÈRE, « *Comp. Instit. Soc. Iesu* » si religiosus in instrumento renuntiationis abdicaret simpliciter legatum, quod scit sibi inscriptum in instrumento amici absentis, legatum iam non religioni obveniret. — Cur ita, cum abdicatio ob defectum materiae sit nulla? Ratio est, ait LUGO, « Resp. mor. », l. 4, dub. 4, n. 7, quia illa abdicatio aliud non est nisi se obligare ad non acceptandum legatum, si quando relictum fuerit; conventus autem sicut succedit in omnia iura professi, ita in omnia debita et obligationes. Sed, ut vides, haec quidem valere poterant in antiquo Iure, in quo professus fictione Iuris censebatur mortuus et per conventum quoad hereditatis iura et obligationes repraesentatus. Nihil iam horum valet in Iure hodierno, quod huiusmodi fictionem non agnoscit, et simpliciter conventui aut S. Sedi ius dat acceptandi bona advenientia nomine professi adhuc viventis, obligationes vero huiusmodi illi non transfert.

2 Nam si redimibilis, nulla est difficultas, potest enim iam nunc de eius capitali disponi.

3 Prouti id admittit (etsi aegre) LUGO, « Resp. mor. », l. 4, dub. 5, n. 9 et dub. 4, n. 4, idemque tenent VERMEERSCH, «*De relig.*», I, n. 202 et LARRAONA, in Ephem. cit. anno I, pag. 79, idemque supposuit rescript. S. C. EE. et RR. 16 sept. 1885.

An autem haec iura censenda sint comprehensa verbis can. 581 ideoque ex obligatione sint renuntianda, non est omnino clarum; sane contra LARRAONA, l. c., pag. 79 censemus illa non comprehendi, nemo enim huiusmodi iura computare solet inter « bona, quae actu habet ». Attamen, ut bene ait VERM. CREUS., n. 587, horum renuntiatio non prohibetur.

reservaret sibi dispositionem de reditibus quibusdam. Nihil tamen obstat quominus renuntiationem faciat impositis quibusdam oneribus[1], etiam sub condicione quod bona tertio adiudicentur, si onera non impleantur: id enim nihil aliud esset nisi ius quoddam iam nunc tertio cedere; nihil tamen amplius disponere poterit, etsi dein omnia huiusmodi onera per iniuriam praetermittantur.

« Cui maluerit » professus renuntiare potest, quin eam libertatem quisquam coarctare possit, quam Codex ei concedit.

« Sub condicione secuturae professionis », saltem tacita.

« Secuta professione, ea omnia statim fiant etc. »[2]. Nihil ergo religioso sollemni emissa professione conceditur nisi ut eos actus ponat, qui necessarii sunt, ut proprietas et iura legaliter transmitti possint in eos, in quorum favorem renuntiaverat.

Si renuntiatio bonorum, quavis de causa, facta non fuerit ante professionem sollemnem, professi bona iuxta mox dicenda adveniunt Ordini vel S. Sedi[3].

b) **Votum sollemne paupertatis,** praeterquam quod **444**
easdem obligationes includit, quas votum simplex, id quoque efficit, ut secluso apostolico indulto[4] professus sit personaliter[5] incapax conservandi et acquirendi bona temporaria, omnesque eius actus voto contrarii sint *invalidi*. Sin autem actus ponat de licentia superioris, contra votum quidem iam non sunt ideoque sunt liciti; validi quoque, non tamen ex capacitate valide agendi, quam professus personaliter non

---

1 V. gr. si fundationem Missarum instituat pro sua anima persolvendarum.

2 Si lex civilis statim post professionem ob minorennitatem nondum admittit renuntiationem bonorum, exspectanda erit maiorennitas, ut haec, quae ante professionem iam facta fuerat in forma valida pro foro externo canonico, quamprimum deinde fiat (quin ullo modo mutari possit) in forma civiliter valida, iuxta praescriptum eiusdem can. 581, § 2. LARRAONA, Ephem. cit. anno I, pag. 372.

De actibus dominii ex natura rei vel ex lege civili necessariis occasione hereditatis vel alius tituli cf. FERRERES, in Ephem. « *Razón y Fe* », vol. 64, pag. 97 - 104.

3 VERM. CREUS., n. 587; PRÜMMER, q. 217.

4 In quibusdam enim regionibus, in quibus leges civiles personalitatem iuridicam Ordinibus religiosis non tribuunt ideoque ipsis ius in communi possidendi non agnoscunt, S. Sedes concessit, ut regulares singuli proprio nomine, salvo etiam voto sollemni, verum bonorum dominium habere possent. Cf. GÉN. S., n. 91; FERR., « *Las religiosas* », n. 15.

5 Personaliter, inquam, non enim sollemniter professi impediuntur bona possidere in communi, nisi huius iuris ipse quoque Ordo incapax effectus sit, ut accidit v. gr. in Ordine Capuccinorum.

habet, sed quia tunc censetur potius agere nomine monasterii aut alius personae moralis valide agendi capacis, a qua tandem facultas sic agendi illi derivatur. Circa haec can. 579: « Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnis, si sint irritabiles, etiam invalidos ».

Cuinam res acquirantur, quae religioso post vota sollemnia titulo quovis donationis, legati, hereditatis, salarii, praemii etc. adveniant, clare statuit can. 582: « Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari: 1° In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones; 2° In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem ».

445 *c*) **Materia gravis contra votum.** Ad materiam gravem *in peccatis contra votum simul et iustitiam* eadem quantitas assignari potest ac in furto. Adverte tamen: 1° monasterium mediocriter dives aequiparari posse domino diviti; 2° ad materiam gravem maiorem quantitatem requiri in religioso, si rem conventus surripiat sibi vel alii eiusdem domus, quam in extraneo; nam cum res in religiosorum usum possideantur, minus invitus censetur superior (ac proinde aliter dicendum, si regula aliud declarat cum maiore severitate, sed tamen adhuc requireretur eadem saltem quantitas, quae in extraneo); 3° furta minuta posse coalescere; quandonam autem coalescant, vide in n. 244, ubi etiam advertimus in consumptione esculentorum difficulter perveniri posse ad mortale. — *In peccatis contra solum votum* (quae occurrere possunt in ligatis voto simplici) probabiliter sufficit attendere ad materiam absolute gravem. Bene notat Gén. S., n. 98 trasgressiones leves solius voti non coalescere in peccatum grave, sicut nec coalescunt peccata levia contra castitatem vel temperantiam, nisi transgressiones voti fiant cum animo perveniendi ad summam totalem gravem, de qua absque licentia disponatur; tunc enim actus illi graves evadunt propter obiectum totale quod respiciunt (n. 60).

446 *d*) **Contra votum paupertatis est:**

1° *Dare*, *accipere*, *consumere vel alienare* rem aliquam pretio aestimabilem eiusve usum sine superioris licentia. Circa quod tamen advertendum est:

a) Licentia t a c i t a certe sufficit, est enim licentia vere data (n. 11); v. gr. si datur tibi facultas ad iter agendum, eo ipso permittit superior ut aliquid famulis inservientibus largia-

ris iuxta mores aliorum tuae condicionis, vult enim ut consuetudines serves urbanitatis; licentiam quoque dat accipiendi in itinere, quae prudenter et cum decentia religiosa recipi possunt [1].

b) Sufficere licentiam praesumptam, facilius admitti potest, quando superior non potest facile adiri et causa urget dandi vel accipiendi et subditus prudenter iudicat superiorem non aegre ferre in his adiunctis, quod res detur vel accipiatur, praesertim si res cedit in utilitatem communitatis [2]; debet tamen res deinde manifestari, ut liceat retineri [3]. Quando vero superior potest facile adiri, difficile licentia praesumi potest; superiores enim nisi consentire velint ut observantia paupertatis cito enervetur, inviti esse debent, quod religiosi ipsos non adeant ad facultatem petendam, cum possint (nisi iam consuetudo ferat ut eos non adeant in rebus minimis et crebro occurrentibus). Nihilominus etiam cum superior adiri potest, si religiosus daret vel acciperet sine licentia eo quod prudenter iudicat superiorem consensurum fore, si adiretur, excusatur saltem a mortali iuxta multos, quorum sententiam probabiliorem iudicat S. Alph. [4], nam non agit nomine proprio, aiunt, sed cum dependentia superioris, qui agit ex eius consensu prudenter interpretato. Si tamen superior intelligeretur in casu non esse invitus tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, scilicet, non tantum displicere sibi quod facultas non petatur, sed etiam vere nolle ut res detur vel habeatur a subdito, si praevie non petatur, patet tunc non sufficere praesumptionem quod licentiam daturus esset si adiretur [5].

c) Qui rem accepit a religioso, qui non poterat eam valide dare, tenetur eam restituere iuxta regulas possessoris bonae, malae vel dubiae fidei. Loco autem accipientis tenetur religiosus, vel de suis bonis restituendo, si de aliquibus disponere potest, vel labores augendo aut substrahendo de expensis, quas secus in proprium commodum posset facere ex bonis monasterii; potest etiam condonatio impetrari a superiore [6].

d) Facultas facta alicui ad aliquid dandum quibuslibet, est eo ipso facultas tacite facta aliis eiusdem superioris subditis ad accipiendum.

---

1 Suárez, *De Relig.*, l. 8, c. 11, n. 7.

2 S. Alph., l. 4, n. 18. Non laedi sic agendo paupertatem, inde patet, quia religiosus tunc agit dependenter a superioris voluntate, ac proinde non ut proprietarius.

3 S. Alph., ibid.; Lugo, *De Iust.*, d. 3, n. 128.

4 S. Alph., l. 4, n. 18.

5 Lugo, *De Iust.*, d. 3, n. 123 - 127; Ciravegna, *De paup. Soc. Iesu*, n. 170, 171; Gén. S., n. 94.

6 Lugo, loc. cit., n. 168.

e) Si superior dat tibi imagunculas aut rosaria, quibus scit te non indigere, eo ipso dat tacitam facultatem distribuendi; an etiam inter confratres, pendet a superioris intentione, quae ex adiunctis saepe colligi poterit.

f) Facultates a superiore obtentae perseverant generaliter eo mortuo vel mutato, nisi aliud constet[1].

g) Si superior licentiam dat aliquid accipiendi ab amicis, ordinarie non censetur concedere ut rei dominium acquiratur religioso etsi aliunde dominii capaci, sed ut, iuxta religionis praxim, acquiratur monasterio. Nec aliter censentur a donatore tradi; ordinarie enim is intendit dare rem eo modo quo licite possit a religioso accipi, licite autem non accipitur, nisi iuxta terminos licentiae obtentae[2].

2° *Dare vel accipere mutuo vel commodato*, sunt enim actus proprietarii. Attamen non videtur grave, si habetur certitudo rei recuperandae et grave nocumentum communitati non inferatur; multo minus, si id fit erga alios eiusdem monasterii[3].

3° *Rem monasterii clam sibi sumere*. Librum tamen sibi sumere et retinere generatim est leve, etsi sumatur ad usum diuturnum, non tamen perpetuum, nec ita occultetur ut a superiore inveniri non possit. Grave tamen esse poterit contra iustitiam vel caritatem, si inde alii grave nocumentum patiantur[4], ut patet ex dictis n. 241.

447 4° *Manuscripta* (alicuius aestimationis), etsi a se exarata, dare vel quocumque titulo alienare[5], sunt enim proprietas monasterii, multo magis si esset labor, cui religiosus addicebatur[6]. Attamen quando manuscripta non alienantur nec fuerunt ex officio a religione commisso composita, nec specialem valorem induunt, paupertatis laesio non est, quoad proprios usus circa ea se gerere quasi dominum, v. gr. ea asportare de domo in domum, iste est enim mos receptus[7].

5° *Impendere in alios usus* res ad certum usum concessas, v. gr. pecuniam datam ad procurandum amanuensem impendere in eleemosynas. Potest tamen finis tam parum ab alio distare, ut parum censeatur superior de tam levi mutatione curare, ut si petiisti licentiam ad emendas imagines et postea

---

1 Ciravegna, op. cit., n. 177.
2 Lugo, loc. cit., n. 87.
3 Lugo, loc. cit., n. 157.
4 Lugo, ibid., n. 154.
5 S. C. de Relig. 11 iul. 1913.
6 Ciravegna, op. cit., n. 117.
7 Lugo, loc. cit., n. 230; cf. etiam Prümmer, « *Man. Iur. Can.* », q. 223.

emas rosaria, vel si ad comestibilia et emas vestem, vel si subditus est talis, de quo superior non curat in quos usus expendat[1]. Nec potest allegari titulus parsimoniae, v. gr. ad distribuendum pauperibus quae parcius vivendo seponuntur, nisi consuetudo id ferat aut licentia tacita colligi possit, v. gr. si certa summa detur ad vivendum, quam nec monasterium augeat nec in quales usus expendatur curet.

6° *Occultare* rem ita, ut nequeat mediocri diligentia detegi, eoque animo, ut a superiore non auferatur; etsi enim res cum licentia habeatur, id tamen implicat voluntatem eam retinendi absque consensu[2].

7° *Recusare* oblata: 448

a) ad quae vel ipse religiosus vel monasterium ius strictum iam habet, v. gr. mercedem labori religiosi debitam, stipendia debita pro ministeriis[3], dona a superiore acceptata etc.; quae recusare est contra votum. Recusare hereditatem vel legatum laesio gravis est voti paupertatis in religioso votorum simplicium, habet enim acquisitum ius ad rem, et sicut non potest actum acceptandi illius iuris ponere sine venia superioris, ita nec potest renuntiationem ponere sine eiusdem facultate; in sollemniter autem professo id esset praeterea contra iustitiam, siquidem ad monasterium pertinet hereditas illa vel legatum.

b) Recusare autem ea, ad quae religio strictum ius non habet, non est contra votum paupertatis, v. gr. si religiosus recuset donationem gratuitam sibi oblatam. Potest tamen peccatum esse contra caritatem, praesertim si monasterium inopia laboret atque indigeat re oblata, nam contra caritatem est sine ratione bonum avertere ab alio, cui advenire potest[4]. Sed nec contra caritatem est, si volentem aliquid donare roget religiosus, ut donet consanguineo aut alii tertio, qui forte magis indiget; religiosus enim nihil donat nec ullum ius transmittit, quia nec expresse nec tacite donum acceptare voluit[5].

---

1 Lugo, loc. cit., n. 158.

2 Suárez, *De Rel.*, l. 8 c. 12, n. 4 seqq.; Lugo, n. 156.

3 Attamen in Societate Iesu stipendia pro ministeriis recusari debent, immo religiosus ea acceptans peccare videtur contra votum paupertatis (cf. Lugonem, *Resp. mor.*, l. 4, d. 30, n. 5; Ciravegna, op. cit., n. 122); nullo enim pacto consensum religionis praesumere potest, quoniam Societas huiusmodi stipendia ita recusat, ut in hac re ne Generalis quidem dispensare possit. Praescindimus, ut par est, a dispensatione pontificia nunc interim vigente in ea mensura, qua per Generalem, cui illa commissa est, communicatur.

4 Lugo, d. 3, s. 5; S. Alph., l. 4, n. 20; Verm., *De Relig.*, n. 258; Prümmer, q. 223.

5 Lugo, d. 3, n. 166.

c) Denique recusare ea, quae non tam religioso dantur quam religioni, v. gr. si illi dantur 100 aurei ad constructionem templi vel ad iuvandam ephemeridem, quae in sua domo editur, non erit quidem contra votum nec contra iustitiam, siquidem ante acceptatam donationem nullum adhuc ius religioni est quaesitum, erit tamen contra caritatem. Neque ad huiusmodi donationes acceptandas opus est praeviam licentiam petere, semper enim religio eas acceptare velle praesumitur, atque huius nomine, non nomine proprio easdem religiosus acceptare censetur.

449 8° *Peculium* habere quod a superiore revocari non possit, importat enim usum independentem [1]. Peculium autem dicitur summa pecuniae, quam religiosus habet penes se vel alium, « ut de ea libere disponere possit ad vitae necessaria vel utilia sibi comparanda ». Peculium autem habere a superioris voluntate dependens non esset quidem contra votum paupertatis [2], est tamen prohibitum Iure novo, quod in can. 594 praecipit ut « in quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad victum, ad vestitum et ad supellectilem pertinent », atque ut quidquid a religiosis acquiratur, « bonis domus, provinciae vel religionis admisceatur », proindeque peculia licite retineri non poterunt nisi in religionibus, in quibus consuetudo viget centenaria, quam Ordinarius vel in religione exempta superior maior prudenter existimet submoveri non posse, ut ait can. 5 [3]. Profecto confundendum non est peculium cum deposito a superiore concesso, non ad procuranda sibi quae ad vitam communem pertinent, sed in certum aliquod opus impendendo.

9° *Negligenter uti rebus concessis*, ita ut illae, v. gr. vestis, libri etc. ob culpam latam citius consumantur, quam par esset; cum enim religiosus eorum dominus non sit, eam saltem diligentiam adhibere debet, quam homines communiter solent. Haec quidem de rebus, ob quarum consumptionem conventus detrimentum sentit, quia eas suis sumptibus procurat. Nam in aliis, in quibus detrimentum non sentit, v. gr. si vestem vel comestibilia aliqua accepisti ab amico, non facile pervenitur ad peccatum grave [4].

---

1 VERM., *De Relig.*, n. 279.

2 S. ALPH., l. 4, n. 15.

In Societate Iesu esset profecto contra votum, quoniam ex suo Instituto (Congr. 12, d. 43, C. 16, d. 27, C. 20, d. 7) superioribus ablata est facultas peculium concedendi.

3 GÉN. S., n. 97; PRÜMMER, q. 223.

4 LUGO, d. 3, n. 169.

c) **Contra votum paupertatis non est:** **450**

1° *Acceptare sub condicione* licentiae obtinendae, actus enim suspenditur.

2° *Eleemosynas accipere* certis pauperibus vel piis operibus tradendas a donatore designatis, tunc enim es merum instrumentum donatoris. Atque ex hac ratione colligitur non esse contra votum, etsi ab illo non determinentur pauperes vel opera pia, sed tuo arbitrio determinanda relinquantur; etsi enim contra obedientiam forte sit, non tamen est contra votum paupertatis pecuniam, in quam nullum habeas ius, aliis, etsi indeterminatis, distribuere nomine alterius. At contra votum esset, si amicus summam in eleemosynas distribuendam tibi tradidisset, non quasi tuum fidelioris administratoris ministerium quaerens, ut mere ipsius nomine distributionem faceres, sed quasi in tuum commodum, ut inde auctoritatem aut aliquam commoditatem propriam reportare posses[1].

3° *Administrationem gerere* bonorum alienorum, quia nullum dicit ius in bona, cum administratio fiat nomine alterius, nec aliud importat nisi potestatem aliis iubendi. Aliter dicendum esset, si inde religiosus reportaret ius aliquod, ut fieri solet, utendi bonis in proprium commodum, ad vitae sustentationem, ad compensandos labores etc.[2].

4° *Accipere in depositum*, non est enim actus dominii, quamvis illud, sicut alia quae ex se paupertatis voto non adversantur, soleat in religionum constitutionibus prohiberi. Grave tamen peccatum iniustitiae committeretur, si ob incuriam in deposito servando religio gravi damno exponeretur.

5° *Comedere aut bibere apud extraneos*, in his enim religiosus non tam usum activum quam passivum habet, nec tam ille quam dominus re uti censetur ut sua, qui hoc modo vult id, quod suum est, destruere[3].

6° *Damnificare* in rebus, quae usus proprii non sunt nec **451**
ad monasterium pertinent, ita ut damnificatio actum dominii non importet, sed mere animum inferendi damnum, v. gr. venenum apponere cani ex odio domini[4].

---

1 Suárez, *De Relig.*, tr. 7. l. 8, c. 15, n. 14 seqq.; Lugo, d. 2, n. 52-54; Ferr., n. 212; Prümmer, q. 224.

2 Suárez, op. cit., l. 8, c. 5, n. 28 seqq.; Lugo, n. 155; Ciravegna, op. cit., n. 186.

3 Lugo, d. 2, n. 51.

4 Gén. S., n. 93, 1°.

7° *Aliquid alicui conficere* ex materia ab eo porrecta (secus disponeretur sine facultate de rebus monasterii), v. gr. picturam facere pro amico saeculari, dummodo ex primaria intentione fiat ad illius petitionem; sic enim religiosus mere suum laborem exhibet, quin ius in rem acquirat; eodem modo posset altero dictante suam operam praestare ad librum exscribendum. Aliud vero esset picturam conficere ex intentione eam dandi, opus enim a religioso confectum acquiritur religioni [1].

8° *Habere superflua*, vel facere expensas in usus vanos et superfluos cum facultate superioris. Nam etiamsi peccet superior licentiam dando tam efficacem ad observantiam relaxandam, et peccet subditus ea utendo propter cooperationem et scandalum, tamen, cum licentia probabiliter detur valide, votum proprie non violatur [2]. Attamen, Lugo [3] exceptionem fieri vult pro religionibus, in quibus paupertatis votum observetur cum rigore (atque ex eius declaratione apparet esse eiusmodi omnes fere religiones exsistentes hodie); in iis enim votum paupertatis censetur fieri non solum de non utendis rebus absque licentia, sed etiam de conservando statu pauperis, ac proinde sumptus superfluos esse contrarios voto. Bene advertit Gén. S. [4], haec omnia intelligenda esse de rebus vel sumptibus superfluis cum notabili excessu, secus enim multis scrupulis via panderetur.

9° *Actus interni* seu delectationes morosae de cogitata possessione divitiarum, votum enim fit de iis reapse non possidendis, non autem de possessione non imaginanda, nec aliunde illa imaginatio est de re intrinsece mala. Peccatum vero esset contra votum desiderium efficax, quia ferretur absolute in rem voto prohibitam [5].

Art. 8. De voto castitatis.

452 Castitas ita consuevit in religionibus voveri, ut intelligatur non solum actus externos comprehendere, sed etiam internos [6], atque huic consuetudini se implicite conformant qui votorum professionem emittunt. Religiosus ergo contra castitatem peccans sive externe sive mere interne non solum

---

1 Lugo, d. 3, n. 149.

2 Suárez, op. cit., l. 8, c. 12, n. 10-13; Ciravegna, op. cit. n. 187; Ramiére, *Inst. Soc. Iesu*, n. 81.

3 Lugo, d. 3, n. 131 seqq..

4 Gén. S., n. 95.

5 Suárez, op. cit., l. 8, c. 10, n. 3; Prümmer, q. 222.

6 Bus., ap. S. Alph., l. 4, n. 37; S. Alph., l. 3, n. 457 sub fin.; Suárez, *De Relig.*, l. 9, c. 2, n. 2; Ball. P., tr. 9, n. 18, 25; Ferr., n. 220; Lehmk., n. 687; Gén. S., n. 99; Prümmer, q. 226; Verm., *De Relig.*, n. 283.

hanc virtutem laedit, sed etiam votum, ideoque committit sacrilegium, simplex quidem si peccatum est mere internum, duplex vero si externum in proprio corpore; etenim tunc et promissionem Deo factam et corpus Deo consecratum violat (n. 58).

Ceterum materia gravis contra votum eadem est, quae gravis est contra VI aut IX Decalogi praeceptum.

Votum simplex castitatis non solvit matrimonium ratum tantum nec dirimit contrahendum[1], prohibet tamen illud contrahere aut illo contracto uti, ideoque neutrum fieri posset absque sacrilegio seu violatione voti, etsi castitatis virtus tunc non violaretur.

Votum sollemne et matrimonium nondum consummatum solvit et dirimit contrahendum.

Ad custodiam voti castitatis praecipitur clausura, de qua mox seorsim agendum erit.

Art. 9. De voto obedientiae.

Materia voti obedientiae est religionis regula[2], quin **453** tamen vi voti maior obligatio exsurgat quam ipsa regula voluit imponere. Sub levi igitur regulam observare tenetur religiosus, si regula de se levem obligationem imponit; quod si regula noluit ex se suae observantiae obligationem urgere sub peccato, sed tantum transgressores subiicere alicui poenae, vi voti obligatio tantum erit non recusandae poenae, quae ob transgressionem imponatur.

Vi voti obligatio est obediendi superiori[3] praecipienti *iuxta regulas*. Sed non censetur stricte praecipere vi voti, nisi id faciat modo, quo pro tali casu soleat apud religionem fieri, et quidem sub gravi vel sub levi, prout in eadem intelligi consueverit. Sic in plerisque religionibus superior aiens « iubeo », vel « praecipio », nondum censetur obligare velle vi voti sub peccato gravi, sed sub levi tantum; sub gravi vero (in materia gravi), si dicat se praecipere « in virtute sanctae obedientiae », vel « in nomine Domini Iesu Christi », vel « sub poena excommunicationis » aliisve verbis adeo gravibus.

---

1 Vota simplicia religiosorum Societatis Iesu matrimonium subsequens dirimunt ex privilegio Sanctae Sedis.

2 Cf. S. Thom., 2. 2, q. 104, a. 5, ad 3.

3 Superiores, quibus obediendum est vi voti, sunt: Summus Pontifex, superiores religiosi, etiam superiorissa Congregationis non exemptae, (non vero, saltem ordinarie, monasterii officiales), et pro religionibus dioecesanis Episcopus; nam religiosos iuris pontificii Episcopus obligare quidem potest in quibusdam casibus vi iurisdictionis, non vero vi voti (Prümmer, q. 231; Verm., *De Rel.*, n. 290).

Obedientia vovetur *iuxta regulas* et constitutiones, ideoque vi voti praecipere tantum potest superior *iuxta eas*, non vera *a*) *contra regulam*, v. gr. assumere officium administrandi bona alicuius saecularis, vel sacerdotem assumere stabiliter officium proprium fratrum laicorum; vel *b*) *supra regulam*, quale esset praecipere actus heroicos vel difficiliores, quam qui a regula imponuntur, v. gr. curam leprosorum vel ieiunia a regulis non praecepta; potest tamen praecipere curam infirmorum domesticorum, etiam peste laborantium, ieiunia quoque ob aliquam exsurgentem necessitatem vel in poenam delicto proportionatam [1]; vel *c*) *infra regulam*, id est res prorsus vanas et inutiles, v. gr. arbores plantare inversas [2], a fortiori si impossibiles, v. gr. incedere super aquas. In illicitis autem non posse obediri manifestum est [3].

454 Non solum autem potest superior praecipere, quae explicite continentur in regulis, sed etiam quae *implicite*, cuiusmodi est poenam subire, quae pro transgressione imponatur [4]. Potest quoque praescribere, quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda atque ad huius rectam administrationem; religiosus enim, cum per professionem se tradidit religioni sub onere, ut ab ea sustentetur, instruatur, educetur, ipso

---

1 Poenam proportionatam, inquam, nam si evidenter excedit culpae merita vel necessitatem praecavendi in futurum aut reparandi scandalum, quoad excessum esset inutilis ideoque sub obedientiae materia non caderet. Si tamen excessus non est evidens, praesumptio stat pro superiore.

2 Loquimur de iis, ad quae religiosus tenetur ex obligatione voto suo assumpta, non de iis, in quibus omnino laudabiliter obedientiam suam exercebit, ut proterviam voluntatis discat frangere vel ut habitum contrahat, quo se melius praeparet ad obediendum in difficilioribus. Ideo S. Thomas, 2. 2, q. 104, a. 5, ad 3, distinguit obedientiam *sufficientem ad salutem*, quae obedit in obligatoriis, *perfectam*, quae in omnibus licitis, *indiscretam*, quae etiam in illicitis.

3 Quaeri posset, an in religionibus Societatis Iesu et Sancti Francisci possint superiores praecipere quaecumque licita; videntur enim praecipere semper iuxta regulas, quoniam constitutiones generalissimam obedientiam imponunt, nempe, circa « omnia, in quibus manifeste peccatum non cernitur ». Respondet Verm., *De Relig.*, I, n. 292: « Etsi verba tam gravia quid plus sonare videntur, nihilominus, ut plerique volunt, intelligenda sunt *intra fines Instituti* et *regularum*, ita ut de reliquis mere detur *consilium* obtemperandi. Ita Suárez, *De Relig.*, tr. 10, l. 4, c. 12; Sánchez, *In Decal.*, c. 2, n. 16; Ball. P. tr. 9, c. 1. n. 176. Sunt tamen qui strictius huiusmodi interpretantur constitutionem: ita Lessius, *De Iust.*, l. 2, c. 41, n. 77; Piat, *Prael. Iur. reg.*, I, p. 293.

4 Obligatio subeundae poenae non inde repetenda est, quod eius impositio necessaria sit ne regula in desuetudinem cadat; sic enim poenae acceptatio non esset materia voti, nam religiosus vovit observare, non conservare regulam (Suárez, *De Relig.*, tr. 8, l. 1, c. 2, n. 7).

facto promisit se pariturum in iis, quae in religione sunt in usu, maxime quae ad finem ipsius religionis necessaria sunt, aut quae valde expedit, ut sint in usu; quidquid autem vi potestatis per huiusmodi traditionem acquisitae praecipiat superior, materia est etiam voti obedientiae [1].

Manet obligatio obediendi, quamvis tantum sit probabile rem praeceptam esse licitam [2], siquidem tunc obediri potest absque peccato. Manet quoque quando dubitatur, an

---

1 SUÁREZ, op. cit., l. 10, c. 8, n. 1.

His non obstantibus, quae praecedunt, dubitari adhuc poterit in multis casibus, an ius vere competat superiori ad stricte praecipiendum. Ad ampliorem igitur materiae declarationem ponimus sequentes casus: 1° Non tenetur subditus obedire Praelato praecipienti revelare secretum commissum nisi in casibus, in quibus de se obligatio cessat illud servandi, ut si damnum evenit religioni aut alii (S. ALPH., l. 4, n. 49). Si superiori reprehendenti dicat subditus se sic egisse post consultum quemdam Patrem, et ille iubeat declarare quisnam consilium dederit, declarari non debet (n. 353 nota), nisi v. gr. consultus appareat tenere doctrinam Ordini graviter nocivam. — 2° Nec tenetur parere superiori iubenti delictum manifestare inutiliter, v. gr. quisnam felem veneno occiderit, dummodo agatur de facto singulari nec similis audaciae repetitio timeatur. Plerumque tamen superiori praecipienti manifestationem delinquentium parendum est, plerumque enim declaratio licite potest fieri (n. 91 nota). — 3° Nec praecipienti manifestare, quisnam librum clam retineat, si is qui retinet nondum tempus clam reddendi habuit; exspectari enim debet aliquantum, ut locus detur ultroneae restitutioni, vel, quoad fieri possit, frater adiuvandus est, ne se prodere teneatur; excipe, si agatur de homine consuetudinario, aliud enim bonum commune forte exposceret. — 4° Nec praecipienti subire operationem chirurgicam, si haec Ordini sit inutilis (etsi obligatio forte adsit ex 5° praecepto, ab hoc enim nunc praescindimus), vel si periculosa sit aut nimis dolorosa, non enim religiosus Ordini se obligavit cum tanto onere. Idem dic si quis operationem vehementer horret ob pudoris sensum vel ob invincibilem horrorem sanguinis aut aliam quamlibet repugnantiam insuperabilem. Obligatio vero obtemperandi exsurget, si operatio periculosa non sit nec nimis dolorosa, et aliunde Ordini oporteat, v. gr. ut religiosus fungi possit suo officio. — 5° Tenetur vero parere superiori praecipienti renuntiationem filiationis propriae patriae et inscriptionem filii adoptivi in natione extera, dummodo id notabiliter conferat ad bonum Ordinis (de quo iudicare ad superiorem imprimis pertinet), v. gr. ut religiosus ibi fungi possit hoc vel illo officio. Dummodo, inquam, *notabiliter* conferat; nam etsi non agatur de actu heroico (nisi saecularium tam multos, qui id propter temporales utilitates faciunt, dicere velis heroes), tamen non videtur exigi posse cum *levi* motivo actus, qui attenta *communi* hominum condicione reputetur de se sat difficilis; nec videtur obligari posse religiosus, si superior rem vitare posset commode, v. gr. si facile posset officium assignare alii, cui filiationis mutatio non esset necessaria aut non repugnaret.

2 Plerumque dubium de licitudine rei praeceptae deponi potest ob prudentiam, scientiam aut probitatem superioris.

in illa re possit iure superior praecipere: pro eo enim stat praesumptio [1].

Non solum committitur peccatum grave per transgressionem praecepti impositi in virtute sanctae obedientiae, sed etiam alias, quamvis superior hoc modo non praecipiat, peccari potest graviter, si graviter contemnatur eius auctoritas, v. gr. si subditus ei dicat « non obediam » aut « nolo facere » [2]; immo grave etiam esse potest id dicere subpriori vel ministro [3]: quamvis enim votum non obliget nisi ad parendum superiori totius domus, tamen illa verba gravem contemptum auctoritatis continent in eum, qui quodammodo personam moralem gerit illius superioris et vere ipse superior est.

455 Practice nulla videtur specialis inhabilitas superaddi *voto sollemni obedientiae prae simplici*, cum in utroque casu possit obligatio quidem contrahi saltem naturalis [4], non tamen firmiter. Nam sollemniter professus contrahens sine superioris consensu obligationem naturalem contrahit valide, non tamen firmiter, quia haec a superiore irritari potest [5]; si vero contra eius voluntatem, actus est ab initio invalidus (can. 579). Simplex autem professus, quamvis per se valide semper, etiam contra superioris voluntatem, contrahat, etsi illicite (can. 579), tamen in neutro casu dici potest contrahere firmiter, quoniam obligatio, si adhuc revocabilis sit [6], irritari tandem potest a

---

1 S. Alph., l. 4, n. 47, et l. 1, n. 31; Lugo, *Resp. mor.*, l. 3, d. 9.

2 Plura dabunt circa haec Lugo, *Resp. mor.*, l. 4, d. 22, *De Poenit.*, d. 20, n. 48 - 55; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1774 al. 1674; Tamburini, l. 5, *De Poenit.*, c. 7, par. 3, n. 28 - 58.

3 Cf. Lugonem, *De Poenit.*, loc. cit., Tambur., loc. cit. Non est autem grave id dicere subministro, Tambur., loc. cit., n. 40 et 58; Ramière, *Inst. S. I.*, n. 149, 4°; neque, ut probabilius putamus, id dicere Regenti Convictus, quamvis contrarium censuisse quosdam peritos referat Tambur., loc. cit., n. 56 et grave quidem non esse affirmat Ramière, loc. cit., insinuans ita respondisse interrogatum P. Generalem S. I. anno 1647.

4 Obligatio naturalis illa dicitur, cui leges civiles nec resistunt nec assistunt, quia non concedunt actionem in foro externo, sed illam manere sinunt cum sua vi in foro conscientiae; e contra obligatio civilis dicitur illa, ad quam actio datur in foro externo. Cf. dicta n. 226 nota.

5 Lugo, *De Iust.*, d. 3, n. 222.

6 Si adhuc revocabilis sit; potest enim contractus ita iam esse consummatus, ut obligatio tolli non possit, v. gr. obligatio servandi secreta naturalia, promissa vel commissa, vel si simplex professus rem, de qua disponere poterat vendidit et tradidit. Sed ante actus consummationem posset obligatio irritari, v. gr. si religiosus promittat servare secretum circa rem quam alter nondum ipsi declaravit, vel si obligavit se ad vendendum et nondum vendidit.

superiore, qui sua potestate uti velit in voluntatem subditi [1]. Illi ergo soli discrimen practicum inter votum utrumque possunt agnoscere, qui cum Molina et aliis [2] incapacem dicunt sollemniter professum sese obligandi naturaliter, quorum sententiae probabilitatem tacite admittit Lugo [3].

Superior habet ius *aperiendi subditorum litteras*. Attamen « Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios superiores maiores, ad superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere », can. 611 [4].

De aperitione litterarum, quae inscriptum habent « res conscientiae », diximus n. 354 nota [5].

Art. 10. De clausura religiosa.

Clausura, alia in Codice dicitur papalis imponiturque **456** servanda viris regularibus et monialibus, id est religiosis votorum sollemnium sive viris sive feminis, et censuris munitur latae in transgressores sententiae [6]. Alia speciali nomine non donatur in Codice [7] et praescribitur Congregationibus religiosis quibuslibet utriusque sexus, nulla tamen in Codice protegitur censura latae sententiae.

a) **De clausura regularium seu papali.** Clausura papalis servanda est in omnibus « domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis » [8] (can. 597, § 1) proindeque excipiendae sunt domus regularium transitoriae atque ipsorum grangiae seu villae ad rusticandum,

---

1 Lehmk., n. 689; Verm., op. cit., n. 289; Gén. S., n. 103.

2 Quos sequitur Ferr., n. 226.

3 Lugo, loc. cit.

4 Cf. Verm. Creus., n. 599.

5 Cf. Verm., *Period.* V (54).

6 In monasteriis Statuum Foeder. Amer., Galliae, Belgii et Reip. Mexicanae, in quibus moniales vota sollemnia non emittunt, clausura servatur quidem ad normam papalis clausurae, papalis tamen proprie non est, propterea violatores non comprehenduntur censuris latis in Iure contra violatores clausurae papalis. Cf. dicta n. 433 nota.

7 A pluribus vocatur *episcopalis*, sive quia in Iure abolito praecipiebatur congregationibus sororum ab Episcopo, sive quia, etiam nunc, censura episcopali muniri potest.

8 Domus formata quaenam dicatur, cf. n. 423, 5°.

quoniam canonice erectae non sunt; erectio enim canonica domus exemptae requirit beneplacitum S. Sedis et consensum Ordinarii loci in scriptis.

Clausura comprehendit « totam domum, quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso praeter publicum templum cum continente sacrario etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet » (can. 597, § 2). Superioris maioris vel Capituli est, et pro monialibus Episcopi, clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare (can. 597, § 3). Partes clausurae patenter indicentur (ibid.).

Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis, vel alia opera religionis propria, can. 599 permittit ut clausura ita temperetur, ut tamen, si fieri possit, aliqua saltem pars aedis separata reservetur habitationi religiosorum et clausurae papali sit subiecta; sed etiam in loca, quae extra clausuram alumnis vel illiusmodi operibus destinentur, monet ne admittantur mulieres nisi aequa de causa et de superioris licentia. Haec clausurae temperatio religionibus virorum tantum conceditur.

Praeterea « clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externarum personarum » (Can. 602).

457 « *Intra regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres* cuiusvis aetatis, generis aut condicionis sub quovis praetextu » (can. 598, §1). Eximuntur tantum uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum (Regum vel Praesidum), cum comitatu (ibid. § 2).

« *Intra monialium clausuram nemo*, cuiusvis generis. condicionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia » (can. 600). Excipiuntur tamen in eodem can. 600, qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu et Cardinales; permittiturque etiam ingressus « cum debitis cautelis »[1]: — *a*) Visitatoribus. — *b*) « Confessario, vel qui eius vices gerit, ad ministranda Sacramenta infirmis aut ad assistendum morientibus ».

Confessarius, quia sine restrictione dicitur, interpretandus est sive ordinarius sive extraordinarius sive specialis, uno verbo, qui iurisdictione potitur ad excipiendas confessiones

---

1 Cautelae ordinarie adhibentur per comitatum duarum monialium provectae aetatis. Si infirmae confessio excipienda est, ianua cubiculi sit aperta, quantum sigillo sacramentali caveri possit, et comitatrices in eo loco adstent, unde confessarium videre, sed non confessionem audire possint.

monialium, item qui hac speciali iurisdictione carens, approbatus tamen pro utroque sexu, advocatur in gravi morbo, et in periculo mortis quivis sacerdos[1]. In defectu confessarii vel capellani potest quivis sacerdos, obtenta Episcopi licentia, ad quam eius nomine dandam superiorissa habitualiter designari poterit, sacram communionem deferre infirmis, quae ad ecclesiae crates descendere nequeunt[2]. — *c*) « Medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur ».

NB. — Sublatae sunt severiores pristini Iuris praescriptiones circa accessum ad collocutoria monialium, monet tamen Ius novum ut « omnes, quibus est clausurae custodia, sedulo advigilent ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur » (can. 605).

458 *b*) **De clausura in Congregationibus utriusque sexus.** Eadem clausura, quae pro utriusque sexus regularibus praescripta est, can. 604 servanda quoque praescribitur in omnibus Congregationibus religiosis utriusque sexus sive iuris pontificii sive dioecesani[3], cum his tantum differentiis:

1° Comprehendit eadem domus loca, quae supra pro regularibus; sed temperatio, quae, si domus adnexum habet convictum pro alumnis internis aliave propria religionis opera, solis regularibus viris ibi concedebatur; conceditur in iisdem adiunctis Congregationibus omnibus sive virorum sive mulierum, cum addita commendatione de non admittendis personis alterius sexus in locis extra clausuram sine superioris licentia.

2° Ab ingressu clausurae personae eiudem sexus non prohibentur, sed solae sexus alterius, iisdem, ac pro regularibus supra, factis exceptionibus. Insuper vero facultas datur superioribus (etiam localibus), ut admittere possint ex iustis et rationabilibus causis quos admittendos censuerint.

3° Nulla exsistit in Codice censura latae sententiae, potest tamen, nisi agatur de religione clericali exempta, gravibus de causis muniri censuris ab Episcopo.

---

1 Blat, *Comment. text.*, l. 2, n. 675, 2°; Verm. Creus., n. 608.

2 S. C. de Relig. 1 sept. 1912.

3 Societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis observanda quoque est clausura, praescribitur tamen solummodo, (can. 679, § 2) ut eam servent ad normam constitutionum.

NB. — Quae ex can. 605 retulimus circa collocutiones inutiles cum alienis invisentibus, ad Congregationes quoque referuntur.

c) **De egressu e clausura.** Pro religiosis quibusvis, sive viris sive feminis, votorum simplicium vel sollemnium, praescribit can. 606: « § 1. Curent superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt. — § 2. Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621 - 624[1], permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat[2], nisi causa studiorum intercedat[3], semper Apostolicae Sedis venia requiritur ».

Pro religiosis feminis haec statuit can. 607: « Antistitae et Ordinarii locorum serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant ». Et speciatim pro monialibus (seu religiosis feminis votorum sollemnium), can. 601: « 1. Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. — § 2. Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario ».

De *apostatis* et *fugitivis* sermo erit suo loco, ubi de poenis contra eosdem.

Art. 11. De privilegiis religiosorum.

459 In genere quibus privilegiis gaudeant religiosi, tradit canon 613, § 1, quem vide supra in n. 424, ubi diximus quoque cessasse probabilius ea, quae fuerant acquisita solum per communicationem[4].

---

[1] Id est excepta quaestuationis causa iuxta normas traditas in can. 621 - 624.

[2] Etsi infirmitatis causa ultra sex menses extra domum commorandum sit, et quamvis in nosocomio aliorum religiosorum, siquidem iuxta relatum can. 606 religiosus commorari debet in domo propriae religionis. Verm. Creus., n. 610.

[3] « Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel si id fieri non possit, apud religiosum aliquod Institutum virorum vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri oridinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate probata sit », c. 587, § 4.

[4] Moneamus obiter privilegia religionibus concessa latae,

In particulari can. 613, § 2° et 614 monent: 1° Privilegia, quibus gaudet Ordo regularis, competere quoque monialibus eiusdem Ordinis, quatenus eorum sint capaces; 2° Religiosos, etiam laicos et novitios, frui quatuor privilegiis canonis, fori, immunitatis et competentiae, de quibus egimus in n. 397.

a) **De privilegio exemptionis.** Exemptione dicuntur frui personae vel loca, quae iurisdictioni subtrahuntur superioris immediati, et alius tantum mediati subiiciuntur. Loquendo vero de privilegio exemptionis, quo iure communi fruuntur quidam religiosi, intelligitur « privilegium, quo religiosi eorumque domicilia per voluntatem Summi Pontificis iurisdictioni Ordinarii loci subtracta sunt, praeterquam in casibus a iure expressis ».

Exemptionis privilegio fruuntur « *Regulares*, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis » (can. 615).

Excipiuntur tamen 1° « Moniales, quae superioribus regularibus non subsunt » (can. 615), hae proinde subduntur Ordinario loci. 2° « Regulares extra domum illegitime degentes [1], etiam sub praetextu accedendi ad superiores » (can. 616, § 1) [2].

Domus non formatae [3] minore exemptione fruuntur; nam « manent sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim [4] procedere » (can. 617, § 2).

Ab exemptionis privilegio excipiuntur casus a Iure expressi (can. 615), quos sic distincte compleetemur:

---

immo et latissimae, ut ait S. Alph., *De Privil.*, c. 1, n. 8, esse interpretationis. Sed hoc intelligi debet de privilegiis, quae dantur religioni formaliter, id est, religioni ut religioni seu intuitu ipsius, qualia sunt ordinarie quae illi conceduntur in perpetuum, non autem extendi debet ad ea, quae conceduntur ei materialiter, id est sicut conceduntur cuilibet privato, atque huiusmodi sunt ordinarie quae religioni conceduntur ad tempus, v. gr. privilegium ad decennium celebrandi in mari per Generalem subditis communicandum.

1 Regulares iniquis legibus civilibus expulsi et dispersi non versantur in hoc casu et propterea in praxi tractantur ac si in claustro viverent. Cf. A. A. S. anno 1911, pag. 432; Prümmer, q. 241; Verm. Creus., n. 621.

2 Religiosi « si extra domum delictum commiserint nec a proprio superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint » (can. 616, 2°).

3 Quaenam huiusmodi dicantur, vide in n. 423, 5°.

4 Interim, id est interea dum rem defert S. Sedi; nam de abusibus, quos in religiosorum domibus, etiam formatis, superiores moniti corrigere negligant, Ordinarius loci S. Sedem certiorem facere debet (can. 617, 1°).

A) Episcopus loci potest: 1° In ecclesiis regularium concionari, pontificalia exercere, confirmationem administrare (can. 1343, 337, 792). — 2° Visitare per se vel alium eorumdem scholas[1] in iis, quae religiosam et moralem institutionem spectant, exceptis scholis internis pro professis eiusdem religionis (can. 1382), eorum quoque hospitalia, orphanotrophia etc. (can. 1491, 1492)[2]. — 3° Regulares poenis coercere in omnibus, in quibus ipsi subsunt (can. 619).

B) Ordinario loci regulares reservare debent: 1° Consecrationem (non benedictionem) loci sacri, campanae, altaris immobilis (can. 1155, 1169, 1199). — 2° Causam confessarii sollicitantis, etsi in sua ecclesia exempta sollicitatio facta fuerit (can. 904, 501, § 2). — 3° Explorationem voluntatis puellarum in religionem recipiendarum, iuxta dicta n. 430.

460 *C*) Ordinario loci regulares obedire *debent circa*: 1° Stipem manualem Missarum (can. 831, sed cf. can. 1550). — 2° Recitationem publicam precum, sonitum campanarum, vel sacra sollemnia, quae indixerit[3] (can. 612), collectas in Missa imperatas (S. R. C. Decr. auth. n. 2613). — 3° Catecheticam instructionem populo tradendam, et diebus festis brevem evangelii vel doctrinae christianae explanationem, itemque abstinere a divinis officiis, quae, iudicio Ordinarii, illis instructionibus et explanationibus in paroecia peragendis obstent (can. 1334, 1345, 609). — 4° Processiones, ad normam can. 1291 et 1292. — 5° Ordinationes, quas tulerit circa divinum cultum (can. 1261). — 6° Tributum, quod praescripserit solvendum pro Seminario, ad normam can. 1356.

D) Sine Ordinarii loci permissu regulares non possunt: 1° Erigere domos, ecclesiam vel oratoria publica (can. 497, 1162). — 2° Excipere confessiones saecularium et religiosarum, contionari ad alios proprii superioris non subditos (can. 874, 876, 1338, 1339). — 3° SS. Eucharistiam publice (id est cum ostensorio, etsi ianuis clausis)[4] exponere, nisi in temporibus, de quibus can. 1274. — 4° Ima-

---

1 Non tamen revocantur privilegia (can. 4) religiosis collata quoad scholas et collegia, in quibus secundum Ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent. Const. Leonis XIII « Romanos Pontifices » 8 maii 1881, n. 20. Cf. Verm. Creus., n. 718.

2 De his Bondini, *De exempt.*, pag. 134-135.

3 Quae indixerit generali edicto, non si particulariter indixerit ecclesiae regularium. Bondini, op. cit., pag. 56; Fanfani, *De Relig.*, n. 297; Verm. Creus., n. 614.

4 Nisi (probabiliter) pro solis religiosis, ianuis clausis. Cf. Prümmer, q. 241, 4° nota.

gines insolitas exponere, orationes aliave pietatis exercitia non approbata in ecclesia vel oratorio peragere, indulgentias Romae non promulgatas pervulgare (can. 1279, 1259, 919). — 5° Processiones ducere extra ecclesiam et claustra (can. 1293, 1291, 1294). — 6° Edere libros, imagines, ephemerides vel in his scribere aut eas moderari (can. 1385, 1386). — 7° Associationes pias erigere, peculiaria circa vestes praescribere, moderatorem vel capellanum saecularem eis praeficere (can. 686, 703, 713, 714, 698). — 8° Rectorem praeficere ecclesiae domui suae non adnexae (can. 479, 480). — 9° Ordines suscipere non a suis superioribus (can. 964, 954). — 10° Pecuniam collocare aut fiducialia bona recipere in casibus, pro quibus can. 533 et 1516 Ordinarii loci consensum exigunt. — 11° Stipem quaeritare, nisi ex Instituto sint mendicantes[1] et intra suam dioecesim quaeritent (can. 621, 622). — 12° Professionem fidei valide emittere in casibus, de quibus can. 1406.

NB. — « Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis » (can. 620). Igitur si Episcopus per generale edictum certo die dispensat a ieiunio vel abstinentia, dispensantur quoque regulares, salva tamen constitutionum suarum obligatione.

Exemptionis privilegio non fruuntur « religiones votorum simplicium, nisi specialiter eis fuerit concessum » (can. 618, § 1)[2]. Nihilominus in religionibus iuris pontificii non

---

1 Canon 621 intelligendus est tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dictis, ut declaravit Comm. I. C. 16 oct. 1919 ad 10.

2 Illud concessum habent v. gr. PP. Redemptoristae et Passionistae.

Exemptio, quae personis vel locis piis conceditur, intelligitur exemptio a iurisdictione, non a visitatione; pro hac enim speciale privilegium requiritur, ut patet ex can. 344, § 1.

Nihilominus religiosos exemptos Episcopus visitare potest in casibus in Iure expressis, sed in iis tantum (can. 344, § 2). Sic v. gr. casum expressum pro religiosis votorum simplicium, etiam exemptis, habes in can. 512, § 2, 2°. Similiter quamvis ecclesiae regularium (non *Congregationum*, etsi exemptarum) visitationi episcopali non subsunt, ut patet ex can. 615 et 512, nihilominus casus visitationis habetur expressus in can. 1261, § 2. Supponit tamen iste canon statuta lata ab Episcopo non mere urgere praescripta legum ecclesiasticarum; nec tunc debet Ordinarius visitationem huiusmodi peragere eodem modo ac solitam quinquennalem visitationem ecclesiarum non exemptarum; et generatim visitationis iure in tantum solum debet uti, in quantum positivam habeat notitiam leges particulares a se latas in praedictis ecclesiis non observari.

De visitatione episcopali religiosorum cf. can. 344, 512, 631, 675, 690, 1261, 1491; cf. circa hos canones Blat, Bondini, Verm. Creus.

potest Ordinarius constitutiones immutare, aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535, aut sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis (prout v. gr. exprimitur in can. 617); sed in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere de disciplina ad constitutionum normam, de doctrinae morumve probitate, de frequentia susceptionis Sacramentorum (can. 618, § 2); in omnibus autem, in quibus ipsi subduntur, potest eos etiam poenis coercere (can. 619).

461 *b*) **De aliis privilegiis religionum clericalium exemptarum.** Quaenam privilegia religionibus quibusvis competant, praeter ea quae iure communi conceduntur, ex particularibus ipsarum Bullariis et rescriptis hauriendum est. Iure autem communi *religiones clericales exemptae*, sive religiosorum regularium sint sive non regularium, haec habent:

Quoad SS. Eucharistiam. Ecclesiam vel oratorium publicum habere adnexum domui canonice (seu iuxta can. 497, § 1) erectae; oratoria semi-publica de licentia superioris maioris erigere (can. 497, § 2, 1192, §1) ab eodemque superiore maiore licentiam obtinere, ex iusta et rationabili causa, in casu extraordinario et per modum actus ad celebrandum in quovis decenti loco, non autem in cubiculo (can. 822, § 4)[1]. Superiores, etiam locales, possunt per se vel per alium aegrotis professis, novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrare (can. 514, § 1).

Quoad absolutionem sacramentalem. 1° Confessiones religiosorum virorum religionis clericalis exemptae, non exclusis novitiis, eorumque famulorum, alumnorum, hospitum aut infirmorum, qui in religiosa domo diu noctuque degunt, audiri possunt iurisdictione accepta tantum ab eorum superiore, etiam locali (can. 875). — 2° Superiores maiores possunt suos subditos absolvere a censuris non reservatis vel a iure Episcopo reservatis, in casibus autem occultis etiam a simpliciter reservatis S. Sedi, non autem a specialissimo vel speciali modo reservatis; superior localis a non reservatis tantum (can. 2237, 2253).

462 *Quoad dispensationes.* 1° *Superiores maiores* subditos dispensare possunt (abstractione facta a facultate pro casibus extraordinariis, de quibus can. 81) a legibus quibusvis in

---

1 Hanc facultatem, de qua canon 822, 4°, celebrandi in domo privata, interpretandam esse restrictive, declaravit Comm. I. C. 16 oct. 1919 ad 12. Fusiorem huius facultatis declarationem vide in n. 528, litt. *b* nota.

dubio facti, dummodo sint ex iis, in quibus S. Sedes dispensare soleat; ab irregularitatibus ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario, abortu aut delicto in forum deducto); a prohibitione librorum facta a S. Sede, sed pro singulis libris tantum et in casibus urgentioribus, ipsi vero superiores maiores prohibitionis illius lege non adstringuntur (can. 15, 990, 1401, 1402). — 2° *Superiores maiores* et *superiores locales* possunt suos subditos aliosque in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis dispensare in casibus singularibus et iusta de causa a temporibus sacris (id est ab observantia festi, abstinentiae aut ieiunii), a iuramentis atque a votis non reservatis, salvo iure tertii (can. 1245, 1313, 1320).

Quoad sacramentalia. Superiores maiores possunt, per se vel per alium, suae religionis loca sacra, campanas, coemeteria benedicere, ecclesiam suam consecratam et violatam reconciliare, primarium lapidem ecclesiae imponere (can. 1156, 1169, 1205, 1176, 1163); superiores, etiam locales, possunt, per se vel per sacerdotem eiusdem religionis delegatum, sacram supellectilem, quae ad normas legum liturgicarum benedici debet, benedicere pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum (can. 1304).

463 *c*) **De aliis privilegiis regularium.** Praeter privilegia suprascripta omnibus religionibus clericalibus exemptis communia multa alia regularibus obveniunt, sive ob particularem concessionem, sive propter communicationem [1], quam obtinuerunt, cum aliis religionibus. Et Mendicantes [2] quidem plenissimam inter se privilegiorum seu praeteritorum seu futurorum communicationem sortiti fuerunt [3], immo et cum ceteris Ordinibus non mendicantibus [4], et vicissim plerique Ordines

---

1 Privilegiorum communicatio limitationes quasdam secumfert natura sua, quas vide apud S. Alph., *Append. de Privil.*, n. 9-12; Ojetti, *Synops.*, v. *Commun. privil.*; Salmant,. tr. 18, c. 1, n. 87-118.

2 Huiusmodi sunt: Fratres minores, Fratres Praedicatores, Carmelitae et alii; ad Mendicantium Ordines pertinet Societas Iesu. Const. Pii V « Dum indefessae » 7 iul. 1571, Greg. XIII « Ascendente Domino » 25 maii 1584 (Instit. S. I. ed. 1892 vol. 1, p. 46). Cf. Suárez, *De Relig.*, tr. 9, l. 1, c. 8; Wernz, *Ius Decr.*, III, n. 597; Verm., *De Relig.*, I, n. 80; Ciravegna, op. cit., n. 1-3; Ramière, *Comp. Instit. S. I.*, n. 3.

3 Const. Leonis X « Dudum » 10 dec. 1519 (cf. Verm., op. cit., II, pag. 509).

4 Cf. Ferraris, v. *Privileg.*, art. 1, n. 21 seqq.; S. Alph., *Append. de Privil.* — Societas Iesu plenissimam communicationem accepit non solum cum Mendicantibus, sed etiam cum omnibus Religiosis Ordinibus et Congregationibus. Greg. XIII « Decet Romanum », 3 maii 1575; Leo XIII « Dolemus inter alia », 13 iul. 1886.

non mendicantes communicationem obtinuerunt cum Mendicantibus.

Certum est « exclusam esse in posterum quamlibet communicationem » (can. 613). Immo probabilius, ut diximus n. 424, vi eiusdem can. 613 revocata sunt privilegia prius obtenta per meram communicationem. Quoniam autem id postremum certum non est, illiusmodi privilegia in possessione manent, atque eorumdem usus non solum erit licitus, sed etiam in iis, quae exercitium important iurisdictionis (id est per absolutionem vel dispensationem), erit validus (can. 209).

His praemissis tum Mendicantibus tum ceteris regularibus, qui cum eisdem communicarunt, licebit inter quamplura, quae hic omittere debemus, sequentibus privilegiis uti ad praxim valde conducentibus, atque in Iure communi seu *in Codice non contentis* [1]:

464 *A*) Nulla speciali facultate accepta a superioribus [2]:

Quoad SS. Eucharistiam. 1° Celebrare duabus horis ante auroram et duabus post meridiem (Congreg. Puritatis a Pio VI,

---

1 Cf. S. Alph., *Append. de Privil.;* Prümmer, op. cit., q. 243 - 247, *Comp. Privil. S. I.*, Florentiae 1886 - 1891; Verm. Creus., n. 629; Lehmk., n. 834 - 836.

2 Religiosis Societatis Iesu privilegia nulla prosunt, Societati sive directe sive per communicationem concessa, nisi ipsis per proprium Generalem communicata fuerint, ut constat ex Bulla Greg. XIII « Decet Romanum » 3 maii 1575. Quaenam autem et quo modo communicata sint, haurire debent ex suo Comp. privil. Possunt tamen absque ulla communicatione privilegiis uti concessis iure communi, seu quae supra recensuimus pro religionibus clericalibus exemptis. Haec tamen non obstabunt, quominus privilegia Societatis Iesu ceteris religionibus, quae cum eadem communicaverant, prosint sine ulla communicatione Generalis Societatis (Suárez, *De Legib.*, l. 8, c. 17, n. 6.; Salmant., tr. 18, c. 1, n. 104, 105); immo si privilegia non sunt concessa « Generali Societatis cum potestate delegandi », sed directe « personis Societatis », etsi adhuc, vi Bullae Greg. XIII, Societatis personae non possint valide illis uti sine communicatione Generalis, possunt tamen sine proprii superioris communicatione illis uti subditi ceterorum Ordinum, quae cum Societate communicaverant (Suárez, loc. cit.). Diximus quod, etsi privilegia directe sint concessa *personis* Societatis Iesu, tamen non possunt personae Societatis valide iis uti sine communicatione Generalis. Id aperte constat ex Const. Gregorii XIII « Decet », in qua decernitur, quod in Societate Iesu « privilegia *personis* concessa vel in posterum concedenda Praeposito Generali Societatis concessa esse intelligantur, qui illa per seipsum vel per alios personis Societatis communicare valeat; nec aliter personae Societatis praedictis privilegiis uti aut gaudere possint » (Instit. Soc. Iesu edit. 1892, vol. 1, pag. 57); quare haec privilegia, ex quo conceduntur, potius fiunt iura Societatis quam singulorum religiosorum, ut ait Wernz, tom. 3, n. 664.

rescript. 14 ian. 1783 et 10 mai. 1785) [1], immo iustam aliquam ob causam celebrare in propriis ecclesiis duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem (S. Alph., n. 122). — 2° In itineribus, Missionibus, tempore tradendorum Exercitiorum spiritualium, in novenis, triduis aliave continuata praedicatione, celebrare in oratoriis privatis sine praeiudicio privilegii Indultarii et absque huius vel personarum suae familiae assistentia (PP. Passionistis Pius VI rescript. 27 mai. 1789, Congreg. Missionis Pius VI 8 oct. 1784, Congreg. Puritatis 23 april. 1783). Hoc privilegium proderit iis religionibus, quae communicarunt etiam cum religiosis Congregationibus.

Quoad absolutionem sacramentalem. Absolvere possunt s a e c u l a r e s a casibus Episcopo reservatis a Iure [2] (S. Alph., *De Privil.*, n. 99, 100 et l. 7, n. 99), non autem a casibus, quos Episcopi sibi reservaverint [3].

Quoad dispensationes. Dispensare s a e c u l a r e s in votis non reservatis [4], salvo iure alii quaesito [5] (S. Alph., l. 3,

---

Idem expresse docet Suárez, *De Relig.* tr. 10, l. 9, c. 2, n. 3 loquens de iurisdictione ad confessiones, quam « religiosis » Societatis concesserat Paulus III (Instit. S. I., ibid., pag. 10 et Comp. priv. n. 1), et addit non posse, ob const. Gregorii XIII, locum esse dubitationi, idemque aiunt ceteri, v. gr. Castropalao, tr. 23 punct. 14, n. 7; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1675 alibi 1575; Tamburini, l. 5, c. 2, n. 27 (non apparet igitur cur aliquod dubium circa privilegium Pauli III exprimebat Gury - Ferr. in editionibus ante Codicem n. 563). Immo saltem de hoc privilegio Pauli III (quod, ceteroquin post Codicem iam non subsistit, cf. dicenda in n. 644 nota) videtur dicendum, quod alii quoque Mendicantes, qui in privilegiis Societatis communicabant et declarationem Gregorii XIII aliamve similem non habebant, id tamen ad praxim sine communicatione superioris valide deducere non poterant; hoc enim privilegium, etsi ad « religiosos » directum, subintelligendum erat concedi dependenter a superiorum beneplacito; Pontifex enim censendus est subintelligere id, quod debito Ordinis regimini valde est necessarium, ut aiebat Suárez, loc. cit., n. 4; ob similem rationem Castropalao, loc. cit. aiebat, quod huiusmodi privilegium, etsi ad religiosos directum, censendum erat « primo et per se religioni concessum ».

1 Quoties privilegium non affertur a S. Alph. in suo *Append. de Privil.*, citamus religionem, cui directe concessum fuit.

2 Excipe intra Italiam et extra Romam percussionem clerici. Huius exceptionis mentio necessaria non erat ante Codicem, quia hic casus in const. « Apostolicae Sedis » inter S. Sedi reservatos fuerat adnumeratus; nunc vero pro ea regione iterum excipi debet, quia in recentiore Iure iterum inter Ordinariis reservatos recensetur. Cf. S. Alph., *Append. de Privil.*, n. 99; Lehmk., n. 1245.

3 Ampliores facultates temporarias habent quidam regulares, sed hae, utpote temporariae, non communicantur.

4 Quaenam sint reservata, cf. n. 158.

5 V. gr. votum donandi calicem certae ecclesiae aut eleemosynam determinato pauperi; dispensatio danda non esset nisi obtenta istius renuntiatione.

n. 257), ideoque etiam in iuramentis, salvo iure tertii (can. 1320), potestque facultas exerceri etiam extra confessionem (can. 202). — Personis quibuslibet vota simplicia et non reservata commutare (Soc. Iesu Leo XII « Plura inter » 11 iul. 1826). — Personas quaslibet dispensare, in foro conscientiae tantum, ab irregularitatibus occultis (Soc. Iesu Leo XII ibid.)[1]. — In actu Missionum et in itinere ad illas, in Exercitiis spiritualibus tradendis, in novenis, triduis et qualibet continuata praedicatione pro Officio divino possunt ipsi recitare parvum Officium B. Mariae Virginis (Piis Operariis Bened. XIV rescript. 13 iul. 1745, Congr. Purit. Pius VI vivae vocis orac. 23 apr. 1784). Valet pro iis qui communicarunt cum Congregationibus gratias etiam hac particulari forma concessas.

Quoad sacramentalia. In fine Missionis benedictionem papalem impertire cum imagine Crucifixi, atque ad id poterunt missionarii delegare digniorem praesentem de clero saeculari (Soc. Iesu Pius IX rescript. 19 ian. 1851 et 4 maii 1851) vel regulari (Soc. Iesu Pius X 11 mart. 1908).

465 *B*) Cum facultate accepta a superiore maiore vel locali[2]:

Quoad dispensationes. Qui in pietatis operibus aut studio litterarum sacrarum occupantur aut infirmitate (per se non excusante) aut infirmorum curatione impediuntur, loco Officii canonici recitare poterunt certum psalmorum numerum per superiorem assignandum, non minus septem aut sex ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis; graviter autem aegrotantibus commutari poterit in Orat. Dominicam semel et salutationem angelicam septies (PP. Theatinis Clemens VII «Dudum» 7 mart. 1533, S. Alph., *De Privil.*, n. 107).

---

1 In generali huiusmodi facultate excipiendam esse ex stylo Curiae irregularitatem ex homicidio voluntario (v. gr. ob abortum directe procuratum) putat Lacroix, l. 7, n. 461, negat vero Castropalao, tr. 29, p. 15, par. 3, n. 3 (ita apud Villada, *De confess. S. I.*, n. 169), cui favet S. Alph., l. 3, n. 397. Ceterum certum est nullam esse excipiendam, dum sacris Missionibus vel publicis Exercitiis tradendis regulares incumbunt, prouti diserte habetur in rescripto Patribus Congreg. Passionis concesso a Pio VI 27 maii 1789.

2 Privilegia concessa superioribus unius Ordinis cum potestate delegandi intelliguntur data eodem modo superioribus paris dignitatis ceterarum religionum cum illo communicantium. Salmant., tr. 18, c. 1, n. 110; S. Alph., *De Privil.*, n. 11.

C) Cum facultate superioris maioris:

Quoad SS. Eucharistiam. Oratorium erigere in grangiis seu domibus ruralibus, in quibus etiam sacerdotes extranei celebrare et fideles quilibet praecepto audiendae Missae satisfacere valeant (Ord. Praed. Bened. XIV « Exponi nobis » 22 ian. 1755). — Inter Missiones celebrare Missam super portatili in eaque communionem ministrare, in loco honesto (non in cubiculis), (Soc. Iesu Greg. XIII « Usum » 1 oct. 1579) non in mari (can. 822).

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Indicantur numeri marginales

A

Abdicatio bonorum ante professionem sollemnem 443.

Abortus 176, 177.

Abstinentia a carnibus 363-366.

Acatholici, cum eis communicatio 75, 76; — eisdem cooperari 105.

Acceleratio partus 176, 179.

Accessio bonorum 234.

Acquisitio dominii 232 seqq.; — quoad bona amissa 233; — quatenus eius sit capax religiosus votorum simplicium 440, 441; — vel sollemnium 444.

Actiones vel obligationes acquirere an clericis prohibeatur 404.

Actus voluntarius 1; — honestus 13; — heroici 34.

Adiunctio rerum quoad acquisitionem dominii 234.

Adiuratio 146.

Adiutores vicarii 420.

Administratio bonorum quatenus vetetur clericis 399 5°; — cedenda ante professionem votorum simplicium 432.

Adulterium 203; — quoad restitutionem 286.

Advenae 37 nota.

Advocatus, eius obligationes 291; — quoad restitutionem 270; 291; — advocatum agere quatenus prohibeatur clericis 399 4°.

Aleatorii contractus 334 seqq.

Alluvio 234.

Altare portatile 358.

Alumnorum obligatio denuntiandi seductores 91; — officia erga superiores 168 3°.

America Latina, Indultum quoad abstinentiam et ieiunium 372 III. — Clerici in eam migrantes 405.

Amicitiae sensuales 210, 214 7°.

Amissio dominii animalium 232; — amissa bona, cf. *Bona* amissa.

Amplexus 193, 210.

Animalia quoad dominium 232.

Aperitio litterarum 354, 453; — conscientiae in religionibus 437.

Apostatae quinam 81.

Apostolica Sedes, quid hoc nomine intelligendum 32 nota.

Apum examen 232 nota.

Arma gestare clericis interdictum 399; — Cf. *Bellum*.

Aspectus inhonesti 192, 193, 208, 212 3°.

Assecuratio (contractus) 334; — rei assecuratae damna quatenus resarcienda 263, 276 nota.

Auctoris iura 231.

Audiens detractionem 347.

Auditio Missae, cf. *Missa*.

B

Barbam nutrire non debent clerici 407.

Bellum 175; — voluntarie adire clericis interdictum 399 7°.

Beneficia ecclesiastica quid 415; — iniquus eorum distributor quoad restitutionem 248 nota; — beneficialia bona 230; — beneficiariorum obligationes 416.

Bestialitas 200.

Blasphemia 136 seqq.

Bona necessaria vitae vel statui, quaenam dicantur 93; — uxoris 229; — beneficialia vel ecclesiastica 230, 239; — nullius, derelicta, vacantia 232; — amissa et inventa 233; — eorum praescriptio iuxta leges civiles 238; — mobilia, immobilia quoad praescriptionem 238; — bonorum accessio alluvione, adiunctione, commixtione etc. 234; — bonorum cessio iudiciaria 278 NB.; — abdicatio ante professionem sollemenem 443.

Bona fides ad praescriptionem requisita 236; — bonae fidei possessor 250; — quomodo comparari possit in casu dubii 259 2°.

Brephotrophium, cf. *Orphanotrophium.*

Breviarium, cf. *Horae canonicae.*

Bulla Cruciatae in Hispania et Lusitania 372.

Bursae speculationes 338.

C

Caesarea operatio 176, 181.

Calumnia 348.

Cambium 328.

Canonicorum obligationes 417.

Canonis privilegium proprium clericorum 397.

Capitulationes matrimoniales 229.

Caritatis notio theologica et praeceptum 83; — necessitas 84; — ordo erga proximum 85; — regulae 86.

Castitatis obligatio in clericis 409; — eius votum reservatum 158; — votum religiosorum 452; — cf. *Continentia.*

Castratio 169.

Catechismi eruditio danda filiis 167 c).

Cauponas adire vetitum clericis 400 3°.

Caupones quoad cooperationem 109, 113; — quoad ducendas choreas 117.

Causa eiusque species 9-11; — causae eximentes, impedientes 41; — influentes in delectationem veneream 191-193; — diversimode influentes in damnum 274 nota; — excusantes a restitutione 281; — excusantes a detractione 346; — a restitutione famae 349; — a servando secreto 352, 353; — ab abstinentia carnium 365; — a ieiunio 371; — a recitatione Horarum 415.

Causa pia 310 nota; — causarum piarum commutatio 312; — Cf. *Testamentum, Legata.*

Census 328.

Cephalotripsia 180.

Cessatio a labore ex condicto seu operistitium 332.

Cessio bonorum iudiciaria 278 NB.

Chirurgiae exercitium clericis prohibitum 399.

Choreae quatenus illicitae 118; — eis interesse clericis interdictum 400 4°; — Choreae beneficentiae 118 nota.

Chori obligatio 410.

Cinematographi in ecclesiis 127 nota.

Civica officia 168 5°.

Civilis lex, cf. *Lex*.

Clausura regularium papalis 456; — quinam ab ea arcendi vel excipiendi 457; — in Congregationibus utriusque sexus 458; — egressus e clausura 458 c).

Clerici, quinam dicantur 395; — incardinatio 395; — quoad dominium 230; — eorum privilegia canonis, fori etc. 397; — obligationes et prohibitiones 398-409; — quando et quomodo ad statum laicalem reducantur 397 NB.; — in Amer. Lat. migrantes 405.

Coadiutores vicarii 420.

Codex Iuris Canonici eiusque vis 31, 46 nota.

Coelibatus status praestantia 211; — vindicatio ab incusationibus 211 nota; — Cf. *Continentia*.

Coenula die ieiunii 367, 368.

Cogitatio, cf. *Delectatio* morosa.

Cohabitatio cum mulieribus clericis interdicta 398.

Collationes de re morali et liturgica 408.

Colloquium turpe, cf. *Turpiloquium*.

Commixtio bonorum in accessione 234.

Commodatum (contractus) 319.

Communicatio cum acatholicis 75, 76.

Communio paschalis 360, 362.

Commutatio iuramenti 146; — voti 160; — ultimarum voluntatum in favorem causae piae 312.

Compensatio occulta eiusque condiciones 247; — infamiae cum pecunia 247 nota.

Competentiae privilegium proprium clericorum 397 4°.

Compositio a S. Sede pro bonis restituendis 282.

Concupiscentia 5.

Condicio contractui apposita 303; — condiciones ad peccatum grave 55; — cooperationis licitae 103; — iuramenti validi 139; — et liciti 141; — iuramenti promissorii 145; — ad voti validitatem 148-150; — ad voti reservationem 158.

Condonatio offensae 89; — debiti 282.

Conferentiae morales 408.

Confessarius quoad usum opinionum probabilium 28; — praesertim in materiis periculosis 374 nota; — quoad interrogandos poenitentes circa cogitationes et desideria 67; — circa blasphemias 137 NB. 1°; — de re venerea 197, 210 3°, 213 4°; — quoad restitutionem 270, 273; — quoad ingressum in clausuram monialium 457.

Confessio annua 360, 361.

Conficere res pravas 106-107.

Congregationes Sacrae Romanae 31 nota; — religiosae 423.

Coniugalis societas quoad bonorum dominium 229.

Coniugum officia mutua 168 1°.

Consanguinei alimenta mutuo sibi debent 168 2°.

Conscientia eiusque divisiones 14; — eius dictamen ultimum 16; — regulae ad eam efformandam 24; — conscientiae aperitio in religionibus 437.

Consensus necessarius ad peccatum mortale 55; — quoad vota 148; — quoad contractus 297.

Consentiens quando teneatur restituere 271.

Consuetudinarii 138.

Consuetudo 46; — in Iure Canonico vel civili 46 nota.

Consulens quoad restitutionem 269; — quo loco inter cooperatores ad restituendum teneatur 275 nota.

Continentia homini possibilis, contra impudentium dicta 220, 221; — eius laus 409 nota; — Cf. *Coelibatus* et *Castitas*.

Contractus eiusque species 292; — materia, subiectum, consensus, obligatio 293 seqq.; — de re turpi 294; — contractus gratuiti vel onerosi quonam consensu perficiantur 297; — condiciones contractui appositae 303; — poena contractui adiecta 304; — finis adiectus 298 nota, 304; — iuramentum adiectum 305; — contractus aleatorii 334 seqq.

Contumelia 350.

Conventiones matrimoniales 229.

Cooperatio formalis quibus modis fiat 102; — materialis quando licita 104; — quando ad restitutionem obliget 268 seqq.; — cooperatores negativi 273; — cooperatores quo ordine teneantur ad restitutionem 275.

Correptio fraterna 90.

Craniotomia 180.

Creditor, quo loco ei solvendum est 302; — creditorum ordo quoad restitutionem 278.

Crimen publicum vel occultum quando dicatur 345.

Cruciatae Bulla in Hispania et Lusitania 372 I.

Culpa theologica vel iuridica 261; — levis an a restitutione excuset 262.

Cultus Sanctorum, imaginum, reliquiarum 121 nota.

Custodes non impedientes damna 273.

D

Damna subditorum an resarcienda a patre, hero, aliove superiore 273; — animalium an resarcienda ab eorum domino 273; — inculpabiliter illata et voluntarie non impedita 264.

Damnificatio quatenus ad restitutionem obliget 261, 277 nota; — damnificator quo loco teneatur restituere inter cooperatores 275.

Debitor an possit praescribere 236 nota, 238 D; — quandonam possit denegare debitum 247 2° et 247 nota; — quando et quo loco satisfacere debeat creditori 302.

Debitum denegare ad compensationem 247 2° et 247 notae.

Decimae solvendae 373.

Delatio ad superiorem 91; — apud religiosos 91.

Delectatio morosa 63; — de re turpi 63, 214; — venerea, quid 187; — completa vel incompleta

quale peccatum si intenditur directe 189, 190; — si indirecte voluntaria 191 seqq.; — causae in eam influentes 191-193; — an incompleta diversas habeat species 212 3°; — carnalis, quid et quale peccatum 214 7°.

Deliberatio requisita ad peccatum mortale 55, 57.

Depositum (contractus) 319.

Deputati et senatoris munus clericis interdictum 399.

Desiderium 65.

Desperatio 82.

Detractio 342 seqq.

Dies festi de praecepto 356 et cf. *Missa, Labor;* — abstinentiae vel ieiunii 363.

Dilatio in restitutione facienda 280.

Dilectio inimicorum 88-89.

Dispensatio in genere 47, 49-52; — iuramenti 146; — voti 158-159; — ab observantia festorum 359; — abstinentiae vel ieiunii 372; — a recitatione Horarum 415; — dispensandi facultates concessae religiosis clericalibus exemptis 461-465.

Disputatio cum acatholicis 76.

Distillatio 184, 199.

Distinctio peccatorum specifica et numerica 58-62.

Divinatio 121-124.

Dolus cf. *Error.*

Domicilium 38.

Domini officia erga famulos 168 4°; — Cf. *Herus.*

Dominium quid 223; — directum, indirectum 223; — filiorumfamilias 228; — uxoris 229; — clericorum 230; — quibus modis acquiratur 232 seqq.; — animalium 232.

Domus religiosa, regularis, formata 423 5°.

Donatio 307; — in favorem causae piae 307; — facta in praeiudicium creditorum vel legitimae 308; — inofficiosa 309; — inter vivos vel mortis causa 309; — facta religioso 441, 444.

Dos uxoris 229; — ad ingressum mulieris in religionem 430.

Dubium eiusque species 15; — circa votum 153; — de bona fide possessoris antecessoris in ordine ad praescriptionem 237; — circa dominum cui restitutio debetur 276.

Duellum 175.

E

Ebrietas 69-70.

Ecclesia, quid hoc nomine veniat 357.

Ecclesiastica bona 230; — eorum praescriptio 239.

Ectopici conceptus 176, 182, 186.

Electio indigni, cf. *Suffragium.*

Eleemosyna spiritualis 90; — temporalis, eius obligatio 93.

Embryotomia 176, 180.

Embryulcia 180.

Emptio bona fide facta apud furem 251; — Cf. *Emptio-venditio.*

Emptio-venditio, huius contractus materia 321-325; — quando perficitur contractus 321 nota; — iustum pretium 324; — quando liceat carius vendere vel vilius emere 325, 326; — venditio sub hasta, cum pacto retrovenditionis, per proxenetas 326, 327.

Ephemerides pravae, quomodo vetentur iure naturae 111; — vel iure ecclesiastico 374, 384, 390; — ad eas cooperatio 112-113.

Episcoporum obligationes 417; — Cf. *Ordinarii loci.*

Error vel dolus, an praesumendus 44 nota; — in emissione voti 149; — iuramenti 144; — in contractibus 298-299; — in emptione-venditione 322.

Eunuchi 197, 212 2°.

Euthanasia 183.

Evictio 252.

Examen apum 232 nota.

Exemptionis privilegium et casus ab exemptione excepti 459.

Expellere receptum virile semen 178.

Expensae resarciendae possessori bonae fidei 253; — vel malae fidei 257.

Exploratio voluntatis mulieris ad religionem adspirantis 430.

Exsecutor damni quo loco inter cooperatores ad restituendum teneatur 275.

Extra-uterini foetus 176, 182.

F

Fama quando reparanda 348, 349.

Famuli quoad cooperationem 108; — officia erga dominum 168 4°; — an liceat eis occulta compensatio 247 NB.; — quoad restitutionem 273.

Fecundatio 185.

Ferreae viae leges quatenus obligent 287.

Festi dies, cf. *Dies* festi.

Fidei notio theologica 71; — necessitas 71; — praeceptum 72; — professio 73-74.

Fideicommissum 313.

Fides bona vel mala, cf. *Bona fides, Mala fides.*

Filiifamilias, eorum officia erga parentes 166; — quoad vocationem religiosam 166 nota; — quoad dominium 228; — filiorum educatio 167; — eorum instructio sexualis 221.

Finis contractui assignatus 298 nota, 304.

Foetus occisio 176; — animatio 177 nota; — ectopici 176, 182.

Forenses actus die festo prohibiti 164 4°.

Fori privilegium proprium clericorum 397.

Formalitates legales 227.

Formata domus religiosa 423 5°.

Fornicatio 201; — illicite suaderetur habituato in pollutione 219 14°; — quoad restitutionem 286.

Fructus beneficii 230, 411, 418; — naturales, industriales, mixti, civiles 249; — quinam restituendi a possessore bonae fidei 253; — vel malae fidei 257.

Fur quo loco teneatur restituere inter cooperatores 275.

Furtula 244.

Furtum quid et quando grave 242, 243, 245.

G

Gastrohysterotomia 181.

Gaudium 66.

Gestio negotiorum (contractus) 320.

H

Habitus ecclesiastici et tonsurae delatio clericis praecepta 407; — religiosi delatio 438.

Haeresis 77.

Haeretici, eorum templa vel functiones adire 76; — eisdem favere 105.

Heres 311; — circa testamentum vel legatum informe 227, 247 nota; — quoad praescriptionem 237.

Herus, eius officia erga operarios 168 4°.

Hispania, Bulla cruciatae 372 I.

Homicidium 174; — quoad restitutionem 284, 285.

Honor laesus reparandus 350.

Honoraria professionalia quaenam iusta 289 nota.

Horae canonicae quibusnam praecipiantur 410; — omissionis materia gravis 411; — quo kalendario utendum 412; — quo tempore recitandae 413; — Officii mutatio voluntaria, involuntaria 413; — attentio, pronuntiatio debita in recitatione 414; — recitationis interruptio 414; — socius 414; — causae excusantes 415; — recitationis dispensatio 415 NB.

Hypnotismus 124.

Hysterotomia 181.

I

Ignorantia eiusque species 2; — an praesumenda 44 nota; — an invincibilis dari possit circa gravitatem pollutionis 213 5°; — iuris an noceat praescriptioni 236 nota.

Immunitas, clericorum privilegium 397.

Impedire aliquem a consequendo bono 265; — restitutio ob damna non impedita 264, 273.

Impotentia 217.

Impuberes 197.

Impudicitiae peccata 207.

Incestus 204.

Incapacitas legalis 226.

Incolae 37 nota.

Indultum Americae Lat. quoad abstinentiam et ieiunium 372 III.

Inebriare moribundum, 69, 183.

Infantes quinam 36 nota.

Infideles, eorum templa adire 76.

Infidelitas, peccatum contra fidem 81.

Influxus causae in damnum 267, 274.

Informia, cf. *Legata*, *Testamentum*.

Inhonestae partes 187.

Iniuria 240; — per actum mere internum 241.

Inimicorum dilectio 88-89.

Instructio filiorum 167; — sexualis eorumdem 221.

Intentio actualis, virtualis, habitualis, interpretativa 12; — in adimpletione legis 39; — requisita ad votum 148.

Interesse an sint restituenda a possessore malae fidei 256; — ex mutuo 316-318; — ex interesse 318.

Inventae res 233; — earum praescriptio iuxta leges civiles 238.

Irritatio iuramenti 146; — voti 155-156.

Irrumatio 200 nota.

Ieiunium quando et quomodo obliget 363, 367 seqq.

Ientaculum qui inadvertenter sumpsit die ieiunii 369.

Iudex, eius sententia quomodo obliget 45; — iustam sententiam ferre tenetur 290.

Iudicium temerarium 351.

Iuramentum 139 seqq.; — promissorium eiusque obligatio 139, 141, 143-146; — eius distinctio a voto 143; — contractui adiectum 305; — antimodernisticum 74 nota.

Ius proprietatis 222; — in re, ad rem 223.

Iustitia eiusque species 222; — obligatio legum civilium in materia iustitiae 224 seqq.

L

Labor prohibitus die festo 164; — causae excusantes 165; — laborandi obligatio naturalis 173; — laboris locatio 330; — cessatio ex condicto seu operistitium 332.

Lactantia filiorum 167 b).

Lacticinia quatenus permittantur in coenula die ieiunii 267.

Laicalia officia quatenus clericis interdicta 399.

Laparotomia 182.

Lectio prohibita, cf. *Libri* vel *Ephemerides;* — turpis 193, 212 3°.

Legata 312; — informia 227, 310; — an contra ea liceat compensatio 247 nota; — in favorem causae piae 310, 312.

Legitima quatenus debeatur 313, 308.

Lex 29; — eius promulgatio 32; — interpretatio 33; — obiectum 34; — subiectum 35; — obligatio 39, 42; — causa excusans 43; — lex irritans 44; — poenalis 45; — legis cessatio 46; — legum civilium obligatio in materia iustitiae 224 seqq.; — leges annullativae 225, 226 nota; — dominii translativae 225; — regulantes actus dominii translativos 226; — circa formalitates legales 227; — circa solvenda tributa et adeundam militiam 287.

Liberalismus 69-80.

Libertas quibus modis minuatur 4-6.

Libri pravi quomodo vetentur iure naturae 11; — vel iure ecclesiastico 374, 381-394; — ad eos cooperatio 112, 113; — liber, libellus quid hoc nomine veniat 374 nota; — censura librorum 375-380; — liber pravus an reddendus domino 387; — libri paroeciales 419.

Licentia differt a dispensatione 48; — praesumpta ad dandum vel accipiendum 446.

Licitatio 326.

Litterae, earum aperitio 354; — cum inscriptione «res conscientiae» 354 nota; — testimoniales ad admissionem in novitiatu 429 nota; — litterarum missio ad superiores apud religiosos 453.

Litteraria proprietas 231.

Loca sacra quaenam sunt 127 nota.

Locatio quatenus implicat cooperationem ad malum 110; — locationis contractus 329; — locatio operae 330.

Loteria 335; — restitutio ob loteriae schedam furto ablatam 257 nota.

Lotiones vaginales 216.

Ludus (contractus) 336; — lege civili prohibitus 337; — quatenus vetetur clericis 400.

Lusitania, Bulla Cruciatae 372 I.

Luxuria in genere 116; — quoad venerea 187 et cf. *Delectatio* venerea; — fucata 219.

M

Maior aetas quando incipiat 228 nota.

Mala fides possessoris antecessoris an impediat praescriptionem 237.

Maledictio 137-138, 175.

Mandans quoad restitutionem 268; — quo loco ad eamdem teneatur inter damnificatores 275.

Mandatum (contractus) 320.

Manifestatio delictorum apud religiosos 91; — conscientiae in religionibus 437.

Mansturbatio 219 15°.

Manuscripta quoad votum paupertatis 447.

Maritus circa vota uxoris 156.

Massones, cum eis communicatio 76.

Mater circa vota filiorum 156.

Materia voti 150; — gravis in furto 242, 243, 245; — in laesione abstinentiae 364; — in laesione ieiunii 369; — in lectione prohibita 383, 384; — in laesione voti paupertatis 445.

Matrimoniales conventiones seu capitulationes 229.

Matutini anticipatio 413.

Medicus, eius obligationes 183, 285; — quoad restitutionem 270, 289; — quoad examen militiae conscriptorum 287 nota; — medicinae exercitium clericis interdictum 399.

Mendacium 339 seqq.; — an semper illicitum 339.

Menstruatio 185.

Metus minuit libertatem 4; — in emissione voti 149; — iuramenti 144; — in contractibus 300, 301.

Milites quoad abstinentiam et ieiunium in Hispania et Lusitania 272 II.

Militia, obligatio eam adeundi 287 2°; — clerici ab ea exempti 397 3°; — eisdem interdicta 399 7°.

Minor iuxta Ius canonicum 38 nota; — quoad rescissionem contractus 226; — quoad praescriptionem 238 nota; — quinam minores dicantur 228 nota; — quoad contractus 295, 296.

Minorennis, cf. *Minor*.

Missa, ad eius auditionem praesentia requisita 161; — attentio 162; — causae ab ea excusantes 163; — quibus diebus audienda de praecepto 356; — quo loco 357, 358; — Cf. *Stipendia*.

Mola 186.

Moneta falsa 323.

Moniales quaenam dicantur 423 7°; — earum clausura 456 seqq.; — cum iis collocutio 457 NB.; — earum privilegia 459.

Monitio, eius obligatio 92.

Monopolium 327.

Morbi venerei 218.

Moribundum inebriare 69, 183.

Morphina 171.

Motus impuri, quomodo eis resistendum 215.

Mulier vi oppressa an clamare teneatur 3; — mulierum cohabitatio clericis interdicta 398; — mulierum ad religionem adspirantium voluntatis exploratio 431.

Munera accipere a seductore 294; — a iudice recusanda 290.

Mutilatio 169.

Mutuum 314-318.

N

Necessitas a lege excusans 43; — extrema, gravis, communis 85; — an in extrema ablatio alieni liceat 246.

Negotiatio cum bonis alienis 228 2°; — negotiorum gestio (contractus) 320; — negotiatio clericis interdicta 401.

Notarius quoad restitutionem 270, 291; — notarium agere quatenus prohibeatur clericis 399 4°.

Novitiatus 426-432.

Novitii, eorum admissio valida vel licita 427, 428; — testimonia ad admissionem exhibenda 429; — novitiorum privilegia 431.

Nuptiae clericis interdictae 409.

Nupturientes 210.

O

Obedientia Ordinario a clericis debita 408; — obedientiae votum religiosorum quatenus obliget 453-455.

Obligatio legis 39 seqq.; — ex caritate 86; — iuramenti promissorii 143; — voti 151; — legum civilium in materia iustitiae 224 seqq.; — civilis vel naturalis, in materia iustitiae 226 nota, 238 D quaest. 2ª; — in contractibus 302.

Occasionem peccandi apponere 96.

Occisio foetus 176.

Occulta compensatio, cf. *Compensatio* occulta; — occultum crimen quando dicatur 345; — occulta vitia revelanda in venditione 322.

Occupatio, titulus acquirendi dominii 232.

Odium inimicorum 89 NB.

Oeconomi Vicarii 420.

Offensa 241; — condonanda est 89.

Officia saecularia quatenus clericis interdicantur 399.

Officium divinum, cf. *Horae canonicae*.

Onanismus 202.

Operarii quoad cooperationem 112; officia erga herum 168 4°; — salarium eis debitum 330; — an eisdem debeatur salarium familiale 331; — an eis liceat operistitium 332; — quoad ieiunium 371 3°.

Operatio caesarea 176, 181; — operationes Bursae 338.

Operistitium quatenus illicitum 332.

Opinio probabilis 18 seqq.; — quomodo ea uti teneatur confessarius 27.

Oratorium publicum, semipublicum, privatum seu domesticum quid intelligatur 357; — qua auctoritate erigendum et qua benedictione donandum 357; — Missae auditio in oratorio privato 358.

Ordinarii vel *Ordinarii loci*, quinam 52 nota; — Ordinarii loci quoad dispensationem voti 159;

— observantiae festorum 359; — abstinentiae vel ieiunii 372; — recitationis Horarum 415 NB.; — Ordinario suo reverentiam et obedientiam debent clerici 408; — quoad religiosos exemptos 459 A.

Ordo in restitutione facienda 275, 278.

Ordo religiosus 423.

Ornatus superfluus 116.

Orphanotrophium, an liceat infantes ei exponere 167 b).

Oscula 192, 193, 208, 210, 212 3°.

Ova quatenus permittantur in coenula die ieiunii 367.

Ovulatio 185.

P

Palpo quoad restitutionem 271.

Paraphernalia bona 229.

Parentes, eorum officia erga filios 167.

Parochus, eius obligationes 418, 419; — quoad potestatem dispensandi ab observantia festorum 359; — ab abstinentia vel ieiunio 372.

Paroeciae quaenam dicantur 38 nota.

Paroeciales Vicarii, cf. *Vicarii*.

Participans in furto vel in damno 272.

Partus acceleratus 176.

Parvuli quinam 36 nota.

Pater circa vota filiorum 156.

Patria, officia erga eam; — amor inordinatus in religioso 168 5° nota.

Pauperes qui se tales fingunt 257 NB. 2°; — quoad ieiunium 371 2°; — quoad abstinentiam et ieiunium in Hispania et Lusitania 372 I *δ*) NB. 1.

Paupertatis votum quomodo obliget 439-445; — quibus actionibus laedatur vel secus 446-451; — gravis laesionis materia 445.

Peccatum mortale, eius condiciones 55; — peccatorum distinctio specifica et numerica 58-62; — peccata interna 63; — capitalia 68.

Peculium 449.

Pecunia, eius praestatio, cf. *Mutuum*.

Peregrini quinam 37; — quoad leges 37.

Perfectio in quo consistat 421; — perfectionis status 422; — eius sectandae obligatio in religiosis 436.

Periculum proximum consensus in genere 57; — in re venerea 196.

Piam vitam ducere debent clerici 406; — et religiosi 437.

Poena contractui adiecta 304.

Poenalis lex 45.

Pollicitatio 306 nota, 297.

Pollutio, eius malitia intrinseca 189; — indirecte voluntaria quale peccatum 191 seqq.; — nocturna 199; — an distincta ratione aetatis vel sexus 212; — eius horrendum vitium 218; — illicite suaderetur fornicatio homini in illa habituato 219; — moralis et physiologicae distinctio 219 15°; — Cf. *Manstur-batio*.

Possessionis principium 25; — possessio requisita ad praescriptionem 235.

Possessor bonae fidei 250; — malae fidei 254; — dubiae fidei 258; — quoad restitutionem

fructuum 253, 257; — quoad compensationem expensarum 253, 257.

Postulatus in religionibus 426.

Praeceptum et lex 29; — obedientiae 453.

Praescriptio, eius vis in conscientia 235; — eius condiciones 235; — bona fides 236; — tempus requisitum 238; — rerum emptarum in venditione publica 238 C; — liberativa 238 D; — Praescriptionis suspensio, interruptio 238; — bonorum ecclesiasticorum 239.

Praesumptio, peccatum contra spem 82.

Precarium (contractus) 319.

Pretium iustum, vulgare, legale, conventionale 324.

Privilegia in genere 53; — altaris portatilis 358; — clericorum seu privilegium canonis, fori etc. 397; — religiosorum 424, 459; — novitiorum 431; — professorum temporariorum 434; — religiosorum clericalium exemptorum 461, 462; — regularium 459-465; — privilegium exemptionis et casus excepti 459.

Probabilismus 18 seqq.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico a quibus emittenda 74 nota; — religiosa 433 ad 435; — quo modo emittenda 432 nota; — eius validitas, invaliditas 435.

Promissio 306.

Promulgatio legis canonicae vel civilis 32.

Propositio haeretica, erronea in fide 78.

Proprietas litteraria 225 2°, 231; — animalium 232; — Cf. *Ius* proprietatis.

Proxeneta 327.

Pruritus 208.

Psychoses quatenus minuant libertatem 6.

Pubertas 184.

Publicum vel occultum crimen quando dicatur 345.

Pueri quinam 36 nota.

Q

Quasi-domicilium 38.

Quasi-parochi quinam, eorumque iura et obligationes 420.

Quasi-paroeciae quaenam dicantur 38 nota.

R

Raptus 206.

Ratihabitio damni an obliget ad restitutionem 268.

Regula in religionibus quomodo obliget 436.

Regulares quinam 423 7°; — eorum clausura, cf. *Clausura;* — privilegia 459-465; — Ordinario loci in quibus obedire debeant vel eius permissu egeant 460.

Religionum ecclesiasticarum definitio et divisiones 423.

Religiosi 423; — eorum obligationes 436-438; — vota, cf. *Votum, Paupertas, Obedientia;* — eorum clausura, cf. *Clausura;* — privilegia 459-465; — quoad manifestationem delictorum 91.

Renuntiatio ante professionem sollemnem facienda 443.

Reparatio offensae 89; — famae 348; — honoris 350.

Res sacrae 125, 127 nota; — inventae 233; — fungibiles 314 nota.

Rescissio contractus a minorenne vel uxore initus 226, 295, 296.

Resistentia motibus impuris 215.

Restitutio, eius necessitas 248; — radices 249; — an facienda in alio genere cum in proprio non possit 248; — ob laesam iustitiam distributivam 248; — quatenus facienda a possessore bonae fidei 250 seqq.; — malae fidei 254 seqq.; — dubiae fidei 258 seqq.; — an extendenda ad interesse in casu possessoris malae fidei 256; — ob damnificationem eiusque condiciones 261 seqq.; — ob impeditionem a consequendo aliquo bono 265; — ob cooperationem ex mandato, consilio, suffragio, etc. 268-273; — quanta, quomodo, cui, quando facienda et de aliis eiusdem circumstantiis 274-280; — in solidum vel pro rata 274; — facienda absolute vel condicionate 274; — causae a restituendo excusantes 281-283; — ob damnum rei assecuratae 263; — an adhuc urgeat cum probabilitate quod iam fuerit peracta 26, 283 NB. b); — ob damnum in bonis animi 284; — ob homicidium 284, 285; — ob fornicationem, stuprum, adulterium 286; — ob defraudata tributa 287; — ob defraudatum onus militiae 287 2°; — ob detractionem 348.

Restrictio late vel pure mentalis 340, 341.

Reus 290.

Ritus, quis ad quem ritum pertineat 36 nota.

S

Sacrilegium eiusque species 155 seqq.; — quoad luxuriam 205.

Sacrum quid dicatur 125, 127 nota.

Saecularia munera, actiones, oblectamenta quatenus interdicta clericis 399, 400.

Salarium iustum 330; — familiale 331.

Sancta Sedes, quid hoc nomine veniat 32 nota.

Satisfactio pro offensa 89, 350.

Scandalum quid, directum, indirectum, pusillorum 94 seqq.; — an ad illud vitandum omittenda praecepta 117.

Scheda loteriae furto ablata 257 NB. 2° nota.

Schismatici quinam 81.

Scholae neutrae vel mixtae 167 c.)

Scripturae Sacrae versiones quaenam prohibitae 389, 391.

Scrupuli 17.

Secretum eiusque species et obligatio 352, 353; — quandonam revelari possit 352, 353; — et an si fuerit iuratum 145; — si nequeat celari sine mendacio 339, 341.

Sedes Apostolica vel Sancta, quid hoc nomine veniat 32 nota.

Semen 184.

Senatoris et deputati munus interdictum clericis 399.

Sententia iudicis quomodo obliget 45.

Servitium militare, cf. *Militia*.

Servitutes 223, 236 nota.

Sexualis instructio filiorum 221.

Simonia 129 seqq.; — quoad restitutionem 135; — poenae in simoniacos 134.

Societas regiminis coniugalis 229; — societatis contractus 333.

Societates illicitae 168 5°; — assecurationis 334.

Sodomia eiusque species 200.

Sorores quaenam dicantur 423 7°.

Spectacula quatenus illicita 119 ad 120; — et clericis prohibita 400 4°.

Spermatozoa 184.

Spes 82.

Sphenotripsia 180.

Spiritismus 124.

Sponsio 335.

Status sacerdotalis, ad eum vocatio 396; — religiosus in quo consistat 421, 422; — ad eum vocatio 425; — eius ineundi impedimenta 427, 428; — egressus ob necessitatem parentum 428 nota.

Sterilitas 217.

Stipendia acceptare quatenus sit contra votum paupertatis 441 nota, 448 nota.

Studia praesertim sacra colere debent clerici 408.

Stuprum 205; — quoad restitutionem 286.

Suadere minus malum 96.

Sub hasta venditio 326.

Substituti Vicarii 420.

Suffragium ferre pro indigno quatenus prohibitum 114-115; — eius ferendi obligatio 114, 115, 168 5°; — quoad obligationem restitutionis 271.

Superior quoad correptionem detrahentis 90; — Collegii quoad vota alumnorum 157; — quoad restitutionem ob damna illata a subditis 273.

Superiores religiosi quoad vota subditorum 156, 157, 159; — quoad dispensandum ab observantia festorum 359; — ab abstinentia vel ieiunio 372; — a recitatione Horarum 415 NB.

Superiores maiores religiosi quinam dicantur 52 nota, 423 8°; — Cf. *Ordinarii.*

Superstitio 121 seqq.

Suspensio voti 157.

Symphyseotomia 181 nota.

Syphilis 218.

T

Tactus turpes 192, 193, 208, 212 3°.

Tempus, eius supputatio iuxta Codicem 33 nota; — ad praescriptionem requisitum 238; — an liceant simul supputationes diversae in diversis praeceptis 364 nota.

Testamentum 310; — informe 227, 310; — an liceat contra id compensatio 247 nota; — in favorem causae piae 310; — condendum ante professionem votorum temporariorum in Congregationibus religiosis 432, 442.

Testimonia exhibenda ad admissionem in novitiatu 429.

Testis 290.

Theatra, cf. *Spectacula.*

Theosophicae doctrinae 80 nota.

Thesaurus 225 nota, 232.

Titulus ad praescriptionem 235; — Exigendi mutui 316, 317.

Tonsurae delatio clericis obligatoria 407.

Transatlanticae Societatis privilegium quoad abstinentiam et ieiunium 372 II sub finem.

Tributa 287.

Turpiloquium 192, 193, 209, 212 3°.

Typographi quoad cooperationem 110, 112.

U

Universitates laicas frequentare an permittatur clericis 405.

Usus 223.

Ususfructus 223; — usufructuarius 223 nota.

Uxor quoad vota mariti 157; — quoad dominium 229; — quoad contractus 295, 296.

V

Vagi quinam 37; — quoad leges 37.

Vaginales lotiones 216.

Valetudinis cura 171.

Vana observantia 121.

Vasectomia 170.

Venatio, leges civiles eam prohibentes 232; — clericis vetita 400 2°.

Vendere res pravas 106, 107.

Venditio, praescriptio rerum in venditione publica emptarum 238 C; — rei alienae bona fide acquisitae 252; — facta duobus emptoribus successive 321 nota; — Cf. *Emptio-venditio*,

Venerea delectatio, cf. *Delectatio;* — morbi venerei 218.

Vicarii paroeciales quinam eorumque iura et obligationes 420; — oeconomi 420; — substituti pro parocho 420; — parochi adiutores 420; — cooperatores 420.

Violentia 3.

Virga divinatoria 124.

Virginitas, eius praestantia 211; — vindicatio ab incusationibus 211 nota; — Cf. *Continentia.*

Visitatio episcopalis religiosorum 460 nota.

Vitae cura 172; — defensio 174; — vita communis in religionibus 438, 449.

Vitia manifestanda in emptione-venditione 322.

Vocatio ad statum sacerdotalem 396.

Voluntarietas 2, 3.

Voluntatis exploratio in mulieribus ad religionem adspirantibus 430.

Voluntarium eiusque species 7, 11, 12.

Votum, eius divisiones, essentia, materia, obligatio 147 seqq.; — irritatio 155-156; — suspensio 157; — dispensatio 158-159; — vota reservata quaenam 158; — votum castitatis clericorum 409; — vota religiosa, simplicia, temporaria vel perpetua, sollemnia 433-435; — ante professionem emissa suspenduntur 434; — votum paupertatis ad quid obliget 439; — effectus voti paupertatis simplicis 439 ad 441; — vel sollemnis 444; — eius laesio gravis 445; — votum castitatis religiosorum 452; — obedientiae 453 seqq.; — vota in Societate Iesu 439 nota.

INDEX CANONUM

qui in hoc volumine citantur

Indicantur numeri marginales. Littera *n* numero apposita indicat aliquam ex notis ad calcem paginae illi numero respondentibus.

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
2, 3	31	82	52	138, 139	399, 400
4	31, 46n, 459n	83	52	140	400
6	31, 33n, 38n,	84	47, 47n	141	397, 399
	46n,	85	47	142	401
6	135n, 230, 361,	86	51	143	405
6	367n	88	36n, 38n, 156n	145	416
7	31, 32n, 392	88	157n, 228n	160	134n
8	29, 37n	91	37, 37n	197	49, 159
9	32	92, 93	38, 38n	198	52n, 401
12	36	94, 95	38	199	49, 159
14	37	98	36n	201	49, 159
15	33, 44n,462	99	31n	202	159, 464
16	44n	103	300n	209	463
17 - 20	33n	104	298n	211	397
21, 22	46n	108	395	213, 214	409
24	29n	111	395	216	38n
27, 28	46n	118	395	243	31
29	33n	119 - 123	397	244 - 248	31
30	46n	124	406	249	31, 358
31 - 32	33n	125	406, 437n	250 - 264	31
33	33n, 357n	126	406	291	30, 52, 52n
34	33n, 443	127, 128	408	335	30, 32
41 - 42	50	129, 130	389, 408	336	417
50	53	131	408, 437n	337	459
60	46n	132	397, 409	338	417
69	53n	133	398, 398n	343	417
71	46n	134	409	344	460n
73	385	135	409, 410	362	30
80	47	136	397, 407	418	417
81	52, 462	137	405	451	420

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
454	418	581	433, 443, 443n	792	459
459	248n	582	443, 444	811	407n
461, 462	418	583	442, 443	822	461, 465
464, 465	418	586	435	831	460
466	419	587	458n	859	360, 362, 362n
467, 468	418, 419	590	389, 437n	860 - 861	360
469, 470	419	591	437n	874	460
471 - 475	420	592	436, 437	875	461
479, 480	460	593	436	876	460
487	422	594	436, 438, 441	892	418
488	52n, 158, 423	594	449	902	361n
489	29n, 424	595	437	904	459
490	156n, 424	596	438	905	361
497	460, 461	597	456	906, 907	360
501	156, 156n, 459	598	457	919	460
512	460n	599	456	924	133n
514	159, 359n, 461	600	457	954, 964	460
530	437	601	458	971, 973	396
533	460	602	456	990	462
538	425	604	458	1113	167
539 - 541	426	605	457, 458	1150	128
542	427, 428	606	458, 458n	1151	146
544	429	607	458	1155	459
545, 546	429, 429n	608	438	1156	462
547	429	609	438, 460	1161	357
552, 553	430	610	410	1162	460
555	427, 431	612	460	1163	462
556	431	613	424, 459, 463	1169	459, 462
558, 559	431	614 - 616	459, 460n	1172	127
561	156n	617	459, 459n	1176	462
567	431	618	460	1179	127n
569	432, 432n,	619	459, 460	1188, 1189	357
569	439, 442	620 - 622	460	1190	357, 357n
571	432	637	433n	1191	357
572, 573	435	679	458n	1192	357n, 358n, 461
574	433	686	460	1193	357
575	433, 433n	698	460	1195	358n
576	432, 433	703	460	1196	357, 358n
577	433	713, 714	460	1199	459
578	434	727	129n	1205	462
579	439, 444, 455	728	129	1244	356
580	432, 432n, 439	729	134, 135	1245	359, 359n, 462
580	441, 442	730	130n, 133n	1246	356

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
1247	161, 355, 356	1335	168n	1491	459n
1248	355	1338, 1339	460	1492	459n
1249	161, 356, 357	1343	459	1496, 1502	373
1250	363	1344	419	1508	134, 239n
1251	363, 367, 367n	1345	460	1510	128
1252	152, 363, 364	1349, 1350	419	1512	134
1252	367	1353	396	1513	310n
1253	363	1356	460	1516	460
1254	363, 367	1372-1374	167n	1517	312
1256	121n	1379	167n	1524	168n
1259	378, 460	1382	459	1529	443
1261	460, 460n	1384	374, 377, 381	1536	441n
1274	460	1384	382	1539	404
1277	121n	1385	375, 379, 380	1543	316n
1279	121n, 460	1385	391, 460	1550	460
1283, 1287	121n	1386	380, 460	1622	142
1289	121n	1387-1389	375	1624	290n
1291-1294	460	1390	375, 379	1694-1698	25
1304	462	1391	375, 378, 391	2084	121n
1306	128	1392	378	2115	121n
1307	147, 148n, 149	1393, 1394	380	2147	418
1308	147	1395	381	2197	345n
1309	158	1396	385, 388	2201	6
1310	152, 152n	1398	382	2202	2
1311	154n	1399	389	2203	261n
1312	155-157	1400	389, 391	2205	3, 4
1313	159, 462	1401, 1402	462	2206	5
1314	160	1403	385, 387	2209	33n, 268n
1315	157, 434	1404	388	2219	33n
1316	139, 141	1405	385	2231	33n
1317	143, 144, 305n	1406	74n, 418, 460	2237	461
1318	144	1409	416	2253	461
1319	145	1410	230	2371	134
1320	146, 462, 464	1435	134	2379	407n
1321	144	1465	134n	2381	416-418
1325	74n, 76, 77, 81	1470	134n	2392	134
1327	417	1472	416	2403	418
1329-1333	419	1473	230	2411	428n
1334	460	1475	410, 411		

INDEX ARTICULORUM EX CODICIBUS CIVILIBUS

citatorum in hoc volumine

Citationes reperientur sub numeris marginalibus hic indicatis partim ad calcem, partim in textu typis minoribus excuso.

EX COD. CIVILI ARGENTINO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2, 16	33	1076 seqq.	295	2152	252
17	46,	1078	310	2198	322
54-57	295	1100-1102	294	2207, 2208	322
89-102	38	1118-1120	284	2216 seqq.	319
126	156	1147-1170	273	2264-2271	273
135	295	1171-1177	292	2274 seqq.	314
212, 213	295	1178 seqq.	297	2282, 2283	317
298	156	1183-1190	297	2289 seqq.	319
309	167	1194 seqq.	295	2322 seqq.	320
321-324	228	1198	295	2373-2377	232
327	228, 295	1218	321	2386	238
328, 329	228	1229 seqq.	302	2389, 2390	236
331, 332	228	1251-1260	229	2398 seqq.	235
401-410	168	1295 seqq.	229	2403-2405	235
441, 449	157	1306, 1309	229	2412	238
489	157	1310, 1349	229	2446	238
529 seqq.	302	1357 seqq.	321	2448	238
536	294, 337	1363, 1364	252	2456	238, 251
549	226, 227, 235	1370, 1375	321	2457	253
549	238, 337	1376	321	2458	249
561 seqq.	303	1381	238	2459	253
598	303	1397	321	2461-2465	253
611, 612	321	1444	302	2467, 2468	253
617	321	1448	252	2474	253, 257
626 seqq.	321	1450, 1452	321	2479-2493	238
631	238	1527 seqq.	329	2568-2570	233
652	302	1682 seqq.	333	2573	233
655	317	1823 seqq.	307	2579, 2584	232
686 seqq.	304	1826, 1827	297	2590	232
781	302	1882 seqq.	309	2595	232
823, 926	255	1903 seqq.	320	2601-2634	234
947 seqq.	297	2085	335	2793, 2794	238
957 seqq.	298	2085 seqq.	335	2796	238
970 seqq.	300	2090	338	2798-2800	238
1007	294	2097	337	2801	251
1020	310	2123	252	2802	238, 251
1071	294	2140	252	3248	238

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
3313 seqq.	310	3982	235, 238	4042	236-238
3452	237	3993	235	4043, 4044	236
3642	303	4000-4033	238	4046	236
3858	310	4036	238	4049	237, 238
3909-3972	278	4038, 4039	237	4050	236, 238
3981	235, 238	4040, 4041	236	4051-4077	238

EX COD. CIVILI BRASILIENSI

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	33	490	236-238	1101	322
4	46	491	236	1105	322
5, 6	295	495, 496	237	1107	252
31-34	38	497	235	1117	252
63	253	510	253	1122 seqq.	321
86-97	298	512	253	1126, 1127	321
98-101	300	515	255	1129, 1130	321
114	303	516	253	1144	321
115	303, 321	517	257	1165	297
116-122	303	518, 519	253	1165 seqq.	307
134	321	521	238, 251	1181-1187	309
145	294, 310	536-549	234	1188 seqq.	329
147	295, 298, 300	550	237, 238	1248 seqq.	319
152	226, 295	551	238	1256-1264	314
154-158	295	552	235, 237	1262	317
161	235	593	232	1265 seqq.	319
168-179	238	603-606	233	1288 seqq.	320
242	295	607, 608	232	1331 seqq.	320
247	295	618	236, 238	1363 seqq.	333
256	229	619	235, 237, 238	1432 seqq.	334
258	229	649	231	1471-1476	334
262 seqq.	229	863 seqq.	302	1477	337
266	229	868	321	1477-1480	335
269-311	229	916 seqq.	304	1521-1529	273
385, 386	228	950	302	1537-1540	284
389-391	228	970	226, 235, 238	1554-1571	278
396-405	168	1062, 1063	317	1572 seqq.	310
422	157	1079	292, 297	1746	310
424	157	1080	302	1792	309
442	157	1081-1088	297		

EX COD. CIVILI CHILENSI

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	46	1412	297	1801, 1802	321
6, 7	33	1424-1434	309	1815	252
19-24	33	1437 seqq.	302	1816	252, 321
26	156	1437-1444	292	1817	321
44	261	1445	295, 297, 337	1820, 1821	321
59 seqq.	38	1447	295	1823	321
240	156	1451-1455	298	1826	321
243-256	228	1456, 1457	308	1839	252
268	228	1458, 1459	298	1852	252
321-337	168	1466	337	1858	322
340-342	157	1467	294, 337	1860	322
589	232	1468	337	1887	321
620	232	1470	226, 227, 235	1915 seqq.	329
626	232	1470	238	2053 seqq.	333
629-635	233	1471	226	2116 seqq.	320
643-669	234	1473 seqq.	303	2174 seqq.	319
644-647	249	1535 seqq.	304	2196-2210	314
647	253	1545-1566	302	2206, 2207	317
706	236, 238	1567	238	2210	318
707	237, 238	1588	302	2211 seqq.	319
709-713	235	1676	255	2259	335, 337
717	237	1678	250	2259-2263	335
890	238, 251	1682	310	2284	292
895	251	1683 seqq.	295	2286 seqq.	320
907-909	253	1715	229	2296	226
910	257	1718	229	2314-2316	284
911	253	1722	229	2319-2332	273
913	253	1725	229	2465-2491	278
951 seqq.	310	1725 seqq.	229	2492-2494	235
1001	310	1740	229	2498	235
1093	303	1749	229	2500	237
1136	309	1774	229	2501-2504	238
1139	309	1786	229	2505	235
1205	309	1789	229	2507-2511	238
1386 seqq.	307	1793 seqq.	321	2514-2524	238

EX COD. CIVILI COLUMBIANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
8	48	1469	297	1870	252
25-32	33	1483-1491	309	1872	252, 321
52	33	1494 seqq.	302	1873	321
53	156	1494-1501	292	1876, 1877	321
63	261	1502	297	1879	321
76-89	38	1504	295	1882	321
291, 292	228	1508	298	1895	252
294 seqq.	228	1512	298	1909	252
411-427	168	1513	300	1915	322
430-432	157	1514	300	1917	322
696	232	1515, 1516	298	1945	321
701	232	1524	294	1973 seqq.	329
704-712	233	1527	226, 227, 235	2079 seqq.	333
713-739	234	1527	238	2142 seqq.	320
714-717	249	1528	226	2200 seqq.	319
717	253	1530 seqq.	303	2221-2235	314
764	238	1602-1624	302	2231, 2232	317
768	236, 238	1625	238	2235	318
769	237, 238	1645	302	2236 seqq.	319
771-774	235	1735	255	2283	337
778	237	1737	250	2283-2286	335
787-792	238	1741	310	2302	292
947	238, 251	1742 seqq.	295	2304 seqq.	320
952	251	1771	229	2314	226
964	253	1774	229	2341-2343	284
965-970	253	1778	229	2346-2358	273
966	257	1781	229	2488-2511	278
976	238	1781 seqq.	229	2512-2514	235
1008 seqq.	310	1796	229	2518	235
1057	310	1805	229	2521	237
1151	303	1830	229	2522-2525	238
1194	309	1842	229	2526	235
1197	309	1845	229	2528-2532	238
1263	309	1849 seqq.	321	2535-2545	238
1292 seqq.	304	1857	321		
1443 seqq.	307	1858	321		

EX COD. CIVILI GALLICO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
6	294	1125	295	1609	302
102-109	38	1131	294	1612	321
203-211	168	1133	294	1614	321
217	295	1134 seqq.	302	1624	321
225	295	1137	261	1626	252
384	228	1138	321	1629	252
387	228	1141	321	1641	322
389	228	1154	318	1644	322
450	157	1156-1164	302	1651	302
538	232	1168 seqq.	303	1708 seqq.	329
546	253	1186	226	1728	261
546-577	234	1226 seqq.	304	1797	273
549	253	1235	226, 235	1832 seqq.	333
550	236	1247	302	1874 seqq.	319
583, 584	249	1302	255, 321	1880	261
586	253	1305 seqq.	295	1892 seqq.	314
713	233	1340	226, 227	1915 seqq.	319
716	232	1371	292	1927	261
718 seqq.	310	1372-1375	320	1962	261
804	261	1374	261	1965	335
856	309	1381	253, 257	1966	335, 338
893	309	1382, 1383	284	1967	226, 335, 337
893 seqq.	307	1384-1386	273	1984 seqq.	320
894	297	1387-1390	229	2092-2113	278
895	310	1393	229	2219, 2220	235
900	303	1394	229	2229	235, 238
931	310	1399 seqq.	229	2233	235
932	297	1401	229	2235	237
953 seqq.	309	1421	229	2242-2259	238
1001	310	1453	229	2260-2266	238
1101-1107	292	2467 seqq.	229	2267	236
1108	294, 297	1497-1581	229	2268	237, 238
1109	298, 300	1582 seqq.	321	2269	236
1110	298	1583-1585	321	2271-2278	238
1111-1115	300	1587, 1588	321	2279	235, 238
1116	298	1593	321	2280	238
1117	300	1599	252		

EX COD. CIVILI HISPANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
5	46	687	310	1453	321
9	295	737	310	1455	321
11	295	792	303	1466	321
40	38	1049	309	1473	321
61, 62	295	1088 seqq.	302	1475	252
65	295	1095	321	1484	322
142-153	168	1104	261	1486	322
159-162	228	1108	317	1491-1499	322
164-166	228	1113 seqq.	303	1504-1506	326
200	157	1152-1155	304	1542 seqq.	329
263	157	1171	302	1665 seqq.	333
320	156	1182	321	1709 seqq.	320
338, 339	232	1185	252	1740 seqq.	319
351	232	1254	292	1753-1757	314
353-383	234	1255	292, 321	1758 seqq.	319
355	249	1256-1260	292	1791-1797	334
357	249	1261	295, 297	1798	335, 337
433	236	1262	297	1799, 1800	335
434	237, 238	1263	295	1801	335, 337, 338
435	236	1265	298, 300	1887	292
440	237	1266	298	1888-1894	320
441	235	1267, 1268	300	1897	252
442	237	1269, 1270	298	1902	284
444	235	1275	294, 337	1903-1910	273
451	253	1278 seqq.	302	1921-1929	278
453	253, 257	1300-1304	295	1930	235
454	253	1315	229	1932	238
455	257	1319	229	1940	238
464	238	1340-1342	229	1941	235
615, 616	233	1365	229	1944-1947	238
618 seqq.	307	1392	229	1948	235, 238
620	309	1401	229	1950	236, 238
623	297	1408	229	1952, 1953	236
629	297	1412	229	1955-1959	238
644 seqq.	309	1445 seqq.	321	1960	237
657 seqq.	310	1450	321	1961-1973	238

EX COD. CIVILI LUSITANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
9	46	548-559	238	1452 seqq.	307
35, 36	168	576	231	1453	297
42-54	38	579	231	1457	309
68	302	641-643	292	1482-1492	309
98, 99	295	643	297	1506 seqq.	319
137	228	647-648	297	1523-1536	314
144-147	228	648-655	297	1540	334
150	228	656	300	1541	335
171-184	168	656-665	298	1542	335, 337
185	157	666-668	300	1543	335
243	157	667, 668	298	1544 seqq.	321
380	232	669	294	1548, 1549	321
402	232	672	321	1551, 1552	321
413-420	233	672 seqq.	302, 303	1555	252
422-425	232	673-677	304	1574, 1575	321
476	236	685	302	1578-1580	321
483	237	688	295	1582	322
487	235	692	294	1590	321
495	249, 253	694 seqq.	295	1595 seqq.	329
496	255	744	302	1636-1643	314
498	253	878-887	278	1640	317
499	253, 257	1046, 1047	252	1642	318
500, 501	253	1051	252	1722	321
502	257	1096	229	1723 seqq.	320
505	235	1098	229	1735 seqq.	310
508	235	1105	229	1741	310
515	235	1108	229	1743	303
517	235, 238	1108 seqq.	229	1754	310
520	237	1117	229	1775	310
521	235	1123	229	1836	310
523	235	1125-1165	229	1999	310
526-528	238	1189-1202	295	2106	309
529	237, 238	1240 seqq.	333	2289-2308	234
532	237, 238	1318 seqq.	320	2377-2381	273
534	238	1420-1423	273	2384-2387	284
535-547	238	1431 seqq.	319	2394-2398	273

EX COD. CIVILI MEXICANO

Littera *L* indicat articulos pertinere ad « Legem de relationibus familiaribus ».

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	33	1085	235	2120	229
8	46	1086	238	2137	229
20, 21	33	1088	238	2140	252
27-37	38	1089	237	2219 seqq.	333
51-74L	168	1090	238	2342 seqq.	320
247-250L	228	1091-1108	238	2408	289
252L	228	1109-1124	238	2416 seqq.	320
270-272L	229	1138, 1139	231	2434 seqq.	329
374-380	228	1192	231	2545 seqq.	319
382	228	1272-1281	292	2594 seqq.	307
403	157	1286, 1287	297	2602	309
497	157	1288-1295	297	2603	297
697	232	1296, 1297	298	2633 seqq.	309
702	232	1298-1303	300	2661 seqq.	319
709-721	233	1304	294	2684-2700	314
726, 727	233	1306	294	2692	317
756	232	1307 seqq.	302	2696	317
759, 760	232	1310	321	2699	318
762	232	1311 seqq.	304	2705 seqq.	334
764	232	1324, 1325	302	2749 seqq.	334
763-821	234	1328 seqq.	303	2772-2782	335
775-780	249	1430	321	2776	337
830, 831	236	1476-1481	273	2811 seqq.	321
833	237, 238	1489	252	2818	321
834	253	1494	252	2822	321
836, 837	252	1520	302	2824-2826	321
842, 843	253	1679	226, 227, 310	2852	321
842 -848	257	1928-1964	278	2860	321
845-851	253	1968	229	2869-2872	321
857	235	1979	229	2873	322
1051 seqq.	238	1982	229	2875	322
1059	235	1999 seqq.	229	2920, 2921	321
1066	235	2008	229	2936 seqq.	329
1077	237	2024-2026	229	3227 seqq.	310
1079	235	2031	229	3251	303
1082	236	2044	229	3471-3473	310
1083	235	2072	229	3519	310

EX COD. CIVILI REIP. URUGUAY

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1	33	1172	235	1539	294
9	46	1178, 1179	238	1587	297, 307
12-20	33	1180	237	1588	307, 309
24-36	38	1181	236, 237, 238	1589 seqq.	307
118-128	168	1182	236	1594	297
133	295	1185, 1186	238	1605-1612	309
146	295	1187-1188	238	1635 seqq.	321
233	156	1189-1201	238	1638	321
244-247	228	1206-1215	238	1643, 1644	252
249	228	1217	238	1648	321
258	228	1219 seqq.	302	1654	321
336, 337	157	1221-1235	292	1656	321
372	157	1235	292, 297	1657	321
430, 431	232	1236-1242	297	1659	321
479	249	1243	298, 300	1662	321
624	235, 253	1244, 1245	298	1672	252
625-627	235	1246-1248	300	1675	252
651	251	1249, 1250	298	1692	322
668	236	1254	295	1694	322
669	253	1262	294	1750 seqq.	329
673, 674	253, 257	1271 seqq.	302	1849 seqq.	333
675	257	1282	292	1912-1916	229
676	253, 257	1283-1285	320	1924 seqq.	229
677, 678	253	1293	284	2025 seqq.	320
689	232	1294-1306	273	2142 seqq.	335
696	232	1297	273, 284	2150	337
700-705	233	1298-1306	273	2171-2189	314
706-732	234	1309	321	2180	317
710	249	1311	321	2189	318
751 seqq.	310	1337 seqq.	304	2190 seqq.	319
935	303	1380 seqq.	303	2213 seqq.	319
973	310	1439	302	2251-2258	273
1086	309	1527	255	2342-2363	278
1162, 1163	235	1534	310		
1170	235	1535 seqq.	295		

A. M. D. G.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.U23 C001 V001
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS FRIBURGI
3 0311 00044 3262

WITHDRAWN

48113

BX
1758
.U23 48113 Ubach, Joseph

AUTHOR
v.1 COMPENDIUM THEOLOGIAE
TITLE MORALIS

DATE LOANED

16661

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

3 0311 00044 3262